17741

IMPETVS

Tab 36 nr 365.

BONARUM COGITATIONUM

Ex Evangeliis Dominicarum totius Anni

DESVMPTI,

Et per singulos Hebdomadarum dies

DISTRIBVTI,

Meditaturis ad considerandum,

Concionaturis ad docendum

ACCOMMODATI

Ex libris Congnis et Oxy Schuz Tab 14. n. 26

P. IOANNE KRASZEWSKI Societatis IESV

Anno Domini 1696.

Calissii, Typis Collegii Soc: IESU.

17741

17741

SEMINARIUM
SANDOMIERSIENSE

Vbi erat Impetus Spiritûs,

illuc gradiebantur.

Ezechielis 1.

IHS
Jo San Wi: fec.

In Stemma

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DECANI.

Quatuor æthereum ducunt animalia currum,
Bos, Leo terrificus, tum Iovis Ales, Homo.
Ingenio præcellit Homo; Leo robore; Stemma
Fert Iovis Ales; Bos divite gestit agro.
Cur Caput *unius ferro grave mittit olympus?*
Quod pro Divino munere Campus habet?
Scilicet, hoc unum Cienscîi Caput *omnia condit;*
Ingenii cultum, Stemmata, Robur, Opes.

ILLVSTRISSIMO

ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. GASPARI CIENSKI

ECCLESIÆ CATHEDRALIS

CRACOVIENSIS DECANO

PRÆPOSITO IN PIOTROVIN

S. R. M. Secretario &c. &c.

D. ET MECÆNATI COLENDISSIMO

IMpetus Bonarum cogitationum, *ad publicum orbis Christiani usum, directi, jam votorum prætergressi metam, in suprema felicitatis consistunt auge, dum ad Tuos pedes venerabundi accidunt.* Illustrissime & Reverendissime Domine. *Quamvis enim à Diviniore, quod tractant, argumento, nullam derivarent lucem, ipse tamen Nominis Tui, cujus Patrocinium ambiunt, splendor, serenum illis accendit meridiem. Tantâ*

ſiquidem affulges nobis, quâ Sanguinis aviti, quâ perſpicacis ingenii, quâ probatæ virtutis claritudine, ut genus à ſiderum patria, ſapientiam à fonte luminum, virtutem ab ipſo deduxiſſe cælo videaris. Vnde nec mirum eſt, quòd ad tam inuſitatæ lucis fulgorem, non ſolùm Atticas eruditorum noctuas, ſed etiam acutas ingeniorum Aquilas, palpebris connivere ſit neceſſe. Vereor equidem, ne, dum ſacra Domûs Tuæ *ſubintrant limina, in primo aditu, ultra propriæ tenuitatis limites, errabundi, culpam audaciæ incurrant. Velle enim inter Auguſtæ* Trabeatæ Familiæ Tuæ, *demorari penetralia, & ſub Illuſtriſſima* Gentilitii Capitis Tui *requieſcere umbra, non poſtremæ ſpecies temeritatis eſt. Quia tamen ea morum Tuorum regnat comitas, ut etiam illos, quos, nativæ obſcuritati addixit fortuna, vultu ad omnem lenitatem compoſito accipias, aureq; dones placidâ; hinc facilè & ego fore ſpero, ut Religioſum quoq; Spiritum, quem cæleſtis hic Enthèus repræſentat, Tuis, aliàs, ex antiquo, beneficiis, obſtrictum, animo æquiore admittas. Aberrare à Chriſtianæ, imò Religioſæ perfectionis termino, ad quem feſtino collimant paſſu,* Impetus hi *non poterunt, cùm illis, tot ſolidarum virtutum præluces radiis: Si verò defeſſis per viæ ſanctioris aſpera, quies in votis fuerit, nullibi commodiorem nanciſci poterunt ſtationem, quàm intra Tuum conclave. Vbi enim ſecuriùs laſſatum figerent pedem, quàm in illo Domicilio, quod unà Tecum ſincera*

cera incolit Religio, consummatâq; probitas, ac omnigenæ virtutis adornat majestas. Itaq; allicit eos, matura illa, Tuæ prudentiæ moderatio, quâ, còáctis, in commune Senatûs Cathedralis bonum, præsides cætibus: ubi sive negotia tractanda proponis, nemo providentiùs; sive Collegarum excipis vota, nemo pacatiùs; sive rationum momenta expendis, nemo perspicaciùs; sive rerum agendarum seriem ordinas, nemo consultiùs; sive Tua depromis oracula, sententiamq; dicis, judicioſiùs nemo, nemo profundiùs. Nimirum, vel Sanctum illud Senatûsconsultum, Areopagum induit, Sanctioremq; Tuo in Capite legit Themidem, vel vitiis bella indicit, & Christianum Martem Gentilitio armatum ferro experitur. Verbo, omnia; quidquid ibi victuræ posteritati, judex transcribit calamus, Tuo inchoatur á Capite. Invitant amplissima, erga concreditam, Tuæ Pastorali fidei, Piotrovienſem Eccleſiam, merita; quæ profectò efficiunt, ut locus ille, palmari nobilitatus prodigiô, videatur hodie prodigioſior, cùm non unum duntaxat Piotrovinum, (quod olim Diviniſſimus Præſul) verùm tot Athanaſios, Chryſoſtomos, aliaq; priſci illius ævi ac integerrimi moris, publicæ utilitati jurata nomina, à ſepulchro, thaumaturgâ morum vindicas pietate. Atq; ita, quod longa in plures diſperſêre ſecula, in Te unum, Tua collegit virtus; ut Gentilitio Tuo annuente Capite, magnorum in DEi Eccleſia Nominum Caput videaris.

dearis. *Vivunt enim in Te, etiam ad ſeculi noſtrî fortunam, tot olim terræ conſepulti Antiſtites, quorum virtutis dum vivam exhibes imaginem, ad miraculum, militantem adornas & conſecras Eccleſiam. Emptus pretioſis* Diviniſſimi STANISLAI *ſudoribus pagus, in quandam virtutum coloniam abiit Te Protectore: ideoq; ſuperbit opimâ felicitatis meſſe, fertilis gleba illius; quia Tu in eam, omnis honeſti culturam deduxiſti. Sacrum illud Eccleſiæ patrimonium, meliùs propriæ ſecuritati non poterat providiſſe, quàm Tuæ commiſſum gubernationi. Habet enim providentiſſimum* Cienſcianæ Domûs Caput, *quod faciliùs abſq; reliquo corpore, quàm ſine magno conſilio eſſe poteſt, eoq; fortunatius Iovis capite cenſetur, quia illo exiit aliquando, intra iſtud ſemper* Minerva *reſidet; habet limatum probitate ac doctrinâ, ideoq; victorem ſemper Gladium, qui ſuæ militet proſperitati. Armatur* Gentilitium Caput *ferrô, quod validæ cæterorum manus ſtringere ſolent, ut palàm ſit orbi, tantum erudito conſilio Tuo præſtari, quantum vix mille aliorum poſſint dexteræ. Spondet facilem aditum, magnanima Tui pectoris demiſſio, quæ, dum* Infulatos honores, *ultrò ſe Tuis ingerentes manibus, heroicâ repulit conſtantiâ, eò illuſtrior evaſit, quò illi erant celſiores, rariorq; ſpernuntur ab aliis exemplo. Gaudebat tamen, ſuperbus licèt naturâ honor contemptu ſûi; eoq; pertinaciùs modeſta veſtigia Tua urgebat, quò longius*

ab ea

ab ea recedebas. Ambiebant Tuum Caput *ſacratiori devotum Palladi,* Præſuleæ Tiaræ, *ut ſpectabiliores, ex tam ſublimi vertice apparerent; verùm Tu, dignior eſſe honore, quàm videri, & virtute potiùs, quàm mitrato faſtigio, cæteris eminere maluiſti. Acephalum ſe, repulſus querebatur honor, cui* Gentilitium *denegâſti* Caput, *& qui alibi in auratis pallet curulibus, ad Tuam modeſtiam erubuit, tantò verecundiùs ſe ſperni demirans, quantò antè, Te quærebat ambitioſiùs. Id tamen ex* Cicerone *didicit* Capite, *illum ſibi maximè in Caput hoſtem eſſe, qui, quòd* Caput *ſit, ſanguini & virtuti debet, non honori. Invitat accurata illa pietas, in adminiſtranda Domeſtica Familia, cui, dum opus eſt, urgente ad ſectandam virtutem ſtimulò, ſalutaria inſtillas monita; dum terrore ad fugiendam vitæ licentiam, ſeveriorem adhibes cenſuram; dum honeſtate culturâq; morum, optimis præluces exemplis; dum ingenii exercitio, ad ſtatum ulteriorem profuturo, opportunam præbes materiam, & congrua cujusq; indoli conſilia ſuppeditas. Circumſtat latus Tuum, non tam famulantium caterva, quàm virtutum frequens ſatellitium; illudq; unicè cordi habes, ut, cùm ipſe ſis optimus, omnes circa Te optimos, hoc eſt, Tûi quàm ſimillimos efficias. Trahit deniq; multis memoranda ævis, erga* Tuum Avunculum, *noſtri autem Collegii munificentiſſimum Fundatorem,* Celſiſſimum Principem ANDREAM TRZEBI-

CRI. Cathedræ Cracovienſis Gemmam, pietas & gra-
titudo: quem non ſatis Tibi eſt, vivis Sacerdotalium
virtutum, in Te, adumbrare coloribus, niſi etiam gemi-
natis marmorum trophæis, nomen ejus immortale pro-
mulges orbi, & ſeræ tranſcribas poſteritati, dubitaturæ
olim, plusné lacrymarum, an auri profuderis? ut pre-
tioſam tanti Principis famam, ab avaritia fatorum re-
dimeres. Quot, pro eo, marmora poſuiſti, tot ſaxea Me-
mnonis animâſti ora, diſertiùs utiq; integerrimi Præſulis
gloriam locutura; totq; Lydios erexiſti lapides, ſolidiſſi-
mum ejus in Eccleſiam, Patriamq; amorem, & Tuam
in Avunculum, pietatem probaturos. Quid memorem,
ituram ad poſteri orbis memoriam, fidelem ſolertiam in
exequendo demortui Antiſtitis Teſtamento? Ita nimi-
rum ſtrenuam ultimis tabulis admoviſti manum, ut am-
biguum feceris, majorné in illis condendis pietas, an Tua
fuerit in exequendis fidelitas? Surgit in æthera, Au-
guſta ædes Trzebicia, multorum millium impenſis e-
rectà, pretioſoq; dotata cenſu, æternum liberalitatis Tuæ
monumentum, ipſi cælo, illatura Trzebicianum No-
men, niſi ideo, à Te, exſtructa foret, ut natale illud,
memorati Præſulis Solum, poſt tanti jacturam Paſtoris,
DEo ſolaveris inquilino. Bene proinde non ex vano
meis auguror Impetibus, eos robuſtiore perrecturos, in or-
bem, impul'u, poſtquam à duro fuerint repercuſſi mar-
more, a quo, Trzebicii Nomen, illam vim accepit, ut

non

non defecturis unquam passibus, cum æviterno honore sit certaturum. Facilius profectò in animos hominum sese insinuabunt, postquam à Tua, cui se supplices ingerunt, manu, vires, roburq; deprompent: Quid enim à Te, aucti non poterunt, qui, duris etiam marmoribus, perennaturam inspiras memoriam? Age itaq; Illustrissime ac Reverendissime Domine, *tantam meritorum congeriem & immortalitatem operum, vitæ perennitate consigna. Dabis simul veniam, quòd æternitatis olim impleturum, fastos, Nomen Tuum, intra unius folii angustias arctásse non dubitaverim. Debebas enim operis mei frontem tenere, qui, pectus & animum pridem possedisti. Operam ergo hanc exilem, intra Beneficas manus, pronam autem venerabundi animi mei demissionem, infra Tuos pedes depono.*

Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationis Vestræ

Servus obligatissimus

IOANNES KRASZEWSKI SOC: IESU.

FA-

FACULTAS
R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS
Societatis IESV per Poloniam.

CUm pium opus, quod inscribitur: *IMPETUS Bonarum Cogitationum*, à Patre IOANNE KRASZEWSKI, Nostræ Societatis Sacerdote, compositum, aliquot ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi factâ, ab A. R. P. N. Thyrso Gonzalez præfatæ Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas, manu mea firmatas, sigilloq; munitas dedi. Cracoviæ, 14. Iulii 1695.

STANISLAUS BIECZYNSKI.

APPROBATIO.

EGo M. Franciscus Przewoski S. Th: D. & Professor, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI ad Crac: Præpositus, S. R. M. Secretarius, Ordinarius per Diæcesim Crac: Librorum Censor, Librum, cui titulus: *Impetus Bonarum Cogitationum, ex Evangeliis totius anni, desumpti, à R. P. IOANNE KRASZEWSKI Soc: JESU*, cum diligenti attentione legi. Qui, cùm nihil, in se, Orthodoxæ fidei aut bonis moribus, dissonum complectatur, imò non solùm bonas cogitationes, legentibus se, ingerat, verùm ad dirigendas humanas actiones, ne errent, mirabilem ac suavem adferat informationem; proinde illum in publicam lucem edi, & prælo imprimi, do & concedo Facultatem. Datum in Præpositura S. FLORIANI, 20 Maji. Anno D. 1696.

M. FRANCISCUS PRZEWOSKI S. T. D.
Præpositus S. FLORIANI, Ordinarius
Librorum Censor.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis.

LUC. 21.

1. Vod evenire solet sub ultimum Parvi Mundi seu Hominis agonem; hoc Saluator prædicit fore in suprema magni mundi consummatione. Sicut enim, dũ homo in lethalem incidit morbum, varia quidem appropinquantis mortis præsefert indicia: ùt dum pectus raucos edens sonos intumescit; dum pulsus arteriarum deficiunt, sed præcipuè, dum oculi nebulosâ offunduntur caligine, tunc jam de vita ejus actum esse creditur. Ita hic magnus mundus, qui in maligno positus, mortifero peccati morbo iacuit oppressus, multis quidem ærumnis & calamitatibus est vexatus, quibus futura ejus fata denuntiabantur. Sed erunt patentiora signa, futuram ejus mortem portendentia; ut, cùm ingens maris pectus, tumens ac fervens horribilem edet sonum: cùm pulsus motusq́; cælorum deficient; præcipuè verò cùm illa duo clarissima mundi lumina, *sol & luna*, tetrâ *obscurabuntur* caligine (Matth. 24.); tum demum ultimus mundi conclamabitur interitus. Quod in cælo est sol, luna, stellæ; hoc in anima mea sunt memoria, intellectus, voluntas: in his ergo potentijs ponam tempestivè prognostica mortis meæ, & judicij Divini signa; ut morem geram illi, Spiritus S. monito: *memorare novissima tua & in æternum non peccabis.* (Eccl. 1.) *Vtinam sapiam, & intelligam, ac novissima providéam.* (Deut. 32.) *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* (Psal. 12.)

2. Venturus ad judicium universale DEus, bellicam quasi expeditionem, motumq́; publicum contra peccatores instituet: tunc enim

enim *armabit omnem Creaturam ad ultionem inimicorum; tunc pugnabit pro eo, orbis terrarum contra insensatos* (Sap: 5.) & sicut olim hostes Iosue, *Sol stans persecutus est radijs suis,* (Iosue 10.) tanquam sagittis; aut sicut stellæ *pugnauerunt in ordine suo, contra Sisaram;* (Iudic. 5.) ita tunc ingruente Iudicio, dimicabunt iidem planetæ contra peccatores, & *sument vindictam de nationibus,* (Psal: 49.) quod his creaturis abusæ sint ad offensam DEi; *per quæ enim quis peccat, per hæc torqueri debet.* (Sap: 11.) At verò etiam hæc pugna & vindicta non erit absq; misericordia Dei. Nam ideo ille tunc ponet in sole, & luna, & stellis, signa sua, tanquam vexilla, ac tesseras ingruentis prælij; ut peccatores ea tempestivè videndo, agant pœnitentiam, *& fugiant à facie arcus.* (Psal: 59.) *Nam nisi conuersi fueritis, ait* (Psal: 7) *gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum; & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Etiam nunc Deus ponit signa mei judicij, brevi venturi prænuntia. Quid sunt viri, doctrinâ rebusq; gestis illustres; nisi sol, luna, stellæ? dum ergo illos è vivis tollit, & interdum insperata morte; mihi dat signa in illis, quia & meus ex hac vita exitus, meumq; judicium similiter fiet.

3. Minatur per Prophetam Deus (Psal: 74.) *Ego cùm accepero tempus, justitias judicabo.* Exequetur istam comminationem, in die judicij. Omne quidem tempus est illius, quoad altissimum proprietatis Dominium; nunc tamen commodauit illud nobis, nostriq; juris fecit, ita, ut si velimus, possimus illo multa in partem nostram lucrari. Porrò horologia tempus hoc mensurantia sunt sol, luna, stellæ. Currunt perpetuò nunc ista horologia, voluunturq; continuò cælestes planetarum orbes, suppeditando nobis copiam hujus temporis fructiferi. Sed fiet aliquando finis, quo Deus hæc sistet horologia, suumq; tempus à nobis accipiet; quando sol & luna à motu suo cessabunt, juxta illud (Habac: 3.) *Sol & luna steterunt in habitaculo suo;* quando portentosis induta saccis agent pœnitentiam, quòd peccatoribus luxerint, tempusq; ministrauerint, sed ad offensam Dei. Et tunc Iustitia Divina appendet in sua statera non solùm peccata, sed etiam Iustitias nostras, examinando, quid desit, vel admistum sit illis. Quàm rectè nunc utendum est tam pretioso tempore è

quàm

quàm non fidendum bonis quoad ſpeciem operibus noſtris; quàm accuratè diſcutiẽda conſcientia? quàm ſuppliciter ac tempeſtivè à Iuſtitiæ tribunali, ad thronum Gratiæ appellandum.

FERIA II.

Areſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione, quæ ſupervenient &c.

1. IN ea ira, quam modò exercet in homines DEus, relucet quoq; clementia; nam ſicut oleum ſupernatat aquæ, ita *miſericordia ſuperexaltat judicium*; ſcilicet quoad opera Deo extranea. Illa verò ultima judicij dies videbitur miſericordiam quaſi ſubmergere, & ira Dei ſupernatare, mirumq; in modum ſplendeſcere, ita, ut ad illam debeant trepidare cæli, & ſtare veluti attoniti planetæ. Si ergo *Columnæ cæli contremiſcunt*, & ad nutum iræ Divinæ pauent, quid mirum, quòd virgulta præ timore areſcant? Si expaveſcunt leones, quidni Catuli timeant? Turbatis ac tremefactis ſuperioribus, turbantur ac tremefiunt inferiora. Conſidet ad menſam Regijs inſtructam dapibus Damocles, neq; tamen illas tangit, ſed mæret, & anxius proſpicit ſurſum, timens, ne ſuſpenſus tenui filo gladius repentè decidens, caput ejus feriat. Quidni homines turbentur, *& præ timore areſcant*, dum videbunt minantem ſuis iugulis, Iuſtitiæ Divinæ gladium. Implebitur tunc vaticinium Davidis dicentis: (Pſal: 9.) *Cognoſcetur Dominus judicia faciens.* Non agnouiſti Deum clementem ac miſericordem; agnoſces ſanè judicantem & ulciſcentem. Nam ſicut homines irâ perciti, ita ſolent iactare ſuas minas: Faciam, ut me agnoſcas: Sic etiam Deus minatur impio: Cognoſces me iudicia facientem, qui noluiſti cognoſcere miſericordiam præſtantem. Agnoſco mi Deus manum tuam beneficam, eamq; adoro & oſculor, ſed bonitate tua poſthac abuti nolo.

2. Exprimitur hîc egregius timoris fructus, ſi tamen opportunus. Quia nimirum, eſto mundus pridem in ſe aruerit, in *cordibus tamen hominum, viret adhuc, floretq;*, ut ait S. Gregorius. tunc

autem, quando præcedent horribilia portenta ante ingruens jam Iudicium Dei, etiam in cordibus hominum arescet mundus; *ipsis hominibus præ timore arescentibus.* (Lucæ 21.) Nam tunc primum homines flocci facient vanitates mundanas; pompas vestium, magnificentiam urbium, pulchritudinem formarum, auri argentivè fulgorem, nitorem gemmarum, sublimitatem honorum, titulorum amplitudinem. Tunc primum erronea corrigent iudicia, & ita sentient de rebus, prout ipsæ postulant. Transitorias & sublunares contemnent; æternaturas verò & cælestes valde æstimabunt; quidni & ego tempestivé cum Apostolo dicam: *omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* (ad Philip: 3.) quidni cum S. Ignatio exclamem: *Quàm sordet mihi terra, dum cælum aspicio?* Vtinam præ timore Iudicis Dei, omnis in me arescat vanitas, utinam totus malitiæ succus exsiccetur; utinam igneus concupiscentiæ extinguatur vapor.

3. Optimus Pietatis custos est Timor extremi Iudicij, sicut enim, cùm Rex intentos habet oculos supra mores Ephebororum suorũ, non audẽt illi insolescere, sed facilè se ad modestiam cõponũt; ita memoria judicij Divini refrænat hominis licentiam, & efferatas ejus passiones accommodat, subiicitq; legi Divinæ. Prout de se testatur Iustus Iob. (Cap: 9.) *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti!* Et (cap: 3.) *Semper ego Deum tanquam tumentes super me fluctus metuebam. Leo rugiet, quis non pavebit?* (Amos 3.) Certè ad rugitum leonis, lepusculi ita attoniti obstupescunt, ut se movere loco non possint. & ad sonitum accipitris perticæ insidentis, perdices coturnicesq; ita subsident, ut patiantur se vivas manu capi. Prædicante Iona (cap: 3.) subuersionem Ninive, Rex omnisq; populus cilicio indutus, & aspersus cinere, in stricto pœnitentiam egit ieiunio. *Confie timore tuo carnes meas, ut à mandatis tuis timeam.* (Psal: 11.) *Timete Dominum omnes Sancti ejus; quoniam nihil deest timentibus eum.* (Psal: 37.)

FERIA III.

Virtutes cælorum movebuntur.

1. Con-

1. COnstat ex Philosophia, quòd intelligentiæ motrices, seu Angeli, assistant orbibus cælestibus & Planetis; eosq; motu ordinato gyrent. Verùm ingruente jam judicij die probabiliter cessabit hæc motio, Angeli enim iubebuntur comitari Regem suum euntem ad judicium: unde ipsi orbes cæleſtes à priori impetu agitati, sine debito ordine mouebuntur huc & illuc; sicut quævis rota perturbatè moueri solet, si ordinatus motoris impulsus intermittatur. Atq; hoc innuere videtur S. Petrus, cùm ait: *cæli magno impetu transient,: & elementa nimio calore soluentur.* (2 Pet: 3.) Vnde fiet, ut etiam inferiora, quæ teste Philosopho, à superioribus reguntur, absq; congruo debeant moueri ordine. Quamdiu nobis specialis Gratia Dei assistit, quamdiu nos mouet, regit, gubernat; tamdiu actiones nostræ currunt ordinatè, & sensus rationi subsunt, & ratio legi Diuinæ; sed ubi paululum manum suam Deus amouerit, auxiliumq; speciale subtraxerit, statim omnia perturbantur, prout fatetur Psalmista (cap: 29.) *Auertisti faciem tuam & factus sum conturbatus. Obsecro Domine da mihi sedium tuarum Assistricem Sapientiã* (sap:9.) quæ mecum sit, mecumq; laboret; ne cogar cum Propheta dicere. (cap: 29.) *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor. Auertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* Et (Psal: 37.) *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non est mecum.* Etiamsi fuerim Samson, si tamen Spiritus tuus recesserit à me, debilis fiam, & ero ludibrium Philistinorum, cæco impetu præceps, de peccato in peccatum ruens, donec peream,

2. Per virtutes cælorum possunt hic intelligi Spiritus Angelici. Sicut ergo, quando Rex aut Præses Iudiciorum procedit ad Tribunal, comitatur eum corona Assessorum & ministrorum, quorum obsequio justitiam administret, & decreta sua exequatur, ita cùm Christus progredietur ad iudicandum orbem, non solus comparebit, sed stipatus innumero Angelorum exercitu, qui ad exemplum sui Regis, carnem visibilem induti, tum faciem ejus præcedent, tum Regiam comitabuntur majestatem. tum ut sint testes, quantis beneficijs Deus affecit Hominem, rum ut sint collaudatores bonorum operum ab homine factotum; tum ut sint administri Iustitiæ Divinæ; segregando a-

gnos ab hædis, justos ab injustis; tandem damnatos ad carcerem inferni detrudendo, prædestinatos verò ad cæli palatia, cum triumpho ac jubilo deducendo. O Angele mi Custos, o Angeli Præsides officiorum, quæ in Religione gessi, agnoscite me tunc pro vestro, suscipite in tutelam ac æternum patrocinium, ut unà vobiscum conscendam cælestem arcem, ubi Deum meum *facie ad faciem videam*, & collaudem.

3. Nulla in humanis reperitur sanctitas adeo stabilis & firma, quæ tentatione & persecutione non possit moueri ac euerti. Etiamsi videatur esse Virtus cælestis è cælo recens delapsa, incorruptibilis, nonnisi in cælo reperibilis, cælo inferenda, coronanda sideribus; quamdiu tamen in hac mortali carne degit, non est illi fidendum. *Si Deus in Angelis suis*, immunibus à terrenis illecebris, *reperit prauitatem*? (Iob: 4.) nunquid eam in hominibus reperire non potest? Si Propheta miratur casum Luciferi: (Isai: 14.) *Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris, detracta est usq; ad inferos superbia tua.* an non metuendus est casus homini fragili, & procliui ad omne malum? *Si cæli non sunt mundi in conspectu ejus*: (Iob: 15.) quantò magis vasa lutea? En clamat euangelium. *Virtutes cælorum mouebuntur.* (Lucæ 21.) Venit tempus, ut contra fideles ab Antichristo tanta excitetur persecutio; ut ij, qui firmissimæ Virtutis videbantur, deficiant à fide & recedant ab Ecclesia vera, in æternum perituri. Veniet dies, quâ etiam justitiæ iudicabuntur, etiam intentiones, intensiones, durationes, modi actionum alioquin piarum discutientur. Væ tunc, laudabili etiam vitæ, si Deus remotâ misericordiâ eam discutiat. *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt.*

FERIA VI.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & majestate.

1. ETiam nunc habet candidam nubem Christus, de qua dictum est (Iob: 20.) *nubes latibulum ejus*; quâ ille circumdatus venit ad nos, tanquam Deus absconditus. Quid enim sunt

sunt Eucharisticæ panis & vini species, nisi nubes, quæ illius majestatem velat coram oculo nostro, ne illam claré intuendo; fulgore ipsius perstringatur? ne audacter scrutando, *opprimatur à gloria.* (prover: 25.) Beati tamen Fidei nostræ oculi, qui licet velati, vivaciter penetrant ad absconditam & latentem sub hac nube Deitatem, Felices illi sensus, qui potestatem ejus sentiunt, admirantur splendorem; magnificentiam adorant, dignitatem & excellentiam venerantur. O Domine veni in animam meam, exere Potestatem tuam, & contrarias vitiorum mihi dominantium Potestates expugna, eijce, elimina. Adoro tuam majestatem, hîc reconditam, & clamo: *Verè mirabilis tu es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* (Ester 15.)

2. Iam tunc Filius hominis non erit Deus absconditus, ut in primo adventu; sed manifestè *veniet Deus noster & non silebit;* (Psal: 49.) jam non solùm *in Iudæa notus erit Deus, sed uidebit omnis caro salutare Dei.* (Psal. 97.) Neq; enim veniet dissimulanter & obscurè, alienam personam simulans, sed detectus, & uniuersa curiâ cælesti circumdatus, insidens nubibus, tanquam earum Dominus, & Divinis mentibus honorificentissimè stipatus. Et qui in primo adventu habitus fuit, ut *vermis & non homo,* (Psal: 21.) & quasi vermis conculcatus & protritus, factus opprobrium *hominum & abiectio plebis,* perditissimo Barabbæ posthabitus, & inter sceleratos computatus, & ab omnibus ignominiosè despectus; in secundo adventu nunc supremus omnium Iudex ac Dominus existens, ut singulari veneratione ab omnibus colatur. Rationi namq; consentaneum est, ut sicut Christo palam fuit ablatus honor, ita eidem in conspectu omnium hominum & Angelorum restituatur. ut cuncti agnoscant, quis & qualis fuerit iste homo, quantæ dignitatis, & sublimitatis. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere honorem, virtutem, gloriam & benedictionem.* (apoc. 5.) Ne auferas illi o anima mea debitum honorem, ne illum deinde cogaris cum rubore restituere.

3. *Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem vestrum in diademate.* Reviviscite o justi, & videte, istum hominem, quem præ omnibus dilexistis, in quo uno spem omnem positam habuistis, cujus verbis tribuistis fidem, cujus causâ, corpora vestra cruciatibus

ac tor-

ac tormentis obiecistis, jejuniis, vigiliis, & voluntaria mortificatione macerâstis, pecuniam ad sublevandam pauperum inopiam profudistis, aliisq; honestis ac præclaris operibus diligentissimè studuistis. Egredimini Religiosi, & videte Christum JESUM, cujus gratiâ mundo renuntiâstis, quem præ omnibus fluxis ac perituris divitijs & voluptatibus, miro quodam amore prosecuti estis. Vobis enim hoc spectaculum erit amænissimum; vos, aspectus, hujus aduentantis Regis mirificè exhilarabit. Sed quanto tunc rubore suffundentur homines flagitiosi, cùm eum Dominum ac Iudicem esse agnoscent, quem dum viverent, nulla ratione sunt reueriti, sed nihili eum ducentes, ejus leges impudenter violârunt. Quo illum tunc oculo conspicient, Caiphas, Herodes, Pilatus, &c. quo deniq; omnes scelerati & perditi homines, qui dixerunt: *nolumus hunc regnare super nos.* Luc: 19.)

FERIA V.

His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra, quoniam approp. Redemp. V.

1. NOn est expectandum, donec invalescat tentatio, ut vires sumat; nam tunc cum magna superatur difficultate: nam sicut fluvius, quò longiùs progreditur, eò ampliori & profundiori alveo manat: & arbor quò ampliùs crescit, eò duriori cortice vestitur: ita tentatio seu tribulatio. Statim ergo, cum illa incipit, recurrendum ad Deum, implorandum è cælo auxilium. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* (Psal. 120.) *Deus in adjutorium meum intende &c.*

2. Ordinariè sub gravi pondere caput demittimus. Temporibus Antichristi grande incumbet onus persecutionis, fidelibus Christianis; debebunt ergo sub hoc onere, demissis incedere capitibus; donec illis dicatur: *Levate capita vestra.* (Lucæ 21.) Et modò tentationes, nihil aliud agunt, quàm inclinant hominem ad terram & serpere eum cogunt per desideria terrena; sed erigendum est pectus, cælum versùs; respicienda præmia æternæ

æterna, levandum caput ad sperandam illam coronam, quam Deus victori appromisit. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* (2. ad Thi. 2.) *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave, gravatæ sunt super me.* (Psal: 37.)

3. Hæc modò est differentia, inter homines seculo deditos, & pietatis cultores, quòd illi erectâ cervice incedant, alta de se sentiendo, alios despiciendo, sublimia quæq; prospectando, sibiq; pollicendo: hi autem nunc incedunt demissis capitibus, egentes, angustiati, humilem de se opinionem circumferendo, nihil nisi sepulchrum inspectando, & se pœnis inferni dignos arbitrando. Sed *veniet tempus,* ut illi cristas suas demittant, nec sperent cælum, sed metuant infernum. Hi è contra erigent mentes & corda, ad mercedem supernam. quæ *sursum sunt, sapient, non quæ super terram.* (ad Colos: 3.) *Ascensiones in corde suo disponent; ibunt de virtute in virtutem, donec videant Deum in Sion.* (Psal: 83.)

FERIA VI.

Videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt jam ex se fructum, scitis, quia prope est æstas.

1. NOn solùm ex signis, quæ comparebunt in cælo, in sole, luna, stellis, iubet nos Christus conijcere brevì adfuturam judicij diem; sed etiam ex ijs, quæ visuntur in terra, ut ex ficu, alijsq; plantis & arboribus, foliisq; illarum, persuadet id esse conjectandum. Nam nulla res adeò est contemptibilis & abjecta, ex qua homo, si velit, non possit insignem animæ fructum referre, & mente ad Deum, resq; Divinas contemplandas elevari. Et ita S. Antonio totus mundus, erat liber grandis; jam autem Creaturæ etiam viles, erant velut literæ, seu characteres, qui ei denotabant, Bonitatem, Sapientiam, Omnipotentiam Divinam. Etiam S. P. Ignatius, ex aspectu unius floris aut vermiculi, mente ascendebat in Deum, & intensis erga illum exardescebat affectibus. Etiam mihi talem scalam construe Domine, per quam ad te ascendam,

2. Cùm primi Parentes nostri peccâssent, recurrerunt ad folia

ficûs, quibus nuditatẽ ſuam tegerent: quod autem exteriùs agebant, hoc intùs operari conabantur, conſcientiam factumq́; ſuum rationibus fictis palliando. Nam Adam reijciebat culpam in Evam, & Eva in ſerpentem; ſe ipſos autem operire volebant, ne viderentur ab oculo Dei. Sed fruſtra, agnovit illas Deus vanas & futiles tanquam folia ficûs. Hinc & modò admonet omnes peccatores. (Matt: 24.) *Videte ficulneam, cùm producit ex ſe & folia & fructum;* quaſi diceret: Omnes prætextus, quibus vultis abſcondere & celare facta veſtra, ſunt folia ficûs; fruſtra ad illa refugitis; omnia ſunt nuda & aperta oculis meis.

3. Arefecerat Dominus infructuoſam ficum, quæ foliis abundabat, ſed carebat fructu, eſto illos verno tempore haud dubiè promittebat. Iubet ergo nos hanc ficum intueri ac diſcere; nõ illum ſalvandum, qui pulchris verbis Deum alloquitur, nam folia hæc ſunt: aut qui magnifica facit propoſita; nam & hæc ſunt ſolùm Embriones & inchoamenta fructuum; *non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in cælum, ſed qui facit voluntatem Patris mei.* (Matt: 25.) Fatuæ Virgines ſponſum appellabant Dominum, *Domine Domine aperi nobis;* (Matth:25.) & tamen ad nuptias non ſunt admiſſæ; quia lampades habebant, ſed bonorum operum carebant oleo. Ille ergo ſolùm ſecurus eſſe poteſt vitæ æternæ, qui fructum bonorum operum uſq́; ad æſtatem profert & conſervat; æſtas autem eſt ferviditſimus Iudicij Divini dies. O Domine hactenus ego eram ficus infructuoſa, arida, mortua, digna exſcindi, & in ignem æternum mitti: ſed ſi tua acceſſerit benedictio, quam humillimè mendico, adhuc poteſt reflorescere, & fructum dare in ſuo tempore. *Ergo illam adhuc dimitte hoc anno.* (Lucæ 13.)

SABBATO.

Cùm videritis hæc fieri, ſcitote, quoniam prope eſt Regnum Dei.

℣. DUm Præcurſor Chriſti S. Ioannes Baptiſta, diem Iudicij prædicaret illis verbis: *Genimina viperarum, quis demonſtravit*

pravit vobis fugere à ventura ira? (Lucæ 3.) *Securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur.* Verba ipsius tantùm apud Auditores valuerunt, ut accederent ad eum Publicani dicentes: *Magister quid faciemus?* Veniebant etiam milites Romani, qui Divinis honoribus idola sua prosequebantur, ac identidem dicebant: *Quid faciemus, ut fugiamus à ventura ira.* (Lucæ 3.) Ijsdem verbis & mihi utendum est, dum audio verba Christi, Iudicium illud horrendum interminantia; *Scitote,* inquit, *quia prope est Regnum Dei,* (Lucæ 21.) modò quidem veni contemptus, despectus, novissimus virorum, *vermis & non homo* (Psal. 21.) *cui non erat aspectus neq; decor.* Sed brevi ad judicium veniam, in majestate regia, cum Assistentia terribili, cum ineffabili gloria & honore. Hæc inquam Christi verba sunt mihi trutinanda & ruminanda, nisi mens mea, à sua sede & loco emota planè desipiat. Hunc finem spectat Ecclesia, hæc nobis verba intimans, ut nobis consulentes, nobiscum consideremus, quidnam facturi simus, ut pertimescendam Dei iram declinemus.

2. Decreverat optimus Deus, (Gen: 41.) copiosam per 7. annos dare toti AEgypto frumenti abundantiam; tum deinde per alios 7. annos, magnam rei frumentariæ immittere tũ AEgyptò, tum tòti mundò egestatem. Fecit participem hujus consilij sui Pharaonem, ostendendo illi per somnium, primò 7. vaccas pingues, deinde alias 7. macilentas, à quibus priores absumptæ sunt; tum 7. aristas plenas, postea alias 7. vacuas, à quibus item priores fuerunt consumptæ. Exposuit hoc somnium Ioseph, per vaccas & aristas pingues, interpretando annos fertilitatis; per macilentas verò, annos sterilitatis. Quomodo autem sunt usi hâc scientiâ? Practicè. Nam per 7. annos fertilitatis, tantam frumenti copiam collegerunt, ut sufficeret ad sustentandos sterilitatis annos. En Dei decretum est, ut in hac vita, habeamus omnem copiam gratiarum & auxiliorum cælestium. Nunc viget Sacramentorum usus; nunc oratio, ieiunium, eleemosyna, mortificatio prodest; *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (2. Cor: 6.) Nunc dies est, in qua sol justitiæ lucet nobis, & cuivis licet meritoriè operari. *Veniet nox, in qua operari non*

licebit (Ioan: 9.) Veniet tempus ſterilitatis, in quo carebimus uſu horum ſubſidiorum. Prædicit hoc Saluator monens, tum per apparitiones ſolis, lunæ, ſtellarum, virtutum cæleſtium; tum per ſuam interpretationem & applicationem: *Cùm videritis hæc fieri, ſcitote, quia prope eſt Regnum Dei.* (Lucæ 21.) Hâc igitur ſcientiâ & notitiâ, utendum mihi eſt ad ſalutem; congregandi meritorum cumuli, quàm maximi; conſervandum & quàm utiliſſimé impendendum tempus; ut mihi in ſterilitate bene ſit.

3. Dum Auceps nititur aliquam avem venari, illiq; mortem inferre, eâ utitur induſtriâ, ut priùs illi vulnus infligat, quàm aucupis audiatur ſtrepitus. Qui verò avem aucupari & perimere negligit, clamorem tollit, vocibuſq; ac ſtrepitu illam fugat & abigit. Ita Servator generis humani, quia *non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat,* (Ezech: 33.) excitat nos clamoribus, planetarum ſtrepitu, ſonitu aquarum, maris fremitu, fugam nobis amiciſſimè ſuadet. Prædixit hoc, (Pſal: 59.) *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus, & liberentur dilecti tui.* Arcus DEi contra te diſtentus eſt. *Arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis.* (Pſal. 7.) Si te vellet lethaliter vulnerare, non præmoneret te, ſed vulneraret citiùs, quàm tu putares. Clamat nunc, præmonet; *Scitote; quia propè eſt, ut fugias à facie arcûs.* (Pſal. 59)

DOMINICA II. ADVENTVS.

Cùm audiſſet Ioannes opera Chriſti in vinculis.

Matth: 11.

1. QVid eſt? quòd Ioannes vir juſtus & Sanctus, teneatur in vinculis impiorum? Non eſt alia cauſa, niſi, quia eſt vir iuſtus & Sanctus. Dum acre geritur bellum inter duas Ciuitates, continuò hinc & inde habentur Captivi. Ab initio mundi duæ ciuitates diviſæ ſunt, Hieruſalem & Babilon. Statim ergo in duobus Adæ Filijs pugnatum eſt; & ſtatim ex utroq; exercitu captivi fuêre. Gerit bellum Cain contra Abel, Iſmàél contra Iſaac. Quomodo ergo tunc is, qui ſecundùm carnem

nem erat, persequebatur eum, qui erat secundùm Spiritum: ita & nunc. Quia verò Ioannes erat Civis Hierusalem, mente & corpore purissimus, Angelus terrestris: Herodes autem cum suis assecIis erant Filij Babilonis; ideo hi bellum indixerunt Ioanni, dicentes: (Sap: 2.) *Circumveniamus iustum, quoniam est contrarius operibus nostris, & diffamat in nos peccata Legis*; hinc illum ceperunt & conjecerunt in vincula. *Ioannes in vinculis.* Discam à Ioanne, quibus armis debeam dimicare contra mundanos; nimirum humilitate, patientiâ, modestiâ, affabilitate, continentiâ, veracitate. Non feram ægrè, si aliqua mihi molesta & aduersa ab hominibns contingant; tale illornm est ingenium, virtutis cultores persequi. *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* (Ioan 3.) dicit supremus Dux militiæ nostræ.

2. Postquam constrictus Herodianis vinculis Ioannes inaudiit mirabilia Christi opera, singularem inde in sua pressura consolationem accepit. Si enim clausus adhuc materni uteri carcere, præ lætitia exiliit, ubi Christum conspexit ad se adventantem: certè etiam Herodiano concluSus ergastulo, mirâ perfundi lætitiâ debuit; cùm fama operum Christi ad eum penetravit. Nam iucundum homini est, bona quæq; audire de illo, quem tenerè & unicè amat. Hinc etiam Ioannes non dicitur constrictus vel compeditus vinculis, sed in vinculis; quasi ab ijs non constringeretur: quia nimirum præ gaudio non sentiebat rigorem vinculorum. *Non contristabit iustum, quidquid illi acciderit.* (Prov: 12.) Nunquam enim illum Deus relinquit in tribulatione absq; solatio. Ioseph in carcere Divinas habuit reuelationes. Daniel in lacu leonum allato, prandio mirè fuit recreatus à DEO. Petrum in carcere Angelus invisit, & inde solutum vinculis liberum eduxit. *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione.* (2. Cor: 1.)

3. Non ita fuerunt illustres Ioannis virtutes, in media Regiæ Herodianæ luce, atq; in horridis ergastuli tenebris. Sublimior eminet in vinculis, dum vexatur ab Herode in carcere, quàm dũ ab illo in Regia honoratur. Nam virtus, per labores & tribulationes inclarescit magis. Ita innocentia Iosephi melius patuit

ex carcere: manſuetudo Davidis valdè enituit in perſecutione Saulis, Semei, Abſalonis. Patientia Iobi eluxit in fimo. Altiùs extollunt labores & perſecutiones, quàm fauores humani. Non alio balteo præcingit, nec alia lauru milites ſuos Chriſtus coronat, quàm afflictionibus & perſecutionibus. Vincula, compedes, manicæ, ſunt monilia & clenodia, quibus Chriſtus ſponſas ſuas adornat. Ergaſtula & carceres ſunt thalami, in quibus cum illis iucundatur. Gladii, ſecures, equulei, rotæ, ſunt munera ac donaria, quibus illos devincit ſibi & ſecum adunat. Porrò quia veritatis Prodromus adulari neſcivit, conjectus eſt in vincula & carcerem. Non ita cum illo actum fuiſſet, ſi iuxta adulantium ingenium, dicenda tacuiſſet & protuliſſet tacenda. Non tantùm tamen illi profuiſſet Herodis fauor & clementia, quàtùm profuit furor & crudelitas.

FERIA II.

Mittens duos de Diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es &c.

1. COnjectus in vincula Ioannes, non propria commoda curat, non accerſit propinquos & amicos, non adhibet illos ad Herodem interceſſores, ut liberetur è carcere, ut gratia Regis potiatur, ut evehatur ad honores: ſed infracto animo promovet bona ſpiritualia, notitiam Chriſti conatur Diſcipulis ingenerare, nomenq; ipſius illuſtrare. Quia etſi corpore tenebatur in carcere; anima tamen manebat in cælo; etſi manus & pedes ejus vinciebant catenæ; mens tamen erat liberrima, ſuiq; plenè Domina. Da mihi etiam, *DEVS meus*, tam generoſam animi libertatem, ut non ſolùm inter proſpera, ſed etiam aduerſa, non ad meas commoditates aſpirem, ſed propagandæ nominis tui gloriæ unicè intendam.

2. Vbi Ioannes opera Chriſti à Diſcipulis referri ſibi audiit, cognovit ſimul eos, aliquâ laborare invidiâ, quòd majorem famam haberet Chriſtus, quàm illorum Magiſter Ioannes; quòd plures Chriſtum ſequerentur, quàm Ioannem. Volendo ergò hanc in-

hanc in illis restinguere invidiam, mittit duos ad Christum, ut oculis suis experiantur, qualia sint ipsius facta, qualia miracula; hinc autem ut intelligant alioqui; certificent, ipsum esse verum Messiam. Verebatur enim, ne se occiso & mortuo, facerent Schisma à Christo, præponentes illi Ioannem veluti magistrum suum; sed potiùs curabat, ut omnes transirent ad Christum. Qui sincero corde diligit DEVM, non suum sed Divinum promovet honorem. Non patitur justus, ut aliùs sui causâ debito privetur honore. *Charitas non agit perperam, non æmulatur, non quærit, quæ sua sunt.* (Cor 13.)

3. Mittit Ioannes Discipulos suos ad Christum; ut ab eo illuminentur. Sed nunquid ipse Ioannes non potuit eos instruere de Christo? Potuit quidem; sed hoc facto innuere voluit; imprimis neminem sufficienter posse agnoscere DEum absq; DEo; ipse enim est Dux, ipse Præceptor Gentium. *Sine illius numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.* (Prosa Eccl.) *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* (Psal: 126.) *Sine me nihil potestis facere.* (Ioan: 15.) *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* (qualis est notitia DEI) *desursum est, descendens à Patre luminum.* (Iaï: 1.) Deinde videbat suos discipulos nimiùm esse tristes de vinculis sui Magistri, & valdè solicitos de periculo vitæ ipsius. Ergo illum remittit ad Christum, ut ab illo in sua afflictione caperent solatium: nos verò admoneret, quonam sit recurrendum, pro impetrando in aliqua necessitate subsidio, & à quo expectanda solida consolatio?

FERIA III.

Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?

1. NOn solum in vinculis, sed etiam antea, benè Ioannes audiêrat mirabilia Christi opera, ùt conuersionem aquæ in vinum, repentinam vocationem Apostolorum, &c. viderat etiam Spiritum S. columbæ specie super eum descendentem; neq; tamen illum tunc interrogabat: an esset Christus? Sed post multa Christi opera & miracula patrata, ut ostenderet quòd

magnalia

magnalia Dei nobis conceſſa, non quovis tempore, non cuivis propalanda ſint; id ij; non ſine gravi cauſa, & cum magna animi modeſtia, nec multùm nobis fidendo. Vt inſuper doceret, quod mors jam jam imminens aperiat nobis oculos, ut melius perſpiciamus media ad ſalutem conducentia, eorumq; neceſſitatem; quòd mors acuat diligentiam noſtram, ut, quòd antea remiſsè curabamus, hoc deinde accuratè ſectemur. *O mihi præteritos reuocet ſi Iuppiter annos. In fine motus velocior. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* (Iſaiæ 38.)

2. Cùm Ioannes interrogat de Chriſto, non ideo hoc fecit, quaſi ipſemet dubitaret. Benè ille Chriſtum noverat, quem maternis adhuc inuolutus viſceribus, exultans veneratus fuerat, quem baptiſare ùt indignus recuſaverat, quem Agnum Dei tollentem peccata mundi appellaverat & moſtraverat digito. Hæc igitur dubitatio proueniebat ex charitate Ioannis de profectu diſcipulorum ſolicito, quorum ignorantiæ quia volebat conſulere, ideo ipſe non timuit ignorantiæ argumentum, & in ſcientia Chriſti haberi Tyro. Planè id Ioanni contigit, quod amantiſſimo Patri, qui, ut puerum loqui doceat, ipſemet efficitur puer cum puero, & verba puerorum profert, ut paulatim Filius diſcat loqui; ſic Ioannes cum rudibus & dubitantibus diſcipulis, & ipſe quaſi dubitat, ut ſic eos diſcere faciat. Perfecta charitas novit hæc omnia operari; prout faciebat Paulus, *qui omnibus omnia factus eſt, ut omnes lucrifaceret.* (1. Cor: 9.) Sapientibus & inſipientibus debitricem ſe exiſtimat charitas. Et (1. Teſsal. 2.) ait: *Facti ſumus parvuli in medio veſtrùm, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos. Aufer à me Domine cor lapideum, & da mihi cor carneum, molle, docile, flexibile,* (3. R.: 3.) quod norit ad infirmitates proximi declinare. Non ſim abundans ac durus in ſenſu meo.

3. Tanti momenti res erat, Deum Hominem fieri, tamq; mirabilis, ut oportuerit innumeris eam confirmari teſtimonijs in ordine ad credendum. Annuntiatur à Prophetis & Sybillis, tot adumbratur figuris, hæc tamen omnia non erant ſatis. Veniat Ioannes ejuſdem veritatis fideliſſimus teſtis, omni exceptione major. Interroget palam: (Matt: 11.) *Tu es, qui venturus es, an*

aliuꝫ

alium exſpectamus? acſi dicat: Tu ſolus es expectatio Gentium, fruſtra alium expectamus, fruſtra alij fidimus, fruſtra in rebus alijs collocamus ſpes noſtras. Sed neq; hoc ſatis eſt. Veniat Chriſtus, & innumeris operibus hanc veritatem palam faciat. Sed neq; id ſatis eſt, ut tanta res credatur, ùt oportet, niſi Deus interiori lumine ad ſe trahat hominem ut credat. *nam fides eſt donum Dei* (Sap: 3.) Quia ergo hoc donum Ioannes diſcipulis dare non potuit, ad Chriſtum illos mittit, à quo illud recipiant. Quanti ergo momenti eſt Fides Catholica, quâ me DEus præ tot alijs illuminavit. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit ei.* (Pſ: 147.) Filum ſalutis meæ ultimò à manu Dei gratioſa dependet; licet ejus ſeries per multas eaſq; diſparatas rerum viciſſitudines decurrere videatur.

FERIA IV.

Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.

1. NOn reſpondet Chriſtus directè: *Ego ſum.* Sed ſolùm opera mirabilia à ſe, facta enumerat; quia hic eſt modus loquendi & reſpondendi Divinus; non verbis, ſed factis loqui. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* (Pſal: 32.) Natura enim uniuſcujusq; rei per proprias operationes cognoſcitur. Vides animal ratiocinari, & dicis: Homo eſt. Audis aliquid mugire, vel rugire, & dicis: bos aut leo eſt. ita cùm ille ſit DEus, *qui facit mirabilia magna ſolus,* (Pſal: 71.) virtute propriâ; manifeſtum eſt, Chriſtum eſſe DEum, qui tot mirabilia operatur, quæ hic ab illo recenſentur. Præſertim ſi attendas ad illorum multitudinem, magnitudinem & modum patrandi; quia illa patrabat ſolo nutu & imperio tanquam Dominus Creaturæ. Sicut ergo non verba ſed opera fuerunt ſignum Salvatoris, ita ſignum ſalvandi debent eſſe opera, *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & Electionem faciatis,* (2. Petri 1.) Filios DEI præclara opera oſtendunt. Profiteor me eſſe Socium JESU; non verbis ſed operibus, hoc mihi probandum.

2. Gloriabatur Iob (c. 29.) Suis hisce miraculis. *Oculus fui cæco, pes claudo, pater pauperum*; quia nimirum, misericordiâ suâ, prout poterat, eorum sublevabat miseriam. Verè hoc totum in omni rigore Christus præstitit; dum per eum *cæci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt &c.* (Luc: 7.) Hæc sunt maxima hominis Christiani ac Religiosi miracula, hæc præcipua justorum signa, opera Charitatis. *In hoc*, ait Magister cælestis, (Ioan: 13.) *Cognoscent vos meos esse discipulos, si dilectionem ad invicem habueritis.* De his signis in ultimo judicio, rationem DEo reddituri sumus. De his prodigijs dictum (Prov: 30.) *Laudent eam in portis opera ejus.* nam in Porta judicij, anima fidelis laudabitur à suis operibus. Vocationi meæ, necesse est, consentiant opera.

3. *Pauperes Evangelizantur.* Mira locutio. Nam qui dixit: *Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, mortui resurgunt, leprosi mundantur*, restare videbatur? ut proportionatè diceret: *Pauperes ditantur.* Vt nimirum ipsis, sicut cæteris, de quibus egerat, eam opem, quâ indigebant, ferret: & tamen stylo mutato, potiùs inquit: *Evangelizantur.* Quare? Tum quia de beneficijs mundo collatis agens, noluit inter illa connumerare divitias, ùt potè, quæ sunt magnum ad capienda & assequenda bona æterna impedimentũ. *Nam facilius est per foramen acûs, intrare camelum, quàm divitem in Regnum cælorum.* (Matt: 19.) Hinc ipsemet Christus non divitias, elegit, sed arctam paupertatem, totâq; vitâ suâ eam sectatus est. Tum quia, Fides & doctrina Evangelica sunt magnus ille thesaurus, de quo dicitur. (Matt: 13.) *Simile est Regnum cælorum thesauro abscondito in agro*: Est margarita illa pretiosa, de qua: *Simile est Regnum cælorum quærenti bonas margaritas.*

FERIA V.

Quid existis in desertum videre, Arundinem vento agitatam? Hominem mollibus vestitum?

1. AD sublime perfectionis culmen ascendit Ioannes in hoc deserto, cujus facit Christus mentionem. Nam ibi à terrenis illecebris alienus, à parentibus & cognatis abstractus, inter

inter perpetua incommoda, inter famem & sitim seminudus, sub aperto cælo, cælestem prorsùs & Angelicam vitam duxit. Vocatio mea, statusq; meus Religiosus, desertum est, ad quod Deus vocat veros Israëlitas, dicens: *Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* (Exodi 5.) Terret quidem prima fronte asperitas hujus deserti, horridam & incultam virtutis viam præsefert; non desunt hîc tentationum feræ, cum quibus est dimicandum, non deest persequens Pharao. Sed his non credendum nec cedendum. Nam licet exteriùs ita se res habent, interiùs tamen latet pax multa, *pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum.* (ad Phil: 4.) hîc enim est columna, hîc via ad terram promissionis ducens, hic manna cæleste, hîc dulcior melle aqua de petra, hîc modicùm laborabis in opere ipsius, & multam tibi invenies requiem.

2. Vita Christiani hominis opposita est arundineto; hoc enim exteriùs videtur aliquid pulchrum & solidum; sed intùs est quid vacuum & inane; ideoq; facilè movetur, fluctuat, inflectitur, frangitur; Christiani verò proprium est, exteriora despicere, interiora seriò curare idq; constanter, immobiliter, imperturbabiliter. Atq; talis fuit Christus, nihil grande doforis præferens, intùs tamen omnia plena & solida habens. Talia quoq; pro usu nostro instituit Sacramenta, quæ si exteriùs aspicias, nihil nisi aquam, nisi species panis, & vini videbis: intús tamen hæc plena sunt altissimis ac divinis mysterijs. Talis quoq; fuit vita Ioannis, exteriùs pauper, ieiuna, lacera, afflicta, sed intùs delicijs cælestibus affluens. Poterat de illa dici: (Ps: 44.) *Omnis gloria filiæ Regis ab intùs. Et: nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* (Can: 1.) Arca DEI exteriùs cilicinis operta erat, intùs verò omnia pulcherrimo auro splendebant. Talem te o anima mea exhibe DEo tuo.

3. Vita delicata & mollis, procul debet esse à religioso, hic enim debet esse imago Christi Crucifixi; *mortificatus carne, vivificatus autem Spiritu; stigmata illius in suo portans corpore;* (ad Gal:6.) ut docet S. Paulus. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis.* (ad Gal:5.) Qui delicatè nutrit servũ suũ, postea sentit eum contumacem; ita & qui delicatè corpus suum

tractat. Licet Samson adeò fortis fuerit, ut leonem discerpserit, & mandibulâ asinæ, mille peremerit viros; quia tamen tradidit se blanditijs, & in sinum Dalilæ reclinavit caput, ibi ablata est fortitudo ejus, ibi ligatus est, & servus factus Philistinorum. (Iudic: 16.) Ita si Spiritum nostrum fortem alioquin ac virilem caro sibi subijciat & blanditijs ipsum in sinu foveat ac dormire faciat, vires omnes & vitam gratiæ amittet. Non Samsonem, sed Christum proposuit sibi Ioannes in exemplar, ideoq; duxit constantem vitam difficilem & ab omnibus delicijs alienam. O anima mea, audi D. Petrum te admonentem: *Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos, abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. Nam Spiritus & caro invicem sibi aduersantur.* (1. Petri 2.)

FERIA VI.

Sed quid existis videre? Etiam dico vobis: plusquam Prophetam.

PRimus generis humani Parens Adam, ita scitè & aptè noverat propria singulis animalibus imponere nomina, ut inditis vocabulis exprimeret illorum naturam & proprietates. Nam pollebat sapientiâ à Deo sibi infusâ, quâ penetrabat rerum omnium essentias & qualitates. Sed meliùs hoc Christus noverat, ut potè sapientia infinita. Cùm ergò ille nomen plusquam Prophetæ, imò Angeli indit Ioanni, rem aeu tangit, tale illi vocabulum, taléq; imponit denominationé, qualem Ioannis indoles & status exigebat. *Non enim qui se ipsum commendat probatus est; sed quem Deus commendat.* (2. Cor: 10.) Vanæ sunt laudes, quas mihi ipse arrogo, vel ab alio quopiam attributas accipio: nam illæ proveniunt ex amore proprio, hæ verò plerumq; ex ignorantia, ad fundum rei non penetrante. Solùm ergo me laudet os tuum Domine, & hanc solam veram esse laudem reputo.

2. Appellat Christus Ioannem plusquam Prophetam: quia re ipsâ, plusquam Propheta, Ioannes præstitit. nam ad Prophetæ officium pertinet, Prædicere futura. Ioannes autem plus quid præsti-

præstitit; nam edixit mysteria præsentia, à seculo nunquàm audita, immo digito Christum monstrauit ac verum esse Filium Dei ostendit. Parum est, promittere Deo, hæc & illa, longè plus est, re ipsâ ea præstare. Non ille apud Deum magnus, qui multa promittit, sed qui factis ostendit suam erga Deum æstimationem. Sæpè gloriosa quæq; tum de nobis, tum de alijs prædicimus, sed cùm se occasio virtutis monstrandæ offert, deficimus & falsos nos esse Prophetas, eventus probat.

3. Si de quo, certè de Ioanne verificatum est. *Qui se humiliat, exaltabitur.* (Matt: 23.) Ita se ille humiliauerat, ut se indignũ arbitraretur, qui non modò supra caput JESU, ad eum baptizandum, manum leuaret, sed etiam, qui se prosterneret ad pedes JESU & *solveret corrigiam calceamenti ejus:* (Marci 1.) Solumq; se appellat *vocem clamantis in deserto,* (Marci. 1.) quasi aliquid inane, cito transiens, quod cum sonitu perit. En quò se demittit! Christus autem ita illum exaltat, ut eleuet super omnes Prophetas, imò supra omnes natos mulierum. *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista.* (Lucæ 7.) Quò aliquis coram DEo est sublimior, eò in oculis suis est despectior; eo minùs de se sentit, quia omnia Deo attribuit, & sibi nihil. Facilis modus crescendi in aula Regis nostri, demittendo se ad infima. ille autem, qui *humilia respicit in cælo & in terra,* (Psal: 112.) non sinit humi sepere illam demissionem quin eam exaltet.

SABBATO.

Ipse est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem &c. Marci 1.

1. NOn inane nomen ferebat Ioannes. Appellatio ejus vacua veræ laudis non erat. Quod relucebat in nomine, prodebat se in factis & moribus ejus. Idem sonat *Ioannes, quod Gratia.* Dum ergo ille dicitur: (Lucæ 1.) *præparare viam ante faciem Christi,* ostenditur, quod viam hanc Gratia parabat. Etenim *manus Domini erat cum illo.* (Lucæ 1.) hæc illum in omnibus actibus antecedebat, concomitabatur, subsequebatur. hæc illũ excita-

excitabat, illuminabat, impellebat, adiuvabat, confortabat, perficiebat. Vt ego ad cor alicujus Peccatoris præparem Christo aditum, necesse est, ut ipse Gratiam DEI ad id habeam: *nam sine me nihil potestis facere*, ait Christus. (Ioan: 15.) Homo quidem iaculatur, sed DEus tela defert; ipse ad cor collimat, illudq́; , quando vult, ferit ac vulnerat. *Spiritus ubi vult spirat* (Io:3.) Rudia sæpè verba plus emolumenti præstant in audientis anima, quàm culta & erudita eloquia. Quia illa per Gratiam DEi animantur, & ab ea suum desumunt vigorem, hæc verò eâ destituuntur.

2. Laudabat antea Christum Ioannes, appellando illum *Agnum Dei tollentem peccata mundi.* (Ioan: 1.) clamabat se indignũ, *qui solueret corrigiam calceamenti ejus.* (Mar: 1.) En illi Christus vicem rependit; postquam enim ab illo removit, quod non est; jam illi attribuit, quod est, asserens illum excedere dignitate suâ omnes Prophetas; esse unum Angelum terrestrem. Quàm copiosè DEus compensat obsequia sibi præstita! Impendes pro honore Dei parum, rependet ille tibi multum. Non parces propter illum modico labori, effundet se ipse liberaliter ad præstandam tibi talionem. Ioannes Christum appellavit *Agnum*; Christus verò Ioannem appellat *Angelum.* Ioannes minùs laudavit Christum, quàm sit in se; Christus Ioannem extulit supra id quód est, nimirum supra conditionem naturæ humanæ evexit eum ad sublimem statum Angelicæ excellentiæ. Maximè ingenuus ac magnanimè generosus est DEus noster! non patitur se vinci à Creatura in munificentia & liberalitate.

3. Non summum Ioannes videbatur gerere officium in aula Christi; nam fungebatur tantum, munere præcursoris, præconis, vocis unius; & tamen tantoperè laudatur à Christo. Quia nimirum exactè ac diligenter suum administrabat officium, ita, ut in eo partes omnes impleverit. Nam non ille apud DEum est laudabilior, qui majus gerit officium, sed is, qui illud exactiùs obit & accuratiùs administrat. Sicut in Theatro, non ille meretur laudem, qui scenicam Regis personam agit; sed qui illam competenter sustinet. Majorem plausum habet simplex rusticuis vel histrio, si congruè suo muneri satisfaciant, quàm ille, qui

Princi-

Principis quidem Personam habet, sed ineptè illam repræsentat. Scena est vita hominis super terram. Speculator adest de super DEUS. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* (1. Cor: 4.) Quamcunq; nobis Personam supremus Actor indiderit, geramus eam strenuè, & gratiosè oculis ejus; ut ab illo palmam & lauream gloriæ referamus.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem. Ioan. 1.

1. NOtitia de adventu Messiæ, tanti erat momenti, ut potè ad salutem æternam spectans, ut à Iudæis omnino exigeret, quatenus ipsi ad Ioannem pergerent, & per seipsos, illam compararent. Interim illi curam istam, quæ tota illorum corda occupare & coquere debebat, in alienos humeros devolvũt & per Iegatos expediunt: hinc etiam, quamvis cognoverint, Ioannem non esse Christum, ipsum tamen Christum cognoscere haud meruerunt. Qualem enim quis erga Deum se exhibet, talem ipsum erga se experitur. DEUS namq; est instar speculi, cui quidquid opposueris, illud tibi exhibebit: Si opposueris aurum, repræsentabit etiam aurum; si verò obieceris lutum, lutum quoq; referet. Si Cives Hierosolymitani, seriam ipsimet circa hoc negotium adhibuissent diligentiam; ampliorem, quoad hoc, lucem accepissent & ad imam veritatem penetrâssent; sed quia neglectim, obiter, per alios id investigârunt; ideo etiam imperfectam de hoc notitiam acceperunt à Deo.

2. Existimat Origenes hos Sacerdotes & Levitas fuisse cognatos Ioannis; siquidem & ipse de sanguine & familia Sacerdotali duxit originem: ideoq; signatè missos esse, ut ei ex necessitudine sanguinis, grati essent, & sic ab eo faciliùs veritatem elicerent; vel certè persuaderent dignitatem Messiæ, ex illorum sensu aptam, ad vindicandum è servitute Romana Israélem. Vt noveris, quod sicut boni socij, multùm conducunt ad profectum in virtute, ita nullum in armamento Dæmonis telum fortius inveniri,

veniri, ad oppugnandam virtutem, quàm sint mali amici, noxijq; Sodales. Primum Parentem nostrum non aliter expugnavit Satan, nisi per sociam vitæ. Hinc ille sui lapsûs causam in eam devolvens ait: *Mulier quam dedisti mihi sociam &c.* (Gen: 3.) *Cum Sancto, Sanctus eris; cum peruerso peruerteris.* (Psal: 17.) Vt scabiosa ovis, totum inficit gregem; ùt unus peste correptus, reliquos Civitatis incolas perdit; sic prava familiaritas, alloquio exemploq; suo, conjunctos sibi trahit ad perniciem.

3. Magni fama nominis est instar ignis fatui. Sicut enim is fugientem se insequitur, & se insequentem fugit, ita celebritas famæ. Si illam insequaris, captes, veneris, apprehendere contendas, parum aut nihil ejus habebis. Vbi sunt Alexandri, Pompeij, Cæsares, qui vanam secularemq; gloriam, totis insequebantur conatibus? *perijt memoria eorum cum sonitu!* (Psal. 9.) evanuerunt cum suis fumis. Si autem eam declines & fugias per sinceram abjectionem & humiliationem tuî, multum tibi gloriæ apud DEum & homines conciliabis. Latet *Beatissima* in angulo ædis Nazarethanæ, & tamen *DEUS respexit humilitatem ancillæ suæ, & fecit illi magna, qui potens est.* (Lucæ 1.) Nascitur Christus in stabulo, sed adoratur ab Angelis, à Pastoribus, à Magis. (Lucæ 2.) Secedit in desertum, sed accedunt Angeli & ministrant ei. (Matth: 4.) Baptizatur in Iordane, sed a Ioanne & à Spiritu S. in columbæ specie descendente proditur. (Marci 1.) Latitat in deserto Ioannes, oculos hominum fugit, amat nesciri; ecce verò inquiritur à Sacerdotibus, honoratur à legatis, defertur ei honor Messiæ, pro Christo reputatur. Vitæ austeritas, zelus, sanctitas, humilitas, animi demissio, magnum illi nomen fecêre.

FERIA II.

Vt interrogarent eum: Tu quis es?

1. CVm DEUS in deserto, Israëlitis pluit manna illud dulcissimum, continuò illi dixerunt: (Exodi 16.) *Manhu, quid est hoc?* In illo deserto, in quo agebat Ioannes, tantam *dul-*

cedinem

cedinem distillaverunt cæli, à facie Dei Sinai, (Psal: 67.) tantum gratiarum Ioanni dedêre melliflui facti, ut meritò dicant omnes: *Quid est hoc? Tu quis es?* Nam Ioannes factus est ibi unum virtutũ miraculum, prodigium Sanctitatis. Sed hoc ipsum valdè mirandum, quòd homines visam in mundo virtutem tantopere admirentur ut continuò dicant: *Quid est hoc, Tu quis es?* Quasi verò virtus tanquam res nova & insolita in mundo conspiciatur; ideòq; justus fortè appellatur nova Creatura. O Domine, qui de te dixisti: *Ecce ego creo cælos novos & terram novam.* (Isaiæ 62,) *Et, ecce nova facio omnia. en ego inveteratus dierum malorum.* (Dan: 13.) renova ergo me, fac me novam Creaturam, *Cor mundum crea in me DEUS, & spiritum rectum, innova &c.* (Psal: 50.)

2. Magnum Iudæi honorem exhibent Ioanni, dum ad illum expediunt non qualescunq; legatos, sed ex familia Sacerdotali, ex tribu Levitica, & interrogant: Tu quis es? Messiæ dignitatem videntur offerre & se paratos ad eum, pro tali, acceptandum ostendunt. Christo autem nihil tale fecerunt, etiamsi esset longè dignior, majoris virtutis, longè sublimioris sanctitatis. Seipsos hic, suumq; commodum Principes Iudæorum quærebant. Videbant se ipsos deseri & populum ad Ioannem passim currere, hinc rumpebantur invidiâ, & vehementer dolebant de jactura suæ authoritatis. Nondum creuerat illorum malitia, ideoq; videntur modum quasi politicum contra Ioannem adhibere: postquam adolevit, tunc, videndo multas turbas Christo adhærere, ejusq; facta admirari, stupere, prædicare, erupit in scelestissimum facinus, in ausum prorsus nefandum, dum crudelem necem illi intulit: semper tamen sub prætextu honoris Divini. Nulla iniquitas est magis noxia, quàm quæ sensim crescit & gliscit instar incendij; quàm quæ larvam pietatis induit, & sub ea latitans, promovet suas artes & consilia.

3. Hunc honorem, quem principes Iudæorum Ioanni deferebant, debuerant deferre Christo, tanquam verò Messiæ. Sed quod illi denegârunt, hoc DEVS per Ioannem Christo compensavit. Siquidem ille discipulos suos expedivit ad Christum, interrogando: (Ioan. 1.) *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* eoq; ipso prodidit ipsius dignitatem & manifestauit orbi.

Non est novum in mundo, ut minoris virtutis homines præferantur alijs in mundi æstimatione, honore, officijs, esto hi, quoad rem, sint digniores, quia meliores. & doctiores. Sed æquo animo id ferendum. Habet enim DEUS mille modos, his talem jacturam compensandi. Debitus honor virtutem non præteribit. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* (Psal: 26.) Venient ad te, *qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigia pedum tuorum.* (Isaiæ 60.) Sicut hoc jam est verificatum in Christo, ita verificabitur in sanctis ejus. Quod præcessit in capite, succedet in membris ei subjectis.

FERIA III.

Et confessus est, & non negavit, & confessus est: Quia non sum ego Christus?

1. SIquidem Ioannes non semel sed aliquoties legitur esse Cõfessus, se non esse Christũ, apparet illũ, ea de re, non semel fuisse interrogatum, adeoq; illos nuntios de Ioanne sublimem habuisse opinionem, quam illis repetitis interrogationibus expresserunt, & extra prodiderunt. Quanta vis est virtutis, cui tandem omnes palmam concedunt, quam omnes venerantur & adorant. Multi erant illis temporibus in Hierusalem, Nobiles, Divites, Sacerdotes, Doctores Legis, excellenti scientia præditi, nulli tamen defertur honor Messiæ seu Christi nisi Ioanni; licet is austerus, hispidus, seminudus, exsuccus, longè à conversatione hominum remotus fuerit. Omnes desiderio bonæ existimationis & honoris tanguntur, pauci tamen viam quâ huc perveniant, arripiunt Porrò unica hæc via est virtus; quæ sola facit inclytum & mirabilem. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* (Psal: 24) Tu dixisti: *Ego sum via* (Ioan. 14.) Vtinam incedam per te, qui de te dicis: *discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* (Matth: 11.)

2. Omnia tandem cedunt virtuti. Vt edaces corvi panem & escas deferunt Eliæ, licet ipsi illarum erant avidissimi; sic Pharisæi, Scribæ, Sacerdotes, licet essent honoris cupidissimi, ambitione

bitione & ſuperbiâ pleniſſimi; Ioanni tamen juſto, debitum deferunt honorem. Sed hic duplex intervenit miraculum. Vnum, quòd à Phariſæis Scribis & Sacerdotibus, quantumvis honoris cupidiſſimis, honor Ioanni deferatur; alterum, quòd à Ioanne delatus honor reſpuatur. *Confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* (Ioan. 1.) Et quidem hoc longè majus reputaverim; quia magnum quidem eſt, dum quis honorem non quærit, non venatur. *Quis enim hic eſt, & laudabimus eum?* (Eccl: 31.) magnum etiam eſt, dum quis honoris cupidus, honorem alteri, quem ipſe meretur, defert; at longè majus eſt, dum quis honoratur, & tamen honorem reſpuit. Talis fuit Chriſtus, qui cùm à populo creandus eſſet Rex, *fugit in montem ipſe ſolus.* (Ioan. 6.) talis quoq; Ioannes, qui cùm Meſſias appellaretur, recuſavit hanc appellationem.

3. Fundamentum Sanctitatis eſt humilitas. Omnis enim virtus in ea radicatur. Hinc naſcitur Fides; nam qui humiliter ſentit de ſuo intellectu, quòd ſit cæcus & hebes in percipiendo, is facilè *captivabit illum in obſequium Fidei.* (2. Cor: 10.) Qui meminit ſe omnia habere à DEO, ſe eſſe opus manuum ejus, facilè ſperat in illo, qui novit figmentum ſuum ac diligit Creaturam facturamq; ſuam. Qui agnoſcit humiliter ſe de manu Dei accepiſſe omnia, utiq; prorumpet in affectum dilectionis erga Patrem beneficentiſſimum. Verbo: agnoſcere ſuam vilitatem, humiliter de ſe ſentire, abjectè de ſe loqui, eſt primum, & radicale principium omnis virtutis. Quâ verò arte, hoc fundamentum conſtruitur, quo modo, hoc principium ſolidatur? hoc, quo uſus eſt S. Ioannes, Confitendo, quid non ſimus, O quàm longè abſum à Paupertate Chriſti! ab humilitate Beatiſſimæ! quàm, longè à zelo Apoſtolorum, à Martyrum fortitudine, à Confeſſorum modeſtia, à temperantia virginum! *Extraneus factus ſum Fratribus meis.* (Pſal: 68.) Veſtis me Socium JESU oſtendit, ſed non mores. Hic exclamare: *Non ſum ſicut cæteri,* (Lucæ 10.) non ſolùm vituperabile non eſt, ſed etiam eſt laudabile.

FERIA IV.

Elias es tu? Et dixit: non sum. Propheta es tu? Et respondit: non.

1. POterat Ioannes fateri se esse Eliam; siquidem officio talis erat, juxta illud Angeli de illo prænuntiantis: *Ipse ante illum præcedet in Spiritu & virtute Eliæ:* (Lucæ 1.) Poterat se appellare Prophetam; nam illum Christus vocavit *plusquam Prophetam.* Quia tamen poterat etiam negare se talem esse, scilicet quoad Personam, ideo ex humilitate & simplicitate, hoc alterum elegit. Tum quia hoc cum majori ejus contẽptu, abnegatione, depressioneq; erat. Tum quia nolebat uti ambiguitate verborum & æquivocatione. Unde in sensu simplici, in quo interrogabatur, respondet juxta mentem interrogantium: *Non sum Christus, non Elias, non Propheta.* (Ioan 1.) Sicut à vita & moribus Sanctorum procul abest duplicitas, ita & à sermone. Non aliud intelligunt, quàm loquantur: quod habent in corde, hoc in ore. Hinc libenter cum ijs DEus loquitur; quia sicut ipse simplex est, expers ullius compositionis & permistionis, ita fiducialissima est cum *simplicibus sermocinatio ejus.* (Prov: 3.)

2. Egregiè Ioannes Personam Præcursoris & Mareschalci Christi sustinet: Nam ipsius insignia seu stemmata præsefert. Insigne Christi erat, Paupertas, Contemptus, abiectio, Crux. nam esto Christus æquè potuerit salvare nos per divitias, atq; per Paupertatem; æquè per honores, atq; per ignominias; æquè per celsitudinem & delicias, atq; per abjectionem & Crucem; tamen ille amore nostrî elegit Paupertatem, ignominiam, abjectionem, Crucem. Hæc ergo propria erant Christi stemmata & insignia. Vide jam in Ioanne, eosdem characteres, easdem sui Regis notas. Æquè veraciter poterat affirmare, se esse Eliam aut Prophetam, atq; hoc de se negavit; quia tamen hoc alterũ propinquius erat humilitati & abiectioni Christi, hoc potiùs elegit & arripuit. Si notabilem in virtute humilitatis profectum volo facere, eodem modo procedendum est mihi. Duo facienda occurrunt, quorum utrumq; possum quidem licitè & citra offen-

offensam Dei præstare, si tamen in uno magis eluceat contemptus, abnegatio & mortificatio, hoc potiùs mihi eligendum & faciendum esset.

3. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* (Iacobi 1) Magna fuit tentatio Ioannis, cùm ei oblatum est id, ad quod omnes maximo appetitu ferimur, scilicet Honor, quem non solùm ablatum libenter recipimus, sed etiam inquirimus non datum. Sed sustulit hanc tentationẽ Ioannes, dum delatum repudiavit honorem. Quam igitur à Christo recepit beatitudinem? quam ejus probatio retulit coronam? Insignem valdè: nam ille se humiliat, Christus autem illum exaltat. Ille dicit: *non sum Elias;* (Ioan: 1.) Christus asserit: *Ipse est Elias.* Ille: *Non sum Propheta.* Christus: *Plus est quàm Propheta.* Ille dicit: *Non sum dignus solvere corrigiam ejus calceamenti:* (Marci 1.) Christus autem ad ejus pedes provolutus, dignum eum judicat qui eum baptizet. *Qui se humiliat, exaltabitur.* (Lucæ 14) *DEUS superbis resistit.* (Iacobi 4.) *Deiecisti eos dum allevarentur,* (Psal: 71.) Humiles exaltat, contendens cum eis de honore; illi honorem propter Deum respuunt, DEus autem gloria & honore illos coronat.

FERIA V.

Quid dicis de te ipso? Ego vox clamantis in deserto.

1. VOx quidem Pharisaica est interrogare: *Tu quis es.? Quid dicis de te ipso?* Sed vox Christiana est interrogare: Quis sum ego? Nam plerumq; homines habent intentos oculos supra defectus alienos, rarus autem est, qui invigilet defectibus proprijs. Quod ut exprimerẽt Philologi, cõmentabantur mulierem, quæ cùm domo exiret, sumebat oculos, ut omnia conspiceret, domum verò reuersa, oculos sibi eruebat, ne sua videre posset. Hoc fortè significavit serpens, dum primis Parentibus dixit: *Aperientur oculi vestri.* (Gen: 3.) Aperti enim sunt, ut viderent alienos defectus, suos autem non agnoscerent. Dum nimirum Adam sui lapsûs culpam, in Evam devolvit, Eva in serpentem. Non tales oculos habuit Ioannes. Nam seipsum intuetur,

tuetur, quid non sit. Dicit enim: *Non sum Christus, non sum Elias, non sum Propheta,* (Ioan: 1.) Sed solùm vox quædam, quæ est tenuis aër & emissus ex ore vapor ad modicum parens. Sciebat bene, se suo palmo metiri. Vnde Apostolus monet: (ad Gal. 6,) *Vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis; considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Mutat scriptura numerum pluralem in singularem. cùm enim dixisset: *Vos qui Spirituales estis,* postea in singulari concludit: *Considerans teipsum* Quia unus de mille, hoc præstat.

2. Sicut viri justi, omnes actiones suas referunt in DEum tanquam in finem ultimum: hunc enim unicè respiciunt, juxta illam sponsi plenam amoris querelam: (Cant: 4.) *Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.* Ita suos titulos nolunt alios habere, nisi qui respiciunt unicè DEum, cujus obsequio, se totos devoverunt. Nam veluti appensa hedera signum est venalis vini, sic tituli Sanctorum significatè exprimunt illorum pias intentiones, quibus in DEum feruntur. Beatissima DEi Mater, quia totam se cum suis actionibus Deo dovoverat, assumit titulum respectivum illius: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi &c.* (Lucæ 1.) Idem elucet in S. Ioanne, cui dum varij deferrentur tituli, Eliæ, alicujus Prophetæ, nullum acceptavit, nisi respectivum *Verbi*: *Ego vox clamantis in deserto.* (Ioan: 1.) Quid enim est magis connexum cum verbo, quàm vox? Quia ergo Ioannes totus erat *Verbo Divino* devotissimus, nõ alium usurpat titulum, nisi qui referretur ad *Verbum*

3. AEnigmatica hæc Ioannis nomenclatura, duas potissimùm ipsius virtutes exprimit: inprimis profundam humilitatem; nam potuit quidem Ioannes appellare se Zachariæ Filium, Sanguinem Regum, Progeniem Sacerdotum, Præcursorem Messiæ, Mareschalcum Christi, Veritatis Prodromum, Magistrum Pœnitentiæ, Doctorem Temperantiæ, Testem DEI primarium, his tamen omnibus alijsq; titulis omissis, solùm se appellat vocem; quasi sonum inanem, àërem vacuum, quasi aliquid volaticum, citòq; transiens. Deinde exprimit efficacem ipsius zelum; nam non appellat se præcisè vocem, sed vocem clamantis. Quia vocis officium est, ferire aures; clamoris autem, penetrare ad cor illudq;

illudq; concutere: illud imputatur homini, ad quem spectat vocem formare, verba fundere, sonum ciere, hoc autem tribuitur soli DEo, in cujus manu sunt corda hominum, cujus imperio & nutu gubernantur interni affectus. Homo quidem loquitur, sed DEus, ipsius verbis, vim & energiam, ut animam penetrent, largitur.

FERIA VI.

Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? Medius vestrûm stetit: quem vos nescitis.

1. NOn frustra Evangelium istam præmisit cautionem: (Ioan: 1.) *Et hi qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.* quasi essent contradistincti à Sacerdotibus & Levitis. Nam hoc ulteriori interrogandi modo, Pharisaicum prodiderunt ingenium, tumidamq; & efferatam Indolem. Sacerdotes & Levitæ satis moderatè & cultè alloquuntur Ioannem, (Ioan: 1.) *Tu quis es? Quid dicis de teipso? Esne tu Christus? Elias es tu an Propheta?* En ista dicta sunt cum justa mansuetudine, & cum studio dicendi veritatem. At ubi Pharisæi alloqui Ioannem cæperunt, statim in illum acriter insurgunt, contumeliosis & inhumanis verbis cum illo agunt: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? En genimina viperarum* (Lucæ 3.) exerunt suos aculeos. Fastus & invidia diu latere non potest, quin extra prorumpat. *Loquela quemvis manifestum facit.* (Matth: 26.) Sicut ex facie agnoscitur exteriùs homo, ita ex sermone interiùs.

2. Semper Filius DEI amat medium, Ab æterno medius est inter Patrem & Spiritum S. in tempore verò, venit in medio seculorũ, *dum medium silentiũ tenerent omnia* (Sap:18.) inter MARIAM & Ioseph*um reclinatus in præsepio*, in medio duorum animalium agnoscitur, in medio duorum latronum crucifixus, pependit medius inter cælum & terram, post resurrectionem quoq; stetit toties *in medio discipulorum.* En etiam in præsenti dicitur à Ioanne medius stetisse. Vt hoc agendi modo significaret se esse *Mediatorem DEI & hominum* (1. Timoth: 1.) Qui quidem mediator, idẽ

est in

est in humano Genere, quòd sol in cælo, quòd centrum in terra, quod cor in humano corpore, quod pretiosus adamas in annulo. O mediator! dum ad me venis in Sacrosancta Eucharistia & habitas in medio mêi, illumina & accende me, radijs tui amoris, tendant ad te omnes affectus mei, vivifica & corrobora me, appretiem te super omnia. *Quid mihi est in cælo, & à te, quid volui super terram.* (Psal: 72.) Coniunge me cum ultimo fine. *Sis mihi lapis angularis* (ad Eph: 2.) *faciens utraq; unum*, coniungens corpus cum anima, animam cum DEo. Habita semper in medio mêi.

3. Si Potentissimus Rex mutato habitu velit manere inter pauperes oppidanos, ut illis perpetuò benefaciat, interim ab illis non agnitus malè tractetur, & tamen illos non deserat, sed perseveret inter eos manere, an hoc non esset evidens Regij amoris erga oppidanos argumentum? En Filius Dei stetit in medio nostri, construxit sibi humanitatis domum, ut mutato habitu maneat inter nos; interim non agnitus, quàm crudè tractatus à mundo, quàm barbarè & enormiter habitus. Attamen ille, mutat iterum habitum, induit species Eucharisticas, elegit habitare in tabernaculo templi, ut nobis perpetuò beneficia largiatur. Quanti hoc amoris indicium est! Quanta in me barbaries & crudelitas! Si illum non redamem, non honorem, non reverear! Si Angelo nuntiante felicissimum illud *Ave*, Virgini MARIÆ, & dicente: *DEVS elegit te in tabernaculum*, in domum & Matrem suam; illa renueret, an non argueretur temeritatis? Stultior est anima, quæ Deum volentem in ea habitare per gratiam, repellit, nec voluntati ejus obsequitur. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ, panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, ubi est DEus tuus* (Psal: 41.) *Si introiero in tabernaculum domûs meæ, si dedero somnum oculis meis, donec inveniam* (Psal: 131.) *locum Domino, tabernaculum Deo Iacob*, non quiescam, donec dignam te constituam in me habitationem. *Anima iusti est sedes sapientiæ.* (S. Greg.)

SABBATO.

Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti?

1. DVm aliquis cogitat construere ædificium, eò altiùs fodit fundamentum, quò celsiorem erigere fabricam molitur. Sublimem valdè molem Ioannes erat positurus, quid enim est excelsius capite Christi? & tamen ultra illud, surrectura erat structura Ioannis, quia baptizando Christum, extulit manum suam etiam supra verticem Domini. Profundum ergo ille iacit fundamentum, dum se indignum pronuntiat, qui procumbat ad calceamenta Christi, eorumq; solvat corrigiam. Agnosco vilitatem meam JESU mi, speciebus Eucharisticis involute; indignus sum, quem tuis sanctissimis pedibus digneris. Dignus quem conculcent damnati, & ipsi dæmones, quorum peccata, multitudine & gravitate peccatorum superavi.

2. Lucernæ officium est, ita lucere alijs ut interim ipsa consumatur; juxta illud Symboli: *Inserviendo alijs, ipsa consumor. Ioannes erat lucerna ardens & lucens.* (Ioan 5.) videt Christum in tenebris, *medius vestrùm stetit, quem vos nescitis* (Ioan:1.) id est, habetis illum patenter descriptum in scriptura, quam continuò volvitis; quia tamen perversis affectibus superbiæ, invidiæ, odij, excæcati estis, videre eum non potestis. Ergo illum vobis illuminabo, etiam cum dispendio honoris mei, honorem ejus augendo. *Non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus.* (Mar:1.) Vtinam ego honorem proximi ita tuear.

3. Adventante sole, extinguit aurora lucem suam. Motus enim major opprimit minorem. Ioannes aurora erat prænuntia solis aduentantis Christi; cùm igitur hic sol, cæpisset diffundere radios gloriæ suæ, fulgere miraculis, prædicatione illucescere; quid mirum? quòd auroræ fulgor deficiat? quòd gloriam Christi per defectum sui nominis amplificet? sicut ipse prænuntiavit: (Ioan 3.) *Me oportet minui; illum autem crescere.* Et mihi curandum, ut ex operibus meis, tota sit Gloria DEo, tota utilitas proximo, tota confusio mihi.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam &c. Lucæ 3.

1. SI modò templum ingrederetur Imperator Romanus, ſtipatus alijs Regibus, & videres nihil eos curari ab hominibus, nec aduertere quidem ad illos nec ejs aſſurgere: ſi verò ex alia parte ingrederetur aliquis Pauper, pannoſus, famelicus, interim ei omnes aſſurgerent, omnes ad pedes ejus provolverentur; an non ſtuperes, & locò miraculi id haberes? En Evangelium hoc? ingreditur Tiberius Cæſar, mundi ferè uniuerſi Dominus, & cum eo 4. Reges, duoq; ſummi Sacerdotes, & nihil eos curamus, vilipenduntur à nobis, quaſi nihil eſſent. Ingreditur ex altera parte Ioannes, adeò pauper, ut indumento careat, famelicus, non manducans, nec bibens, nullis famulis ſtipatus, & omnes illum reueremur, honoramus, adoramus. An hîc manifeſtè non vides, quòd nihili ſit omnis proſperitas temporalis, quodq; ſint vilipendendi, qui eâ potiuntur: ex altera verò parte, quàm magna res eſt, virtus, juſtitia, ſanctitas, quæ omnibus divitijs, pompis, honoribus, triumphis anteponitur: Nobilitas mundana, tanquam res fortuita, nullius pretij ac momenti haberi debet, ſecùs pietas & probitas.

2. In his verbis tanquam in ſpeculo elucet, quàm ſint fragilia Regna mundi, quantis caſibus & mutationibus obnoxia ſit eorum potentia. En Regnum illud Iudaicum, quod ſub regimine Samuelis vel ſub ſceptro Davidis, & magnitudine & divitijs & militum numerosa fortitudine florebat tantopere, inter tot principes diviſum eſt, totq; Tyrannis ſubditum. Vbi modò potentiſſimum illud Nabuchodonoſoris jmperium, ab ipſo tanquam nunquam periturum, in auro adumbratum? A ferro Romanorum ſuperatum ac deletum penè eſt! Et ubi modò ferrum Romanorum? ubi potentia illorum Imperatorum, Victorum ac Dominorum orbis? Vix eorum memoria hæret in libris! Non eſt magis Potentiæ mundanæ fidendum, quàm vento, quàm glaciei, quàm literis in arena deſcriptis. Maxima quæq; imperia, peccatis labefactantur & corrũpuntur. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec dives in divitijs ſuis*: (Ieremiæ 9.) Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, noſſe DEum, illumq; ut par eſt, colere & amare.

3. Re-

3. Recenſentur ab Evangelio tot Principes mundi, illiq; valdè nefarij, ſcelerati & omnibus nequitijs infames, ut expendamus, quale tempus elegerit Filius DEi, pro ſuo in mundum per nativitatem adventu. Tale quippè tempus illud erat, in quod omnium ætatum crimina, omnium ſcelerum immanitas confluxerant. Nunquam enim erat ambitio amentior, quàm ſub Tiberio; nunquam libido effuſior, quàm ſub Herode & Philippo; nunquam avaritia rapacior, invidia truculentior, neglectus DEi, major quàm ſub Anna & Caipha; nunquam deniq; latiùs effudit ſe omnis peccandi licentia, quàm ſub nominatis Principibus; & tamen hoc tempore tàm nefario, tàm ſcelerato, venit in mundum Dominus. Vt nimirum ejus Charitatis, bonitatis, miſericordiæ, pietatis, magnitudo magìs eluceret; dum tàm gravibus peccatis, tàm magna oppoſuit beneficia. *Oppoſita enim penes ſe poſita magis eluceſcunt.* Splendidiùs iſta lux in tantis illuxit tenebris, *& tenebræ eam non comprehenderunt.* (Ioan 1.) *Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem DEi, nec flumina obruerunt illam.* (Cant: 8.)

FERIA II.

Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ Filium in deſerto.

1. QVidnam ſibi vult iſte ſpecialis Evangelij loquendi modus? Non ait: *Dictum eſt Verbum Domini; nec ad Ioannem, ſed factum eſt ſuper Ioannem.* Vt indicet: quòd eſto alibi multùm interſit, inter dicere & facere; multumq; diſtent verba ab operibus; illa enim ſunt longè faciliora quàm hæc; tamen in Ioanne idem erat loqui, quod facere. Tum quia ille inſpirationibus Divinis erat obſequentiſſimus, unde ad verba Divina illi intimata, infallibiliter in Ioanne ſequebantur opera pietatis præclariſſima. Tum quia Ioannes moribus & factis ſuis longè efficaciùs loquebatur, quàm alius concionibus; nam exteriori pœnitentiæ & mortificationis cultu, egregiè pœnitentiam & cõtemptum mundi prædicabat, & audientibus perſuadebat. Nam

Verba DEi convertenda sunt in opera, ac internæ illustrationes cælitùs infusæ ad praxim sunt revocandæ. Neq; aliâ mensurâ cognitio Dei est dimetienda, quàm egregiè factorum. Parùm vel nihil prodest, pulchrè ac devotè loqui, si mores & opera à dictis discrepant. *Si linguis Angelorum loquar, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens; & memoriæ méi peribit cum sonitu.* (1. Cor: 13.)

2. An & alibi Verbum Domini non fiebat super Ioannem nisi in deserto? Fiebat sanè. Nam & in Vrbe Hierosolyma, cùm redargueret Herodem propter Herodiadem, & in regione Iordanis, ubi Spiritum S. super caput Christi in specie columbæ videbat descendentem, habuit Ioannes speciales reuelationes, adeoq; illi DEus loquebatur. Sed credo, & amplas urbes & loca populo frequentissima, fuisse desertum Viro Apostolico, qui etiá in mediis urbibus debet esse solitarius. Nam sicut Angelus bonus, quocunq; tandem sese confert, cælum secum circumfert, cùm ubicunq; locorum fuerit, videat intuitivè faciem DEi, ita vir Divino spiritu plenus, etiam inter confertas hominum turbas, soli DEo, & sibi vacat, longè sunt à corde ipsius mundani tumultus, quia non locus sed animus solitarius facit illum solitarium. Quodsi animus Deo & sibi vacans abfuerit, etiam intra angustos cellæ parietes, homo potest esse vagabundus ac errans.

3. Locus desertus & à mundanorum tumultu negotiorum alienus est longè aptissimus ad colloquendum cum DEo, & consolationes supernas capiendas. Hinc Moysi DEus apparuit locutusq; est in interioribus deserti. Hinc Elias in deserto montis angulo, meruit videre Dominum. Hinc ipse Christus orationis causâ secedebat in loca deserta. Hinc & super Ioannem, factum est Verbum Domini, in deserto. Omnes quidem desideramus, loquentem audire DEum, sed non omnes in desertum exire volumus, & à vanitatibus mundi, rerumq; caducarum solatijs elongari. Quia non attendimus, quidnam DEus per Oseam dicat: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ei ad cor.* (Oseæ. 2.) Pharao dicit: *Ite, sacrificate Domino in terra AEgypti;* (Exod: 10.) Sed Moyses è contra opponit: non potest ita fieri, *sed viam trium die-*

rum

rum ibimus in solitudinem: (Exod: 3.) Vellemus audire DEum & ab eo cælestia percipere solatia, sed inter commoditates & oblectationes terrenas; cùm tamen consolatio Divina sit res pretiosa, nec datur admittentibus terrenam. Nusquam Spiritus S. est disertior, quàm in deserto. Nusquam ejus consolatio citiùs hominem deserit, quàm cùm illum multitudo negotiorum circumdat & strepitus forensis obruit.

FERIA III.

Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum Pœnitentiæ.

1. SIngularem habet Emphasim illa structura orationis. *Factum est Verbum Domini supra Ioannem, & venit.* Vix Verbum DEi Ioannes audierat, cùm illud statim nullâ interpositâ morâ mandavit executioni, quamvis illi res ardua, scilicet prædicatio Pœnitentiæ committeretur, per quod, leges veri obedientis ad amussim implevit. Discam ab illo ita perfectè obedire, ut nō solùm exteriùs sed interius etiam, non solùm prompto affectu & hilari voluntate sed etiam captivato in obsequium intellectu & cæco judicio, nihil curiosè disquirendo, iussa mihi negotia expediam. Discam insuper, opportunitatem salutis procurandæ statim arripere, ita, ut nec ipse *de die in diem differam agere pœnitentiam,* (Eccl: 5.) nec alijs, ope & consilio, iuvandis, prompta mea opera desit.

2. Rectè Ioanni committitur Prædicatio Pœnitentiæ. Siquidem ille priùs id in se exprimebat opere, quod alijs erat suasurus voce. Domicilium ipsius erat Desertum, inter arbores & silvestres feras, remotus ab omni conuersatio ne hominum, elongatus ab occasionibus peccandi, ab incentivis vitiorum remotus, asperâ cameli pelle indutus, hispidâ zonâ præcinctus, locustis alitus, rore cæli potatus, locò tecti cælum, locò lecti humum, locò cervicalis durum saxum habens; ideoq; poterat efficaciter omnes permouere & ad bonā reducere frugem. Nam bonum Doctoris exemplum, etiam bruta & insensibilia ingenia potest per-

teſt pertrahere ad ſûi imitationem. Talis *ſermo Dei*, bono animatus exemplo, *eſt vivus & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti.* (ad Hebræ: 4.) Si autem deſit exemplum bonum, etiamſi aurea fundantur verba, aures quidem illa ferient, ſed ad cor minimè penetrabunt.

3. Non qualemcunq; Pœnitentiam, ſed talem, quæ ſit baptiſmus Pœnitentiæ, Ioannes prædicat. Quia talem ab hominibus requirebat pœnitentiam, quæ baptiſmo æquivaleret; ut, quemadmodum is primam homini reſtituit innocentiam, tribuitq; illi jus proximum & expeditum ad capeſſendam hereditatem æternam, ita quoq; Pœnitentia, eoſdem lapso homini deberet præſtare effectus. Sed longè aliter evenit! Plurimi in mundo ſunt peccantes, multi quoq; agunt pœnitentiam, rari admodum, qui ita eam agant, ut oportet, ad obtinendam ſtatim ſalutem æternam. Status Religioſus, quem ego arripui, eſt ſtatus Pœnitentiæ, ad quam efficaciter agendam, nihil mihi deeſt. Religio mea eſt Iordanis Regio; juxta quem & ego plantatus ſum, *ut faciam dignos fructus pœnitentiæ:* (Matt: 3.) Proferone illos? an Paterfamilias meritò de me queri non poteſt? *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? Exſpectabam ut ferret uvas, & ecce tulit labruſcas.* (Iſaiæ 5.) *Amplius lava me Domine, & à peccato meo munda me. Aſperges me hyſopo, & mundabor, lavabis me: & ſuper nivem dealbabor.* (Pſal: 50.)

FERIA IV.

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

1. STudebat ſatisfacere huic admonitioni Pſalmiſta, dum coram Deo proteſtatur: *Paratum cor meum DEus, paratum cor meum:* (Pſal: 56.) Bis dicit cor ſuum eſſe paratum, ut innuat, duplici modo, nos debere eſſe paratos ad adventum Dei. Inprimis exteriores corporis ſenſus mortificando, cohibendo oculos à curioſitate, aures à pruritu novorum & detractionum, linguam à loquacitate, os & guttur à ſenſualitate, totum corpus à laſcivia & immoderatis cupiditatibus. Deinde interiores animæ facul-

facultates moderando, memoriam quidem depurando ab inutilibus & periculosis obiectorum imaginibus, intellectum verò frænando, ne erumpat in iudicia temeraria, ne plus *sapiat, quàm oportet sapere,* (ad Rom: 12.) *ne altiora se quærat.* Tandem voluntatem coercendo, ne nimium adhæreſcat vanitatibus terrenis, ne torpeſcat in proſecutione bonorum æternorum. hoc enim eſt parare viam, quâ Dominus ad nos veniat.

2. Invenire eſt non unum, ſemel paratum, non tamen ſecundò; quòd tamen Ioannes, his modis loquendi geminatis, *Parate, rectas facite,* videtur requirere. Eſt homo, qui veluti Abraham, iubente DEo, abiicit omnem terrenam voluptatem, *egreditur de terra ſua, & de cognatione ſua,* (Gen: 12.) *& de domo Patris ſui.* Sed retinet ſibi Iſaacum, cui tanto affectu adhæret, ut nolit eum immolare Deo, ſicut fecit Abraham; nimirum amat obiectum aliquod delectabile, à quo non vult recedere. Paravit viam Domino, qui majora peccatorum gravium impedimenta abiecit & noxas mortales eiuravit, ſed nondum fecit rectas ſemitas Dei, quia minora quædam, quæ illum prohibent, ne liberè Deo ſuo fruatur, non remouet. Parandum ergo cor & iterum parandum in occurſum Dei. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à pecc. &c.* (Pſ: 50.)

3. Diſtorti mores & actiones pravæ, quibus à fine ultimo aberramus ac deviamus, ſunt viæ obliquæ & anfractus difficiles, per quos DEUS non venit ad nos. Viâ rectâ ille ſolet incedere. Quâ ut tandem in cor noſtrum veniat, rectificandæ ſunt actiones ac præſertim illarum intentiones, quæ ſunt quædam in finem tendentiæ: Quali enim viâ nos ad Deum tendimus, tali quoq; ille ad nos venire ſolet. *Vniuersæ viæ Domini, miſericordia & veritas.* (Pſal: 24.) *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* (Pſal: 24.) *Viam iniquitatis à me amove, & de lege tua miſerere mei. Viam veritatis elegi, judicia tua non ſum oblitus.* (Pſal: 118.) *Angelo Tuo manda de me, ut cuſtodiat me in omnibus vijs meis.* (Pſ: 90.)

FERIA

FERIA V.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.

1. RECTÈ Valles denotant illos, qui pondere peccatorum oppressi, usq; adeò à timore malè humiliante deprimuntur, ut penè cadant in desperationem, de quibus (Psal: 97.) *Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultûs tui, peribunt.* Vbi S. Augustinus ait, *intelligi animas à passione pravæ concupiscentiæ malè incensas, & à timore malè humiliante obrutas.* Sed per adventum Christi, hæ valles & fossæ adimplentur. *Ecce DEUS Salvator meus, & non timebo.* (Isaiæ 12.) Quis enim de salute desperet, tali medico, de cælo, veniente. Postquam Angelus Raphàél è thalamo Tobiæ, fugavit dæmonem, fossa, quæ morituro parabatur, impletur. Quod per Christum, esse impletum ostendit Paulus. (2. Tessal: 2.) *Qui dilexit nos, & dedit nobis consolationem, & spem bonam in gratia.* Has etiã valles in prædicatione Ioannis impletas ostendit Christus (Matth: 21.) *Venit Ioannes in via justitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei.* (Matth: 21.) Si maximi & penè desperati peccatores ei crediderunt, suffossas ergo valles implevit. *Imple faciem meam ignominia,* (Psal: 82.) confusione de peccatis, detestatione mei teporis, passionis tuæ memoria; *ut quæram nomen tuum Domine.* (Psal: 82.)

2. Vis adhuc videre Valles per aduentum Christi impletas, & montes collesq; humiliatos; expende: Quando tu plus habes de doctrina, prudentia, gratia apud homines, de pecunia alijsq; bonis terrenis, & proximus tuus longé minùs, tunc tu es veluti mons aut collis, vicinus autem tuus, vallis est. Vt ergo sit æqualitas, ut vallis impleatur, & mons seu collis humilietur, communica illi de tuis bonis, iuva illum tuâ ope tuoq; subsidio, & sic tu quidem habebis minùs, sed ille plus: quanquam & tu plus habebis; quia DEus id tibi *mensura bona, conferta & coagitata remetietur,* (Lucæ 6:) & ille minùs, quia se tibi gratum ostendet, se tibi submittet ac humiliabit. Quis verò nos eam æqua-

litatis

litatis faciendæ artem docuit, nisi Christus? Vtiq; ille mons erat, *mons Sanctus, mons pinguis, mons coagulatus, in quo beneplacitum est habitare Deo,* (Psal: 67.) *Sed inclinavit cælos,* & in hanc lacrymarum vallem *descendit.* (2. Reg. 22.) Communicavit nobis suam Deitatem, & assumpsit nostram infirmitatem, & sic *factus est nobis æqualis per omnia, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* (ad Phil: 2.) Quando verò mons iste ad convallem Iordanis descendit & verticem suum sub manus Ioannis baptizantis demisit, nonne ipse dixit, (Math: 3.) *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam*: En æqualitatem à Christo nobis intimatam!

3. Quonam implentur istæ Valles, nisi copiosis fructibus Pœnitentiæ? Nam Pœnitentia est fertilissimus ager, centesimum proferens fructum, quo vacua Dei horrea implentur. At ubi sunt ista horrea vacua? nisi in cælo, ex quo reprobi Angeli ceciderunt, adeoq; vacuas ibi reliquerunt sedes, quas, Pœnitentes de suis peccatis homines occupabunt & in æternum possidebunt. Tunc ergo valles illæ coæquabuntur, tunc implebuntur ruinæ; *tunc erit gaudium Angelis Dei, super uno peccatore Pœnitentiam agente,* (Lucæ 15.) tunc unus pœnitens coram Deo præferetur supra 99. justos, sed remissè ac tepidè Deo seruientes. Tunc peccatores humiles, abiecti, veluti profundæ valles, ita evehentur, ita sublimabuntur, ut conferantur cum altissimis montibus & collibus excelsis, id est, cum magnis Sanctis. Tunc Magdalena pœnitens multumq; diligens, tunc MARIA AEgyptiaca, longam & asperam pœnitentiam agens, æqualem occupabit sedem, & parem coronam gloriæ essentialis accipiet, cum primarijs Sanctis Virginibus. Tunc verificabitur illud Psalmi 109. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.*

FERIA VI.

De occupatione Christi in utero Beatissimæ Virginis.

11. ANima Christi in instanti suæ creationis & infusionis in corpusculum, ex Purissimo Beatissimæ Virginis sangui-

ne, singulari Spiritûs Sancti operâ efformatum, & in instanti unionis Hypostaticæ, per quam Verbum Divinum unitum est naturæ humanæ, ex anima rationali & corpore sibi unitis, conflatæ, convertit se ad DEum per visionem beatificam Dei, in eaq; duravit per 9. menses, & deinceps totâ vitâ duravit, ac tota æternitate, duratura est. O quàm fortunata & suavis hæc occupatio! *Animalis homo eam non percipit*: (1. Cor: 2.) nec datur nobis in hac vita, sed illius, ænigmatica per fidem cognitio substituitur. Adhibe illam, si non semper, saltem frequentissimè, memor præsentis Dei, & nonnihil participabis de felicitate æterna.

2. Eodem instanti Incarnationis, Deificata Christi anima exarsit amore beatifico intensissimo, erga Sanctissimam Trinitatem; & sicut vi unionis Hypostaticæ, tota erat assumpta à Verbo, transieratq: in DEum, ita vi hujus ardentissimi amoris, totaliter transformata est affectivè in DEum. Offer hunc actum Christi, Sanctissimæ Trinitati, in suppletionem Tui amoris miseri, & conare quàm frequentissimè elicere actus Amoris DEI.

3. In eodem Incarnationis instanti, Anima illa beatissima exercuit omnes virtutum actus, ejus beatitudini non repugnantes. Adoravit Sanctissimam Trinitatem, gratias illi egit pro omnibus donis & privilegijs sibi collatis, profundissimè illi se demisit, resoluit se ad omnia ei placita, zelavit honorem DEI, desideravit salutem omnium hominum, inquantum possibile est, miserata est miseriæ nostræ Imitare prout potes Christum Dominum in usu talium virtutum, & actiones tuas ex motivo earũ disce peragere.

4. In eodem Conceptionis instanti, Christus heroicam fecit resolutionem, ad omnimodam Patris æterni voluntatem adimplendam, iuxta illud (Psalmi 39.) *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, DEUS meus volui.* Similiter fecit resolutionem ad omnia mundo & carni contraria, juxta illud. *Proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta.* (ad Hebr:12.) Similiter ad sterilitatem laborum, dolorum, Passionis & mortis suæ, quæ futura erat ex parte ingratorum hominum, tanta remedia applicare sibi nolentium, juxta illud (Psalmi 34.) *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Tandem resolvit se

ad vitam

ad vitam brevem in hoc mundo agendam, esto longissimâ fuerit dignissimus. Æmulare hæc Charismata meliora, & proportionatos actus, juxta tuum modulum studeas exercere. Offer istas heroicas resolutiones, SS. Trinitati, in compensationem tuæ tepiditatis.

SABBATO.

In vigilia Nativit D. N. *De occupationibus internis B. V. circa Nativ:*

1. EXpende Christum D. à primo suæ Conceptionis instanti, per 9. menses, quibus in utero Virginis latuit, specialiter occupatum fuisse, in exornando corde & anima Beatissimæ Virginis Matris suæ. Adoravit illa cultu latriæ Filium DEi hypostaticè unitum naturæ humanæ, in primo statim Incarnationis instanti, & plusquam Seraphico erga illum exarsit amore, atq; in his actibus continuò ferè mentem exercens, *Magnificat anima mea Dominum,* (Lucæ 1.) perpetuò iubilabat in corde. Christus autem habens in se depositos Divinitatis thesauros, non patiebatur se ab illa vinci liberalitate, ideoq; tribuebat illi, quidquid puræ Creaturæ tribui potest. Disce, qualibus affectibus debeas tantum tractare hospitem, dum illum suscipis in Eucharistia. Disce insuper, nihil à te præstari posse carius Filio DEi, quàm si te occupes in exornanda omnibus præconijs Pretiosissima Matre sua.

2. Expende, Beatissimam Virginem, imminente jam Nativitate Filij sui, genuflexam, orantem, atq; in meditatione futuri mysterij absorptam; cùm ecce videt delicias Sanctissimæ Trinitatis & suas, infantem Deum, virtute altissimi, facto penetrationis miraculo, in terra depositum, quem illico cum profundissima veneratione, accepit in ulnas suas, panniculis involvit, in præsepio collocavit, fæno aut stipulis nonnihil contexit, tum profundissimè inclinata, in varios prorupit affectus, Fidei, salutationis, Gratiarum actionis, laudis, amoris, zeli gloriæ ejus &c. Quos actus etiam tu toto animi conatu exerce. Deinde

considera, ita honoratam esse à Christo Virginalem Matris Castitatem, ut nascendo non solùm eam non læserit, sed etiam auxerit. Sub idem verò suæ Nativitatis tempus, omnes in toto orbe sodomitas repentinâ morte sustulerit; dedecori enim sunt DEo Incarnato omnes impuri. Cura igitur honorare Christũ natum omnimodâ puritatis virtute, devitando in ea minimos etiam defectus, ut placeas tanto virginalis pudoris zelatori & conservatori.

3. Expende B. Virginem in Nativitate Christi factam esse absq; ullo dolore puerperam, imò potiùs cum cælesti & ineffabili gaudio. tum quia non decebat Matrem Dei, communi subiacere maledicto; tum quia non ordinario genituræ modo sed miraculosè, per penetrationem, editus est, in lucem Filius DEI. Disce, omnia operari pro Deo cum gaudio & hilaritate animi; imò etiam in ipsis afflictionibus gaudere, dicereq; cum Sanctis: *Amplius Domine ampliùs.*

4. Expende, Christum D. in puncto separationis à corpore S. Virginis & Nativitatis suæ in compensationem hospitij 276. dierum, quibus hospitatus est in Beatissima Virgine, singulare ei contulisse donum. Et inprimis elevâsse illam ad videndam secundùm quosdam intuitivè Trinitatem, totumq; mysterium Incarnationis ac Nativitatis. Deinde contulisse eidem augmentum Gratiæ dignum & Filio tanto, & Matre tantâ. Accurre & tu ad hunc gratiarum fontem, parvulum DEum, & pete, ut ejus indivinata Humanitas, tuam carnalizatam, & bestializatam reformet humanitatem, ut dum DEus incarnatur, tu penitùs excarneris, toto corporis usu in DEum & propter Deum translato. Deinde ut in Deo infante sis nova creatura, novum figmentum, *ut cor & caro tua reflorcat* (Psal: 27.) *vigore puditiæ & omnis sanctimoniæ.* Tandem, ut anima hujus infantis, ejusq; omnes operationes influant in animam operationesq; tuas.

IN NATIVITATE D. N. IESV CHRISTI

Contemplatio.

INgressus mente stabulum Betleemiticum, contemplare parvulum

parvulum DEUM ſpecioſum præ Filijs hominum, imprimis in terra iacentem, deinde pannis involutum, tandem in præſepio reclinatum, facâq; illi profundiſſimâ reuerentiâ alloquere illum primò ſic: o Fili DEI, quid tandem tibi cum filijs hominum? *quid luci cum tenebris?* (2. ad Cor: 6.) quid ſapientiæ cum eo, *qui comparatus eſt iumentis inſipientibus?* (Pſal: 48.) Deinde audi illum veluti reſpondentem: Natus ſum tibi homo, ut tu naſcaris mihi. Factus ſum caro, ut tu excarneris, & ſic fias, acſi non eſſes caro. Factus ſum homo, ut tu deſinas eſſe homo, & incipias eſſe per ardentem mei amorem DEUS. In terram veni, ut tu terram deſeras, & cælum petas. *Quia deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* (Prov. 8.) Tum exardeſce in DEum vivum & dic: & quæ jam erunt deliciæ meæ, ô *DEUS infans*, niſi eſſe tecum! Procul mundus cum ſuis divitijs & honoribus; procul Caro cum ſuis illecebris & oblectamentis; tecum ſolo deliciæ meæ. Auſer omnia, ſolus mihi ſufficis. *Quid mihi eſt in cælo & à te quid volui ſuper terram* (Pſal: 72.)

2. Contemplare parvulum JESUM, & alloquere illum: Et cur ô DEus immenſe in tam exiguam infantis ſtaturam decreviſti? cur parvulus factus es? Deinde audi illum veluti reſpondentem: Parvulus datus ſum vobis, ut me faciliùs capiatis, ut ad me ſecuriùs accedatis, & ut vos mecum parvuli fiatis. Tum in tenerum prorumpe affectum: ô parvule magne! ô maxime parve! accedo ad te, & proruo ante Te, figmentum tuum: calca, preme, apprehende, poſſide, hanc animatam à te pulveris maſſam, vileſcam, exinaniar, annihiler, pro te, coram te, ô parvule DEus! *Omnia arbitror ut ſtercora, ut te lucrifaciam. Omnium detrimentum libenter patiar propter eminentem ſcientiam JESU Chriſti.* (ad Philip: 3.)

3. Intuere parvulum JESUM, & alloquere illum: Et cur in præſepio iaces? qui ante Luciferum genitus, in ſinu æterni Patris deliciabaris? Deinde audi illum reſpondentem: Quia cor tuum negas mihi. Tum prorumpe in amoris plenum affectum: *DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.* (Pſal: 72.) Non eſt quidem abjectius quidquam ac fœtidius, quàm cor meū. Hoc enim ſtabulorum ſtabulum, præſepiorum præſepium, fimetorum

torum fimetum! ad complementum tamen dignationis tuæ, ut non habeas, quò te deijcias ampliùs, recipio, & reclino te in corde meo. O cor meum immutare, nihil ampliùs jam ſpira, nihil reſpira, niſi IESUM natum. *Cor mundum crea in me DEUS, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* (Pſal: 50.)

IN FESTO S. STEPHANI *Protomar:*

Contemplatio Lapidationis S. Stephani.

1. COntemplare S. Stephanum, eo, quo à Spiritu S. deſcribitur, modo: *Plenum Gratia*, nempè, gratiâ apud DEum & apud homines, juxta cor DEI. Noli triſtari, ſi non habeas Gratiam apud homines, cura tamen illam, inquantum ſubſervit Gratiæ DEI. *Plenum fortitudine.* Timidus enim & infirmus in ſervitio DEi, parum operatur. *Facientem prodigia magna in populo.* Magnum prodigium, ſi homo in doctrina & virtute magnus, velit in oculis omnium eſſe deſpectiſſimus. *Facies ejus erat, ſicut facies Angeli.* Tales ſunt, in quibus innocentia & ſimplicitas, ſine ullo fuco elucet. *Increpantem: dura ceruice &c. Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis* (Actor: 7.) Imitare hunc zelum, dum neceſſarius eſt, & ipſe inſtinctibus Spiritûs S. non reſiſte. *Intendentem in cælum, videntemq; Gloriam DEi & JESUM ſtantem.* Diſce intendere in cælum crebrà deſideria perpetuamq; intentionem. Commendantem Chriſto animam ſuam: *Domine JESU ſuſcipe Spiritum meum.* Idem fac ſæpiùs; imò quotidie ſis veluti agonizans. *Flexis genibus orantem pro inimicis.* Imbibe hunc affectum erga inimicos, & ſerva illum uſq; ad mortem, ſi vis eſſe amicus Chriſti in æternum.

2. Vide lapidatores S. Stephani. 1. *Surrexerunt* contra eum, eò quod omnis malitia per ſuperbiam aſſurgat, ut iterum cadat. Velis igitur potiùs infimo poni loco, quàm aſſurgere. 2. diſputantes cum illo *non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui.* Hinc diſce, ut omnia verba tua ſint ex præmeditatione & ex ſpiritu DEi, atq; propter altos fines. 3. *Diſſecabantur cordibus & ſtridebant dentibus.* Ecce quantum iracundi ſibi nocent! cor proprium diſſecant & in ſtri-

in stridore dentium, damnatos aut bestias imitantur. 4. *Aures suas continuerunt.* Hoc est proprium reproborum, obturare aures, nolleq; audire verba salutis. 5. *Eijcientes eum extra ciuitatem lapidabant.* Non pati in medio sui bonos eosq;, eijcere, est obdurato ũ in malo, à quibus non exspecta, nisi lapides, id est duritiem cordis, conuitia, calumnias, maledicta.

3. Aspice Christum Dominum spectatorem pugnæ servi sui. 1. *Stantem.* Et cur stat? quem sedere ad dexteram Patris credimus? paratus quippe ad servos suos defendendos Christus; & postquam vicerint, ad occurrendum eis cum triumpho. Stat Christus, dum ad constantiam hortatur servos suos, eamq; illis largitur. Non requiescit etiamnum Christus, sed stat, dum in servis suis laborat & patitur. 2. *Stantem aperto cælo;* cui enim patentius aperitur cælum, quàm amatoribus inimicorum? 3. Stantem cum exhibitione gloriæ Dei. S. Stephanus non videt gloriam suam, sed *gloriam DEi, & JESUM stantem.* Quia nimirum, dum lapidatur, non quærit gloriam suam, sed solam DEi Gloriam, & JESUM se spectantem, unicè spectat ac intendit.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ

1: COnsidera, præcipuam gratiam S. Ioanni à Christo Domino collatam, quòd eum præ ceteris Apostolis ita dilexerit, ut antomomasticè dicatur (Ioan: 13.) *Discipulus quem diligebat JESUS*, seu discipulus magni Professoris, nempè Amoris Divini. Et quia non potest non diligi à Dei Matre, qui diligitur à Christo, factum est ut Christus Matrem illi suam per sanguineum testamentum legaverit, & in matrem dederit, eũq; Filium ipsius fecerit. O quantum est diligi à JESU & MARIA! Gratiam hanc postquam S. Ioannes semel invenit, nunquàm amisit, sed custodivit illam tanquam pupillam oculi, neq; tantum custodivit, sed conatus est respondere illi, ita, ut dici possit discipulus, qui diligit JESUM & MARIAM. Factus est enim *Magister Amoris*, docens verbo & exemplo mutuam charitatem. Resolvit se pro amore Christi, ad dolium ferventis olei, ad epotandũ venenum, ad exilium. Diligit & te JESUS & MARIA, sed tu eos non dili-

non diligis, & propter illos ad nihil te resoluis, facilè gratiam eorum perdis, euadisq; cæli & terræ odium.

2. Expende singularem S. Ioannis virtutem, quòd *Virgo à Christo electus, Virgo semper ad extremum vitæ halitum mansérit* (*Antiph: Ecclesiæ*) Hanc Angelicam ejus virtutem dignificauit Christus. 1. dum ei tantam ad se dedit confidentiam, ut in ultima cæna supra pectus ejus recumberet. 2. dum ei Beatissimam Virginem in matrem dedit. 3. dum illi secreta cælestia reuelavit. 4. dum Angelis non permisit se ab eo adorari. 5. dum corpus ejus a notitia nostra voluit esse absconditum. Disce, enitere quam maximè in virtute puritatis; hæc enim facit hominem diligi à JESV & MARIA. Disce in solo JESU conquiescere & spem tuam reponere. Disce quemlibet ex proximis, debito afficere honore.

3. Aduerte. S. Ioannem solum ex Apostolis stetisse sub Cruce Christi cum B Virgine: Hoc enim signum est, quòd aliquis peculiariter diligatur à DEo & diligat DEum, si nunquam dimittat Crucem JESU, si spiret Spiritu Crucifixi JESU, si iugiter *in suo corpore mortificationem Crucis Christi portet*, (2. Cor: 4.) si potius malit mori, quàm non esse sub Cruce JESU, si nullo respectu patiatur se abstrahi à Cruce JESU. Vide, an tibi ita sit cordi Crux JESU, id est, pati pro JESU.

IN FESTO SS. INNOCENTUM.

1. COnsidera, cur Christus primitias Martyrum non ex alio genere hominum sibi delegerit, nisi ex parvulis innocentibus, de quibus S. Chrysost: *ô parvuli beati, modo nati, nondum ablactati, nunquam tentati, & jam coronati!* Quia nimirum Prima & gratissima Deo victima est, dum innocentia patitur, seu dum innocentissimè patimur absq; ulla culpa nostra, idq; pro Christo, pro fide in illum, vel pro alia virtute. Aspira & anhela ad sic patiendum. Et quia non desunt occasiones, ut aliquid innocenter patiaris, arripe tales occasiones ex animo.

2. Expende illa Ecclesiæ verba ad DEum de SS. Innocentibus: *DEUS, cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt &c.* Ex quibus disce, duo esse meritoria coram Deo, & agere:

& agere & pati. Viuere & mori pro Deo, in DEo. Si igitur, non potes agere, & potes pati, si DEus non vult, ut vivas, sed vult, ut patiaris, ut moriaris, æquè contentus esto. Quia non minus est hoc Dei beneficium, quàm illud. Quamvis enim illud videatur honorificentius & apparentius, tamen hoc tantùm comparativum ad judicium mundi, & æstimationem hominum, non verò respectu Providentiæ DEi, quæ longè melius videt, quam nos, quid nobis necessarium sit ad æternitatem, & magis nos amat, quàm nos ipsi, ac proinde nobis utiliora optat, quàm nos possimus.

3. Examina, cur Christus D. & tota ejus familia, MARIA & Ioseph fugiat in AEgyptum ad Ethnicos? ad illos, ex quorum servitute per tot difficultates, eductus est Israël, fugiat, inquam, tunc, quando *turbatur Herodes & omnis Hierosolyma* (Mat: 2.) id est, visio pacis, cum illo? quando innocentia opprimitur, & copiosus parvulorum effunditur sanguis? An quia ibi Christus non potest manere ubi est turbatio, & inquietudo? Vide ergo, ne cor & corpus tuum, à tumultuante concupiscentiarum turba inquietetur. Dum turbatur Hierosolyma, Pacis visio, tranfert se Christus in AEgyptum. Quanto tibi erunt pudori, ipsi homines mundani, apud quos interdū quæsitus residet Christus, quàm apud te. Recedente Christo perimuntur Innocentes: Quia quem deserit gratia DEi & memoria præsentiæ illius, facilè perdit animam. Herodis locò, erit illi prava concupiscentia, quæ illum mortali culpâ perimet.

DIE XXIX. DECEMBRIS

De Circumstant. Nativit: Christi.

1. EXpende Circumstantiam Status politici, in qua natus est Christus: nempe sub Augusto Cæsare, qui hunc titulum, *Dominus*, cùm ipsi deferretur à Senatu, usurpare noluit. Tempore uniuersalis per orbem pacis, *cùm describeretur uniuersus orbis*, (Lucæ 2.) nempè Imperium Romanum. Disce hinc 1. Solos humiles esse capaces Christi nati. 2. Pacem, Christo D.

placere, eam præsertim, quæ à bona voluntate procedit. 3. descriptionem te debere facere. Vide ergo, ad quem librum pertineas, an ad librum vitæ? an verò ad librum mortis seu æternæ reprobationis?

2. Expende circumstantiam temporis naturalis, in qua natus est Christus. Nempè circa solstitium brumale, quando dies incipit crescere, mense frigido, noctu, cùm medium silentium tenerent omnia, sub signo Aquarij &c. Nimium jam decreverat fortuna humana, ergo illam facit crescere Infans DEUS. *Refrixerat Charitas DEI in cordibus hominum* (Matth: 24.) venit eam calefacere Christus natus. Noctu natus est, ut tenebras peccatorum lumine suæ charitatis dispelleret. In medio silentio natus, ipse solus locuturus, ut Divinos ejus susurros meliùs percipere-mus. Fontes Salvatoris aperturus & manaturus aquas salutis sub Aquario natus. Disce hinc crescere & proficere in virtute, in actionibus tuis præsertim DEum concernentibus feruere, tenebras aliorum dispellere, ignorari, & in obscuro angulo latere velle, fluentis doctrinæ alios irrigare.

3. Expende, Christum D. natum esse in medio duorum animalium domesticorum, ad toleranda pondera natorum, quod olim prophetaverat Isaias: (Cap: 1.) *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Et Habacuc: (c. 3 juxta 70.) *In medio duorum animalium cognosceris.* Disce hinc, charum esse Christo, si sis veluti iumentum coram DEo, ad ferenda patienter & æqualiter, omnia onera, excepto peccato, paratum. Si sis in Religione tanquam iumentum, ut quivis tuâ utatur operâ, usq; ad defatigationem, ut contentus sis paleis, & nihil dicas etiam ad verbera: ut etiamsi multum laboraveris, multos Christo subegeris, omnia benèfeceris, tamen pro inutili reputeris, linguarum flagris cædaris, tandem ut victima grata DEo, macteris & occumbas.

DIE XXX. DECEMBRIS

De alijs circumstantijs Nat: Christi.

1. EXpende circumstantias Loci, in quibus natus est Christus.

ſtus. Nempe quia natus eſt in Palæſtina, quæ erat terra promiſſionis, ac typus cæleſtis patriæ. In Bethleem Civitate Dauid, quæ ſignificat *Domum Panis*. *In medio terræ operatus eſt ſalutem noſtram*, (Pſal: 73) In Palæſtina igitur natus, quia nos inducturus erat in terram illam cæleſtem, delicijs æternis veluti *lacte & melle manantem*. (Exod: 3.) In Ciuitate David natus, quia non unum erat facturus, tanquam Davidem, *virum ſecundùm cor DEI*. (Acto: 13.) Natus in Domo Panis, quia futurus erat panis vivus in alimoniam vitæ æternæ. *Medius noſtrûm ſtetit*, (Ioan: 1.) tanquam mediator inter DEum & homines; tanquam Cor, omnibus Eccleſiæ ſuæ membris, vigorem & media ſalutis proviſurus; tanquam centrum, ad quod, affectus omnium æqualiter collimarent. Diſce hinc diligere medium, vitare extrema impetuoſitatis & inefficacitatis. Cura, ut cor tuum ſit Civitas David, id eſt, ſecundum cor DEI. Cura, ut ſis *Domus Panis*, nempè ut continuò fameſcas, & fame ipsâ comedas *Panem vitæ*, nempè Sanctiſſimum Sacramentum.

2. Expende alias circumſtantias loci, in quo Chriſtus eſt natus. Nempé in Stabulo; quia ibi primò quærebat hominem, qui *cùm in honore eſſet, non intellexit, ſed comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. (Pſal: 48.) atq; ut iumentum computruerat in ſtercore ſuo. Propè viam natus eſt, ut ab omnibus facilè inveniretur; inſuper, quia erat ille Samaritanus, qui *deſcendentẽ ab Hieruſalem in Iericho, & à latronibus vulneratum, Sanaturus erat*; (Lucæ 10.) unde præſtò eſt, & ſuam illi operam, ſuas lacrymas, tanquam vinum & oleum, ſuas faſcias ad alliganda ejus vulnera libenter offert. *Non erat ei locus in diverſorio*; (Lucæ 2.) tum quia ibi erat tumultus variorum hominum; *in pace autem locus ejus*; (Pſal: 75.) tum ut nobis per hoc, plurimas in cælo pararet manſiones. Diſce, omnibus tuâ operâ indigentibus coram DEo obvius eſſe. Gaude, ſi tibi homines locum inter ſe honorificum nõ concedant, ſi alij tibi præferantur, ſi uniuerſaliter de te verùm ſit. *Non erat ei locus* in hac vita, tanquam ad nihil jam utili.

3. Contemplare Angelos & Paſtores ſub tempus nati Chriſti: Et Angeli quidem, inchoante miſſam ſeu miſſionem ſuam ſummo Sacerdote DEo-Homine, inchoant canere: *Gloria in excelſis*, (Lucæ 29.)

(Lucæ 29.) & nomine Christi promulgant pacem, *Pax vobis, Pax hominibus.* Pastores verò vigilantes, primi ab Angelis accipiunt nuntium de Salvatore nato, tum ad Christum properant, adorant illum, alijsq; denuntiant. Disce ab Angelis. 1. Gloriam Dei excelsam, id est, semper majorem in omnibus spectare. 2. esse Filius Pacis & Pacificator. Ex Pastoribus disce. 1. nuntium salutis non dari dormientibus sed vigilantibus. 2. non procrastinare, sed festinare & celeriter exequi inspirationes Divinas, bonaq; proposita.

DIE ultimâ DECEMBRIS

Natus est vobis Salvator.

1. COnsidera, Christum Dominum ita esse nobis natum, ut quantus quantus est, sit Proprietas, Possessio, & res nostra, cum omnibus bonis suis. *Sic enim DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum nobis daret, cum quo nobis omnia donavit.* (Ioan: 3.) *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & Incarnatus est.* Iam vide, quàm æquum sit, ut etiam Tu sis totus DEi omniaq; tua plenè dones ac dedices DEo. Dic igitur efficaciter: *Suscipe Domine universam libertatem, &c.* (S. Ignat:)

2. Considera Christum Dominum ita tibi esse natum, tuamq; Proprietatem, factam, tanquam nullius alterius hominis esset Proprietas. Quamvis enim solus & unicus in mundo fuisses, tamen Filius DEi pro te solo factus fuisset homo, prout multi piè sentiunt. Sol æquè omnes illuminat, atq; unum, & æquè unum atq; omnes: ita Christus, *qui erat lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Ioan: 1.) O quàm æquum est, ut etiam Tu, solius Christi totus sis, & non ullius alterius Creaturæ, nisi in Christo & propter Christum. Renuntia ergo omnibus alijs, ut solus Christus sit tibi omnia.

3. Considera Christum Dominum ita tibi esse natum, ut quoad omnem usum sit Tuus. Est tibi Rex, Pater, Magister, medicus, Servus, Pastor, Pascuum, ostium, via, exemplum, lux, cibus, po-

bus, potus, vita, deniq; omnia. Iudica igitur, an non æqvum sit, ut tu quoq; sis totus Christi, quoad omnem illi placitum usum, ut Christus utatur anima tua & Corpore tuo, prout vult. Si vult te sanum habere, fiat. Si vult infirmum, fiat. Vult te affligi, fiat. Vult te lætificare, fiat. Vult in tali officio, loco, circumstantia habere, fiat. *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* (Psal: 72.)

IN FESTO CIRCVMCISIONIS DOMINI.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer.

1. REvoca tibi in memoriam, non 8. dies, sed tot annos præteritos & consummatos, vitæ tuæ, si non secularis, saltem religiosæ, & recogita illos in amaritudine animæ tuæ. Et inprimis, ubi sunt? transierunt veluti fumus! veluti cursor unius diei? veluti sagitta volans in aëre! fuerunt quasi non essent, jam amplius non possunt revocari. Quid per illos coram DEo promeruisti? quid cælo importâsti? Non ideo tibi dati erant, ut eos dilapidares, Deumq; offenderes. Vide quantum temporis in domo DEi, sub vexillo JESU consumpsisti? quot occasiones & media non solum ad salutem, sed etiam ad perfectionem & sanctitatem habuisti; in quàm magnum Sanctum evadere potuisti, & non evasisti. Quis in causa? Vide & amplius non irrita patientiam DEi. Nimis diu te tolerat JESUS. Cogita practicè & efficaciter, quomodo in posterum debeas vivere dignè JESU; & interim pro defectibus anni præteriti vel fac disciplinam tot ictuum, vel dic Coronam tot actuum, quot sunt dies in anno, nempè 365.

2. Expende, te quidem annum hunc ordiri, sed an sis illum finiturus, ita ut de diebus illis dicere possis: Consummati sunt dies anni N. N. Tibi omnino incertum est. O quot homines hoc anno per totum orbem morientur! inter quos eris fortè & tu. Iam si scires, te hoc anno, certò moriturum, quid faceres? immo quid non faceres? Quomodo conscientiæ provideres, quàm

non curares ullam rem temporalem etiam ex ijs, quibus in Religione aliqui nimis adhærent. Quàm seriò cogitares de altera vita & ad illam te accuratè disponeres. Cur igitur modò non cogitas? Ah tandem resolutè dic: *Nunc cœpi*, ut in te *sit mutatio dexteræ excelsi.* (Psal: 76.)

3. Pone ante oculos tuos, utrumq; librum, & quem scripsit Angelus tuus Custos, & quem infarcinavit tentator tuus diabolus, in quibus lege & fac seriam calculationem, talem, qualis fiet te invitò in iudicio particulari tunc, dum morieris. Vide quot meditationes, Examina, Communiones, animarum conuersiones, & alia opera tua, digna utcunq; DEo & cælo, adnotata sunt ab Angelo Custode? quot è contra à diabolo? Vide & confundere coram DEo. Vide in particulari Causas irreligiosè peracti à te anni. Calcula defectus & vitia fontesq; eorum: Condemna omnem præteritam negligentiam. Cogita de modis efficacibus te emendandi. Pete à Deo singularem ad hoc gratiam, per dulce nomen JESU & gloriosæ Matris ejus.

DIE II. IANVARII.

De tempore promerendi vitam æternam.

1. COnsidera bonitatem temporis ad promerendam vitam æternam. Quid enim sunt 70. aut 80. anni, quos rari vivendo, conficiunt, respectu totius æternitatis? Abstrahamus ab his annos infantiæ, usq; ad instans usûs rationis, abstrahamus tempus somni &c. Sed præsertim illud tempus, quo aliquis durat in peccato mortali; vel quo tepidè vivit, quo venialiter peccat &c. Iam vide, quàm sit breve hoc tempus; & tu illud adhuc magis abbrevias, dum nihil dignum cælo agis. *Operare, dum dies est, quia veniet nox mortis, in qua non amplius meritoriè operaberis.* (Ioan: 9.)

2. Considera. Si alicui ex damnatis DEUS permitteret ad vitam redire, & unicam illi tantùm horam concederet ad emendandam vitam, & promerendum cælum, quid ille damnatus non faceret! quas pœnitentias non exerceret! quàm parùm humanos re-

nos respectus ac totum mundum curaret! Deinde si idem alicui ex beatis jam concederetur, ô quàm fructuosè horam illam ipse insumeret. Deniq; si tibi ipsi post mortem, reditum ad hanc vitam per spatium unius horæ daret, quid illâ horâ non faceres? Cur igitur tot horæ tibi frustra elabuntur.

3. Si per impossibile, tu ipse DEUS esses, & Creaturæ rationali tàm commodum tempus tàm apta media, ad promerendam salutem dares, illa autem Creatura non uteretur tempore, imò abuteretur, ac desidiosissimè omnia faceret, quo vultu illam intuereris Creaturam, quomodo illam ferres? Cur igitur tu nunc DEo tuo, talia facis, & nauseam quodammodo moves? Excita te tandem, & incipe cum JESU, novum annum, novam diligentiam, novam observationem votorum, regularum &c.

DIE III. IANVARII.

De Æternitate.

1. EXpende, Æternitatem, ad quam creati sumus, & qua durabimus vel benè vel malè in æternum, his exprimi terminis. *Quamdiu DEUS erit DEUS* Cogita numerum quêcunq; potes maximum, absorbebitur ille, & quia manebit hoc; *DEUS est & erit* manebit etiam æternitas tota, consistens in hoc, *Quamdiu DEUS erit DEUS*. Iubeatur aliquis damnatus unam lacrymarum guttam, intra millionem millionum annorum effundere, & implere illis guttis tantum spatium, quantus est totus mundus. Implebit, & tamen manebit adhuc integra æternitas nihilo diminuta, quia manebit hoc: *DEUS est & erit*. Iam vide, si te æternitas tanta manet, cur non serio illam recogitas? Quid tibi cum temporalibus? quid cum terrenis? æterna, specta, æstima, appete.

2. Expende æternum væ, æternum malè. Tum quia voluntas damnatorum æternùm erit aversa à DEo, Tum quia iustissimum DEi decretum immutari non poterit, latum in eos, qui voluntariè recesserunt à DEo. Iam si ita est, & non dices DEo tuo? Æterne DEUS, *hic ure, hic seca, modò in æternum parcas.*

S. Aug:

S. Aug: Audebisne voluntariè peccato mortali offendere DEum, atq; in tantum periculum te conijcere?

3. Expende Æternum benè, æternum Euge. Dies ille beatus non habebit occasum. Semper erit in auge. Finis ille ultimus non habebit finem. Vita illa erit perennis absq; morte. Triumphus ille erit sine intermissione, iubilus absq; pausa. Iam vide, quàm facilè id acquiratur, *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operabitur.* (2. Cor: 4.) O quanta fatuitas! pro transitorijs amittere semper duratura. O quanta Sapientia! pro modicis acquirere immensa, pro instantaneis æterna.

DIE IV. IANVARII.

Vocatum est nomen ejus IESVS.

1. NOmen hoc Verbi Incarnati, est nomen novum, de quo prædixit Isaias (c. 62.) *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.* Quamvis enim Iosue, (Eccl: 46.) & JESUS Filius Sirach, qui ut asserit S. Hieronymus in prologo, composuit Ecclesiasticum. Et deniq; JESUS magnus Sacerdos (Zach: 3.) avus istius, qui composuit Ecclesiasticum; quãvis inquam vocati sunt hoc nomine conuenienter: Salvaverunt enim populum à multis malis temporalibus, non tamen à peccatis; qui modus Salvationis competit soli JESU nostro, juxta illud (Matt: 1.) *Vocabit nomen ejus JESUM, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Iam vide, an hoc nomen novum, quod invocatum est & invocatur super te, innovaverit te, an in *novitate vitæ ambules:* (ad Rom: 6.) Vide, an anima tua retulerit donum salvationis à peccatis; eoq; nunc gaudeat. Explora cor tuum & affectus tuos, loqueturq; tibi confidenter conscientia tua.

2, Nomen hoc non est vacuum & inane; sed efficacissimum, ut ait S. Bernardus. *Neq; enim meus iste JESUS, nomen vacuum aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Quia non est aliud nomen sub sole, in quo nos oporteat salvos fieri.* (Act. 4.) Nomen

men hoc, *est oleum effusum* (Cant: 1.) revera enim effusum & profusum erga nos. Quidquid namq; in eo petierimus, obtinebimus. Nomen hoc juxta S. Bernard. *est mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Sub hoc dulci nomine, nemini esse desperandum* monet S. Augustinus. (Super Psal: 62.). Nomen hoc, est *solatium in tribulationibus. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati.* (Act. 5.) Cogita & vide, an hoc nomen ita tibi sit efficax.

3. In hoc nomine JESUS, seu Salvator, iuxta *S. Thom: 3. par. q 37. a. 2. & in 1. dist. 8. a. 1.* continentur omnia alia nomina, quibus Christus à Prophetis est appellatus. Continetur enim *Emmanuel, nobiscum DEUS.* quod nomen est Principium Salvationis nostræ, dum in uno *suppositio Divino*, unitæ sunt duæ naturæ, Divina & Humana. Continetur *Consiliarius, Admirabilis,* (Isaiæ 9.) denotans medium ad salutem, consilia & miracula probantia ejus Divinitatem. Continetur *Princeps Pacis, Pater futuri seculi;* (Isaiæ 9.) significans eum finem, in quo salvatio nostra finaliter consistit, nempè visionem Pacis & futuram hereditatem. Nomina quoq; illa: (Isaiæ 8.) *Accelera, spolia detrahe, festina prædari,* continentur in eodem. Significant enim media Salvationis, nempè consilia Christi. Reflectas te, & vide, an verificetur in te quoad hæc omnia JESUS. Estnè tibi Emmanuel? estnè tecum per gratiam? servasnè exactè consilia ejus? Estnè in te Pax. anhelasnè ad futurum seculum? Estnè in te zelus animas eruendi è potestate diaboli?

DIE V. IANVARII.

Vocatum est nomen eius JESVS.

1. CONsidera nomen JESU, prout est characteristica, & insigne, ac titulus Religionis tuæ; de quo Ludolphus à Saxonia Carthusianus, ante 300 & ampliùs annos scripsit (1. parte. Vitæ Christi) *Sicut per gratiam baptismalem à Christo dicuntur Christiani, sic in gloria cælesti, ab ipso JESU dicemur Iesuitæ.* Hugo quoq; Cardinal. à 500. annis scripsit: *In cælesti gloria ab ipso JESU, omnes dicen-*

tur Iesuitæ. Si ita est, si Iesuitæ nonnisi cælestes homines appellantur, ergo te hominem cælestem esse necesse est. Dic igitur cum Augustino de spiritu & litera. *Miser ego, quantùm debeo diligere* DEum *meum, qui me fecit, cum non eram, redemit cum perieram. Non eram, & de nihilo me fecit, non lapidem, non arborem, non aliquod de animalibus, sed voluit me esse hominem dedit vivere, sentire, & discernere, reduxit me de exilio, redemit me de servitio. Vocavit me Nomine suo, ut memoriale suum, semper esset apud me. Unxit me oleo letitiæ, quo ipse erat unctus, ut ab uncto essem unctus, à Christo dicerer Christianus.* à JESU Iesuita.

2. Considera nomen JESU debere esse, *Primum vivens* hominis Christiani. & multò magis Religiosi, Patuit hoc in S. Ignatio Martyre, discipulo S. Ioannis Evangelistæ, in cujus corde post mortem discisso, apparuit hoc nomen aureis exaratum literis. Et in corde P. Rochi Gonzalez è nostra Societate, quod post præcisam cervicem ab Ethnicis, auditum est JESUM inclamare. Patet & inde, quia iuxta Apostolum 1. Corint. 12. *Nemo potest dicere: Dominus* JESUS, *nisi in Spiritu Sancto,* dicere inquam, corde, ore, & opere, ut exponit. *S. Augustinus.* Atq; ita nomen JESU semper est conjunctum inspirationi Spiritus S. sine quo Spiritualiter non vivimus. Vivisnè Religiose hoc nomine? Vivis, si in te vivit JESUS, Si non putas te scire aliquid, nisi IESUM. Si omnibus actibus tuis spiras JESUM.

3. Considera nomen JESU debere esse, *Ultimum moriens* hominis Christiani, & multò magis Religiosi. Id sibi optabat *Hugo de S. Victore,* inter tria hæc vota. 1. *ut cibus ejus ultimus esset Sanctissima Eucharistia.* 2. *ut ultima ejus cogitatio esset de Passione Christi.* 3. *Ut ultimum ejus Verbum esset dulcissimum nomen* JESU. Ad quod ut alliciant summi Pontifices, pronuntiantibus Sacrosanctum hoc nomen in articulo mortis, Plenariam concedunt Indulgentiam. Si vis Religiose, ut hoc nomen salutiferum, tibi sit *ultimum moriens;* sit tibi nunc & primum & continuum vivens, & quidem nō per solam compellationem, sed per practicam ipsius JESU imitationem.

IN EPI-

IN EPIPHANIA D. N. IESV CHRISTI.

1. COntemplare istos tres Magos, Primitias Ecclesiæ & Fidei ex Gentibus, & imaginare illos, sub id tempus, quo natus est Christus, DEo ità disponente, in uno loco simul congregatos, atq; de stella, quam prædixerat Balaam, (Numer: 24.) *Orietur stella ex Iacob*, tractantes, quod esset signum Christi. Cùm ecce vident inusitatum sidus ad orientem parens, & conijciunt eam omnino stellam esse, interim autem interiùs à Deo illuminantur, & ad quærendum Christum excitantur, suaviterq; trahuntur. *Nemo enim ad Christum venit, nisi Pater cœlestis traxerit illum.* (Ioan: 6.) Statim igitur accingunt se itineri, duce stellâ pergunt, dumq; appropiant Hierosolymæ, stella illis disparet. Ingrediuntur urbem, causam sui adventûs nuntiant, turbato Herode & totâ Hierosolymâ, in proposito perseverant; auditoq; quòd in Betleem, juxta Prophetiam, Christus erat nascitурus, iterum stellâ comparente ac præviâ eò pergunt. Quâ super tugurium consistente, ingrediuntur illud, inveniunt puerum, adorant, munera promunt, & *admoniti in somnis ab Angelo, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuertuntur in regionem suam.* (Matt: 2.) Disce hinc 1 Non frustra dictum esse à scriptura: *Ecce magi ab oriente venerunt.* Iudæi habentes domi Christum, non quærunt illum, nec agnoscunt, hi autem Gentiles veniunt è longinquo, hi illuminantur, Iudæi autem excæcantur. Time, ne idem tibi contingat, dum te seculares in quærendo DEO superant. 2. Adeò nocivum esse malorum consortium etiam ad breve tempus, ut lumen Dei extinguat. 3. Servos Dei non debere à via salutis & perfectionis impediri turbationibus mundi. 4. Non debere te eam capessere viam, quâ primùm venisti ad serviendum DEo, sed aliam longè perfectiorem, à secularibus studijs alienam.

2 Contemplare Puerulum D. IESUM ab his Regibus inventum & adoratum, simulq; Pretiosissimam ejus Matrem, ab ijsdem honoratam. Quo vultu eos adspexit Infantulus DEUS,

quàm benignè eos allocutus, non ore, sed illorum corde. Quomodo munera eorum recepit, non passus se vinci ab illis, sed pro auro infudit illis Charitatem, pro thure traxit *illos in odorem unguentorum suorum*, (Cant: 1.) pro myrrha dedit illis gustum & saporem in omnibus amaritudinibus, propter se. Beatissima verò Mater quàm grata fuit regalis illius obsequij! quàm impensè postulavit à Filio Deoq; suo, ut tantam illorum Regum fidem ac devotionem, copiosis remuneraretur gratijs. Hoc considerato, disce nunquam esse MARIAM sinè JESU & JESUM sine MARIA. *Invenerunt enim puerum cum MARIA Matre ejus.* (Matt: 2.) Inuenerunt puerum, & adorauerunt DEum. Estnè tibi DEUS, puer? an cum illo tanquam cum puero agis? Offer deniq; Infanti DEo munera tua, scilicet vota Religiosa. Sed vide, ut Paupertas tua sit instar auri probatissimi, sine ulla rei temporalis scoria, ut illa sola sit thesaurus tuus. Vt castitas tua, toti cælo sit odoratissima. Vt obedientia tua etiam ad mortem & sepulturam sit parata.

3. Contemplare stellam, quæ hos Reges duxit ad Christum. Orta illa fuit, non juxta naturæ cursum, sed solo DEo ordinante. Movebatur non ab oriente ad occidentem, sicut alia sidera, sed Magos ducebat ad Christum. Lucebat etiam in meridie, aliquando apparebat, aliquando occultabatur; disparuit enim, dum Magi appropinquâssent Hierosolymæ, & quãdiu ibi morati sunt. Non omnibus deniq; apparebat saltem continuò, sed solis Magis. Hinc disce, illustrationes seu inspirationes Divinas à solo DEo provenire movereq; & ducere ad Christum: nec prodesse excæcatis per malitiam, vel contemnentibus illas. Vide igitur, ne nimius tot illustrationum Divinarum contemptarum fulgor te excæcet.

DIE II. infra octavam EPIPHANIÆ

De liberalitate DEI erga Homines,

1. EXpende liberalitatem DEi erga homines in ordine naturali quam scriptura multoties deprædicat, dum dicit: (Plal: 8.)

(Psal: 8.) *Omnia subiecisti sub pedibus ejus, & constituisti eum super omnia opera manuum tuarum.* Poterat DEus creando hominem, relinquere eum, cum suis nonnisi dotibus, & non constituere illum, Dominum uniuersi. Poterat illi non dare ad obsequium Creaturas nobiliores, nimirum Angelos, qui tamen omnes sunt Administratorij Spiritus. Poterat illi nonnisi ea tribuere, quæ sunt necessaria simpliciter, & non tribuere ea, quæ conducunt ad melius esse; præsertim, quia videbat hominem multis Creaturis sibi servientibus abusurum in contemptum DEi, nihilominùs omnibus bonis extrinsecis munificè hominem cumulavit. Hoc expenso, vide, quàm æqvum sit, ut tantæ liberalitati Dei saltem sic respondeas, ut nulla re utaris etiam in leuissimam ejus offensam, seu ut ita vivas, ne in vita tua reperiatur ulla à DEo disordinatio.

2. Expende liberalitatem DEi erga homines, quoad divitias ejus in ordine supernaturali, de quibus divitijs loquitur Apostolus (ad Ephes. 2.) *Vt ostenderet in seculis supervenientibus, abundantes divitias gratiæ suæ.* Agnosce quàm liberaliter DEus has divitias hominibus erogauerit. Nullus enim fuit, est, aut erit homo, etiam pessimus, cui DEus denegaverit, aut denegaturus sit gratiam sufficientem ad salutem, quamdiu vivit, quamvis eam millies & pluries abiecerit. Insuper, quamvis DEus non teneatur ulli dare gratiam efficacem (cùm inefficacia ejus, proveniat ex culpa ipsius hominis) tamen in omni lege, naturæ scilicet, legis, & Gratiæ, plurimis DEus dat istam gratiam, ac omnibus paratus est dare, si ipsi velint. Vide igitur ô homo, ne recalcitres DEo, & resistas gratijs ejus. *Quia perditio tua ex te est.* (Oseæ 13.)

3. Expende divitias Christi, quas Apostolus ad Ephes. 3. vocat *Investigabiles*, & agnosce, quàm liberalis fuerit DEus in eis erogandis. Percurre totum id, quod Christus fecit, docuit, instituit, passus est propter homines; & quod etiamnum operatur in hominibus. Et tamen tu post tantam liberalitatem miser & nudus; frustra in te tantæ expenduntur divitiæ. Vna susceptio Sacramenti Pœnitentiæ aut Eucharistiæ, posset te sufficienter mutare in virum alterum, posset tuis actionibus formam Christi imprimere, & tamen tot repetitæ horum Sacramentorum vices,

nihil in te proficiunt, nullam morum emendationem causant. O infernalis vorago quando tandem impleberis! ô fera indomita, quando tandem cicuraberis & miteſces! ô ſaxum duriſſimum, quando demum molleſces, & formam cæleſtem indues!

DIE III. infra octavam EPIPHANIÆ.

De eadem liberalitate DEi erga homines.

1. EXpende liberalitatem DEi in eo, quia totum id, quod DEus tam in ordine naturali, quàm ſupernaturali contulit homini, eſt meriſſimè gratis collatum. *Quis enim prior dedit illi & retribuetur ei?* (Rom: 11.) Ibidem hæc liberalitas DEi vocatur: *Altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI.* Nihil igitur ô homo priùs dediſti Deo, quomodo de aliquo talento ſuperbies? quomodo non omnia refundes & reſtitues DEo? quò aliò deviabit intentio tua, extra DEum? Siquidem flumina unde exeunt, eò reuerti debent.

2. Expende liberalitatem DEi in erogandis divitijs Bonitatis ejus, de quibus S. Paulus facit mentionem (ad Rom: 2.) *An divitias bonitatis ejus, & Patientiæ, & longanimitatis, contemnis?* O quàm affluenter DEus has erogat divitias! quamdiu te toleravit & tolerat! quamdiu expectavit & expectat te, & alios peccatores! Si igitur hæc ipſa liberalitas DEi non movet te ad ſedulò ſerviendum DEo, quid jam te movebit? Certabat hactenus malitia tua cum bonitate Divina, ergo illi tandem ſuccumbat, & quantò illi hactenus fuit pervicacior, tantò deinceps ſit obſequentior.

3. Expende liberalitatem DEI, in erogandis divitijs gloriæ, quas idem Apoſtolus obſervat in theſauris DEi, dum (ad Rom. 9.) ait: *Vt oſtenderet divitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Tota æternitas non poterit illam exhaurire liberalitatem, quam Sanctis ſuis DEus exhibebit. Dabitur illis *menſura non ſolùm bona, & coagitata, ſed etiam ſupereffluens. Momentaneæ tribulationi, æternum gloriæ pondus reſpondebit,* (2. Cor: 4.) Cur igitur tam parum pro cælo agis? immò cur nihil dignum cælo agis?

DIE IV.

DIE IV. infra Octavam EPIPH:

De liberalitate noſtra erga DEum.

1. EXpende eam eſſe Bonitatem DEI, ut licet nihil ſimus nihilq; habeamus ex nobis quaſi ex nobis, ex ipſis tamen donis Dei poſſimus eſſe erga Deum divites ac liberales. Innuit hoc ipſe Chriſtus D. (Lucæ 12.) ubi cùm retuliſſet, de quodam homine divite ſperante in bonis terrenis, & dicente: *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare;* dixiſſetq; illi DEVS: *Stulte hac nocte repetent à te animam tuam, & hæc quæ paraſti, cujus erunt?* adiecit Chriſtus: *ſic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in DEum,* ſeu (ut Vatablus ait) *erga Deum dives.* Iam te reflectas, an non tibi theſaurizas? quod certè tunc facis, cùm aliquid ex amore tui committis, vel omittis, cùm nullam naturæ violentiam inferre vis, cùm te à laboribus debilitate virium excuſas, & dicis: *non pro una die neceſſarias eſſe vires.* Stulte hac nocte repetent à te animam tuam. Dum enim ſic laboras invenire animam tuam, perdes eam.

2. Expende id, quod de hac liberalitate loquitur S. P. Ignatius 3. par Conſt. c. 1. par: 22. & Regula 19. Summarij: *In univerſum loquendo, quantò aliquis arctiùs Deo ſe adſtrinxerit, & liberaliorem erga ſummam Majeſtatem ſe præſtiterit, tantò eum in ſe liberaliorem etiam experietur, & ipſe in dies magis idoneus erit, ad gratias & Spiritualia dona uberiora recipienda.* Ex quibus verbis diſce 1. Neminem erga Deum poſſe eſſe liberalem, niſi ſe Deo adſtrinxerit. Vide ergo, an ſis adſtrictus Deo. 2. Nunquam Deum à Creatura vinci in liberalitate, gaudet tamen DEus, ſi Creatura cum ipſo quodammodo certet.

2. Expende, per liberalitatem, quam homo exhibet DEo, non Deum diteſcere, ſed ipſum hominem. *DEUS enim bonorum noſtrorum non eget* (pſal. 15.) cùm ſit in ſe ipſo ditiſſimus, beatiſſimus, feliciſſimus, ut pote *Ens à ſe* ſibi ab æterno quoad omnia ſufficientiſſimum. Vnde quæcunq; externa bona illi à nobis offeruntur, nihil eï felicitatis addunt, quam in ſe, modo quodam eminentiſſi-

nentissimo non præhabuerit, longeq; majori titulo & iure sunt ipsius, quàm nostra. Disce hinc, in nullo obsequio tuo, quod Deo vel proximo exhibes, ac in nulla prorsus re spectare bonum commodumq; tuum, sed purè ac sincerè bonum alienum, principaliter autem semper Bonum Dei

DIE V. infra Octavam EPIPHANIÆ

De modis exercendæ Liberalitatis erga Deum.

1. PRimus modus est, servire DEO & agere patiq; omnia, non ob timorem pænarum, vel spem præmiorum, sed propter illum solum, propter ejus dignitatem, voluntatem, amorem, gustum, gloriam, nec quærere ipso merito, ullum meritum, sed solum Deum, ita, ut nos abdicemus propter Deum, omni dono supernaturali. Vide, num talem habeas liberalitatem? Si non habes, noli te reputare pro genuino Societatis filio, siquidem te non conformas *Regulæ 17. Summarij*, quæ talem liberalitatis modum præscribit.

2. Modus liberalitatis erga Deum exercendæ est, Agere & pati omnia, *ad majorem Dei gloriam, ad majus Dei obsequium.* Agere ad gloriam Dei, est debitum virtuosum. Agere semper ad Majorem DEI Gloriam, est liberalitas. Quando igitur duo agenda occurrunt, quorum unum est cum aliqua gloria DEi, sed aliud cum majori, hoc alterum age. Fac item frequenter talem intentionem, ut quilibet subsequens actus tuus, alium præcedentem superet intensione amoris ferventis, laudisq; Divinæ per proportionem Geometricam.

3. Modus Liberalitatis erga DEum est, quem suggerit S. Thom. opus. 62. de Divinis moribus. *Agere & pati omnia ex virtute D. N. JESU Christi, & cum omni desiderio militantis ac triumphantis Ecclesiæ.* hoc est: velle & conari ita agere, quomodo egit vel ageret Christus, & quomodo egerunt vel agerent Sancti, tam qui adhuc sunt in via, quàm qui jam sunt in patria. Vel certè ita agere, quomodo desiderat Christus, & Sancti omnes, ut agatur. O quantū distas à tali agendi modo! Cōfundere, ac tandē aliquid conare.

DIE VI.

DIE VI. infra octavam EPIPHANIÆ.

De modis exercendæ liberalitatis erga DEum.

1. QVartus modus liberalitatis erga DEum exercendæ est, si cum æquali Gloria DEi, ex una parte proponatur æstimatio, reputatio, nomen magnum, & omne id, ad quod natura propendet; ex altera verò parte proponatur contemptus, vilificatio, nullus respectus, & quidquid Christo pauperi, stultificato &c. conforme est; hoc potiùs eligere quàm illud. Hunc modum suggerit S. P. N. quo statim utere, & efficaciter te ad illum resolve, atq; hanc resolutionem frequenter innova.

2. Quintus hujus liberalitatis modus est: Pati cum gaudio & suaviter, non datâ ullâ ex se, causâ. Suggerit & hunc modum S. Pater *Regul: 11. Summarij*. Atq; ita suave tibi sit Religiose, si innocenter per calumniam ad superiorem deferaris, si excusatio tua (quam tunc solùm adhibere debes, quando agitur de majori DEi gloria) non acceptetur. Si innocenter puniaris, diffameris, ex officio deponaris, degraderis. Sile & patere, de ultione nec per homines nec per DEum cogita.

3. Sextus liberalitatis modus: si per impossibile, cum majori DEi gustu & gloria foret, ut tu licet meritorum plenus damneris, daretq; tibi DEus optionem, vel in cælo æternùm esse, vel in inferno, eligere potiùs infernum quàm cælum, idq; intuitu solius beneplaciti, gustûs, & gloriæ DEi. Hîc erumpe in affectum amoris Divini, & resolve te propter DEum ad omnia.

DIE VII. infra octavam EPIPHANIÆ.

De reliquis modis liberalitatis erga Deum exercendæ.

1. EXpende, Christum D. dedisse orbi quædam Consilia & præcepta legi Evangelicæ propria, tanquam modos Liberalitatis erga DEum. Et quidem consilia ipsum DEum concernentia hæc sunt: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.*

(Mat: 5.) *Nolite vobis Patrem vocare super terram, unus est enim Pater vester, qui in cælis est.* (Mat: 2.) *Nec vocemini Magistri, quia unus est Magister vester Christus.* (Ibid. 1) hoc est, nullos honores appetite. *Oportet semper orare & nunquám deficere.* (Lucæ 18.) Præcepta verò sunt: *Orantes nolite multum loqui.* (Mat: 6.) *Non potestis Deo servire & mammonæ.* ibid. *Qui dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei neq; in hoc seculo, neq; in futuro,* (Matt: 12.) Vide; an hæc observes?

2. Expende, Consilia & præcepta Christi, Proximum concernentia. Consilia sunt. *Beati mites, Beati pacifici, Beati misericordes, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Beati estis cùm maledixerint vobis homines & dixerint omne malum aduersùm vos mentientes.* (Mat: 3.) *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Qui vult tollere tunicam tuam, dimitte ei & pallium.* (Mat: 5.) *Qui major est vestrùm, erit Minister vester* (Mat: 23.) *Benefacite his, qui oderunt vos. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* (Mat: 5.) Præcepta sunt. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant &c.* (Mat: 5.) *Relinque munus tuum ante altare & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Ibid. *Diligite inimicos vestros.* Ibid. *Qui dixerit fratri suo Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ibid. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis.* (Mat: 6.) *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (Ioan 13.) *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Vide; an hæc omnia in te sint? Si sunt, Age Christo gratias. Sin minùs, confundere, dole, emenda.

2. Consilia & præcepta Christi, quemlibet in seipso spectatũ concernentia: Consilia sunt: *Decet nos implere omnem Iustitiam.* (Mat: 3.) *Beati pauperes Spiritu, Beati mites, Beati qui lugent, Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* (Mat. 5.) *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter Regnũ cælorum.* (Mat 6.) *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes & da pauperibus, & sequere me* (Mat: 19.) Præcepta sunt: *Qui viderit mulierem ad concupiscendũ eam, jam mœchatus est in corde suo.* (Mat: 5.) *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proïce abs te.* Ibid. *De omni verbo otioso, reddent rationem in die judicij.* (Mat: 12.) Reflectas te, an hæc servaveris, & propone.

IN OCTA-

IN OCTAVA EPIPHANIÆ D. N. IESV CHRISTI

1. ECce Agnus DEI &c. Rectè Christus appellatur hoc nomine. Tum quia nos injustitia originali nudatos, veste gratiæ operuit. Tum quia sordes peccatorum nostrorum in se suscepit, & à nobis eas abstulit. Boni namq; Principis proprium est ac superioris, suos fovere & cooperire. Illius quoq; muneris est, non bona quæ habent, à subditis tollere, sed onera & tributa.

2. *Ut manifestetur in Israël, propterea ego veni in aqua baptizans.* (Mat: 3.) Optimi famuli hoc munus est, non ideo operari, ut ipse aliquam inde gloriam capiat, sed ut DEus manifestetur.

3. *Vidi Spiritum sicut columbam descendentem de cælo, & mansit super eum.* (Matt: 3.) Non satis est Spiritum Divinum suscipere, nisi simul operam des, ut in te maneat. *Veni ergo dulcis hospes animæ,* fac apud me stabilem mansionem. Sim tuum non diversorium, sed domicilium. Cedant inde vanitates, succedat Spiritus permanens.

DOMINICA I. post EPIPHANIAM.

Cùm factus esset JESVS *annorum 12. ascendentibus illis Hierosolymam secundùm consuetudinem &c.*

Lucæ 2.

1. ÆTas Christi duodennis, typus erat 12. Apostolorum, per quos Divinitas & Humanitas Christi, per orbem erat nuntianda. Rectè ergo in duodenario annorum numero, iubar *solis justitiæ* incipit effulgere. Quia sicut iste sol visibilis, tunc perfectè orbem illuminat atq; illustrat, cùm duodecim Zodiaci signa decurrit, ita Christus tunc splendore fidei & lumine veræ Religionis orbem illustravit, quando in 12 Apostolis per orbem dispersis, nomen JESU resplenduit. quando *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum.* (ad Rom: 10.) Non po-

tes perfecte illuminare alios, nisi ipse priùs sis in auge Divini luminis. Nemo enim dat, quod non habet. Nescit latere diu perfecta virtus, quin tandem erumpat, & radios suæ pietatis diffundens, etiam alijs sese communicet.

2. Postquam S. Iosephus ex Ægypto in Iudæam redierat, timebat ire Hierosolymam. Quia sciebat ibi regnare Archelaum, filium Herodis interemptoris tot Innocentum & Christi persecutoris. At etiam nunc fortè regnabat, quare ergo modò non timet ascendere Hierosolymam. Quia nimirum nunc agitur de cultu DEo exhibendo præceptoq; Divino, quod omnes masculos ad templum adeundum obstringebat, adimplendo. Exuendus est omnis humanus timor, & intrepido animo exequendum, quod debetur Deo. Qui sic timet DEum, nihil ei mali eveniet. Dum enim ille obsequium Divinum curat, DEus illi securitatem providebit, & à periculis humanis ipsum eruet: ita enim ille promittit Iusto honorem suum curanti. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum adimplebo eum, & ostendam illi salutare meum.* (Psal: 90.)

3. Consuetudo non uno alterovè actu, sed multis actibus frequentatis acquiritur. Cùm ergo S. Iosephus cum S. DEi Matre dicatur ascendisse Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, innuitur illum frequenter orationis causâ, Templum Hierosolymitanum adijsse, adeoq; impletionem præcepti Divini, de cultu Divino Templiq; aditu, in usum & consuetudinem sibi vertisse. Nulla ei difficultas erat in adimplendo hoc præcepto, sed connaturaliter quasi & suaviter id agebat. *Consuetudo enim est altera natura.* Agnosce causam, quare magnam sentis difficultatem in exercitio virtutum, ut Patientiæ, Humilitatis, obedientiæ, &c. Quia sensim non assuescis ad actuum virtuosorum frequentationem. Nam si assuescerès, esto ab initio sentires non nihil difficultatis: (omnis enim virtus in arduo posita. Accessus ad illam & aditus patitur suas spinas.) sensim tamen eò pervenires, ut nullam in exercenda virtute sentires molestiam, sed omnia suaviter & juxta ductum naturæ etiam ordinarijs DEi auxilijs adiutæ, perageres.

FERI-

FERIA II.

Remansit puer JESUS, in Hierusalem, & non cognoverunt Parentes ejus.

1. VErè de Christo dictum est: *Cœpit JESUS facere & docere* (Act: 1.) Optimus profectò Magister Christus, qui priùs ipse facit hoc, quod alios docturus est; priùs instruit exemplo, postea verbo, priùs facto in se exprimit, quod dicto est persuasurus. Docturus ille erat sua Concione: *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus.* (Matt: 10.) Suasurus erat hominibus perfectionis studiosis, desertionem Parentum, consanguineorum, domorum propriarum, ut liberiùs possent vacare DEo ejusq; servitio. En priùs *re ipsa* hoc præstat. Remanet in Hierusalem, segregat se à Paterna maternaq; domo, à cognatis & familiaribus recedit, jamq; prædicat exemplo, quod postea erat prædicaturus verbo. Anima Concionis est Exemplum bonum. Sine hoc, *factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* (1. Cor: 13.) Viva vox semper est gratior, quàm nescio qui concentus mortui.

2. Cùm JESUS esset annorum 12. tunc remansit in Hierusalem, ut doceret nos à primo iuventutis flore, debere obsequio Divino dedicari. In hac enim ætate maximum est periculum. Non perditur avicula, cùm in nido sub maternis alis quiescit, neq; cùm majuscula excrescit, & optimè volare novit, sed cùm volare incipit, nec id novit benefacere. Ita quamdiu homo est in ætate tenella, quamdiu degit sub oculis, ferula, curaq; vigili parentum, non est periculum de illius virtute. Dum etiam homo pervenit ad annos viriles ac seniles, dum acquirit maturitatem iudicij, & plenè didicit inter bonum & malum discernere, non difficili negotio potest evadere laqueos mundi ac diaboli. Anno 12. pueri oculos aperire incipiunt, tunc volare volunt, & experiri hæc & illa, tunc periculum imminet. Quali autem colore, lana initio imbuitur, talem retinet usq; ad ultimam sui detritionem. *Quo semel est imbuta, illum servabit odorem testa diu.* Quàm

providè & sanctè facit Societas, dum suos Professos peculiari obstringit voto, circa eruditionem puerorum! *O mihi præteritos revocet si Iuppiter annos. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas, ne memineris Domine.* (Psal 24.)

3. DEum graviore peccato amittere & non sentire, extremæ est miseriæ. Lamentatur apud Iob c. 9. aliquis hanc deplorandam suam sortem, dicens: *Si venerit ad me, non videbo eum, si abierit, non intelligam.* De Samsone dicitur: (Iudic: 16.) quia *nesciebat, quod Dominus recessisset ab eo.* Videbat Samson se integrum, credebat nihil sibi deesse ad superandos hostes, sed ingruentibus jam inimicis, advertit & expertus est se esse à Deo derelictum. Quid verò inducit hanc miserandam insensibilitatem? nisi Tepiditas in servitio DEi, diuturno usu, comparata. Hæc enim, est lethargus, quo anima oppressa, etiamsi à DEo varijs excitetur modis, Concionibus, exemplis bonis, lectionibus pijs, tamen è suo veterno non evigilat, non exurgit, non se movet ad benè operandum. Hæc est Gangræna, quæ sensim per membra serpens, etiamsi præscindantur, sentire non permittit, donec regiam vitæ, cor invadat ac totum hominem conficiat perimatq;. Hoc callum est funestum, quo anima ita sensim obdurescit, ut compunctionis ac devotionis gratiam no sentiat Hinc (Oseæ 7.) dicitur: *Comederunt alieni robur ejus, & ipse ignoravit.* Hoc maximè anxios reddebat Sanctos, quòd poterat DEus ab illis recedere, cùm ipsi non nôssent, unde passim lamentabantur: *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* S. Aug.

FERIA III.

Invenerunt illum in templo sedentem, in medio Doctorum & interrogantem &c.

1. BEnè CHRISTVS sedebat in medio, ut æquè omnes audiret, æquè omnes doceret, æquè omnibus benefaceret. Quippe medius locus, est DEi proprius, ac Principis, ne in unum aut alterum duntaxat, sed in omnes sibi subditos beneficus ac liberalis sit. Superior enim est instar solis, qui in medio cælorum & reliquo-

reliquorum planetarum. Est instar cordis, qui in medio membrorum. Est instar puncti, quod in medio circuli, æquales lineas à centro ad peripheriam ducit. Est instar Matris apum, quæ in medio alvei, stationem suam defixit. In unam partem magis propendere, ruina est ædificij. Facilè currus evertitur, cujus utra pars prægravata & magis est inclinata.

2. Christum Pastores inveniunt in præsepio, Magi in domo, Parentes in Templo. Hugo Cardinalis ait: *Per Pastores intelliguntur Prælati, qui se & alios debent pascere verbo DEI, hi inveniunt JESUM in præsepio S. Scripturæ.* Per magos intelliguntur claustrales sive contemplativi, qui mundum, carnem, & diabolum sapienter incantare noverunt. Et hi inveniunt JESUM in domo propriæ Conscientiæ. Per parentes JESU intelliguntur Pænitentes, qui per timorem concipiunt JESUM, & per bonam operationem pariunt. Iuxta illud (Isaiæ 20.) *A facie tua concepimus.* Et hi JESUM inveniunt in Templo, quia scriptum est: (Lucæ 10.) *Domus mea domus Orationis vocabitur.* Qui ergo hanc domum intraverit, & corde compuncto DEum pro suis delictis fuerit deprecatus, facilè ibi JESUM inveniet, facilè ad gratiam reconciliationis cum DEo redibit.

3. Ille, qui quæcunq; dicebat, à Patre audiebat, modò audit homines. Ille, qui erat verbum DEi Patris, *in quo reconditi erant omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ DEI,* (ad Col: 2.) nihilominus utitur consilio alieno, quasi illo indigeret. Nempè Consilium, Sacra & Divina res est; nihil absq; Consilio aggrediendum, sed præsertim in negotio proprio. In hoc enim plerumq; cæcutimus. Quia ab amore proprio excæcamur. Unde boni Iudices & arbitri esse haud possumus, adeoq; alieno egemus consilio, quod nos manuducat, dirigat, & ad finem perducat optatum. Ipse DEus facturus hominem, inijt consilium. (Gen: 1.) *Faciamus, inquit hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Sed enim Christus ita consilium accipiebat à Doctoribus, in quorum medio sedebat, ut ipse eos magis illuminaret ac erudiret, Sicut sol alios planetas, sicut cor alia membra, sicut basis reliquas domus partes. Ille namq; erat cælestis Orpheus, Citharâ doctrinæ suæ ex feris faciens homines. Ille erat Divinus Herculos, aureâ elo-

reâ eloquentiæ catenâ, trahens pectora hominum. Ille centrum uniuersi moralis. In medio proinde illi degere conveniebat, ut esset pacificator, mediator, lapis angularis faciens utraq; unum. O utinam illum talem experiar! dum Sacramentalibus speciebus velatum accipio, & in medio mêi, in meis visceribus, verè ac realiter colloco.

FERIA IV.

Fili, quid fecisti nobis sic? Pater & ego dolentes quærebamus te.

1. S. Chrysostomus homil: 8. in Matth: ait: *Misericors* DEUS, *mœstis rebus, quædam iucunda permiscet, quod in omnium Sanctorum vita reperies, quæ mirabili varietate contexta est.* Sic Ioseph tristatur, videns Sponsam gravidam: lætatur continuò, Angelo ei aperiente secretum. Lætatur Christo nato, tristatur Circumcisione. Lætatur Regum adoratione, tristatur exilio in Ægyptum. Lætatur vitam cum eo ducens in Nazareth, sed jam eo amisso luget. Hac autem varietate successiuum, mirabilis redditur vita Sanctorum, fiuntq; varij & maculosi fœtus Iacob. Apparet enim in illis varietas virtutum, ut anima dicatur esse *in vestitu deaurato, circumdata varietate.* (Psal: 44.) Sicut enim perfectio & pulchritudo mundi, constat ex diuersitate omnium rerum, & variæ voces conficiunt harmoniam concentûs; sic iusti vita, si unisona esset, non adeò decora appareret, nec locus esset exercitio omnium virtutum, quæ in anima non debent esse otiosæ.

2. Quemadmodum insignis Pictor Zeuxes, ut effigiem perfectam Iunonis depingeret, pulcherrimas quasq; conspexit virgines, ut ex unaquaq; illarũ, quod erat pulchrius, colligeret, & in Iunonis imagine reponeret; sic Divinus ille artifex, cùm MARIAM efficere voluit, omnia consideravit, quæ in Sanctis, magna & decora erant, & in MARIAM uniuersa congessit, voluitq; in ea Mundum collectum brevemq; facere. Et sicut Philosophi ex eo, hunc mundum ostendunt esse perfectum, quòd contineat omnes rerum species & differentias possibiles, ita in MARIA uniuersæ

versæ convenerunt virtutes, illarumq; exercitia in gradu perfecto. Ad quod necessarij fuerunt diuersi successus, ut locus esset exercitio omnium virtutum: ideo jam adfuit tempus prosperum, jam aduersum. Ut ergo nunc ejus Patientia, spes, humilitas, fides, & cum voluntate Divina conformitas, apparerent exercerenturq;, amisit Dominum JESUM. Quærit S. Gregorius, quid Beatum Iob deficiebat, ut eum necesse fuerit flagellari? cum ipse ostendat se fuisse omni virtute ornatum: *Hoc* (inquit S. Gregorius) *ei deerat, ut nosset etiam inter flagella gratias agere.* Idem de MARIA proportionaliter dicendum: Erat illa gratiâ plena, omnibus virtutibus copiosè abundans, ad quid ergo in illam permissa tanta afflictio? ut in ea humiliaretur, ut patientiam, resignationem, spem in DEum ostenderet, ut illi gratias in afflictione redderet, diceretq; cum Iob: c. 5. *Post tenebras videbo lucem, & rursus post lucem expecto tenebras.*

3. Si quis per grave peccatum perdiderit JESUM, debet discere à MARIA, quomodo illum oporteat quærere ac invenire. Nimirum serio dolore. Si verè nosset homo, quid perdiderit, cùm DEum amisit, profectò dolore disrumperetur. Ideo providit DEus, ut cùm primùm homo vivaciter agnoscit damnum iacturamq; suam, vehementer de ea doleat, & sic inveniat DEum suum. Hoc à nobis exigit Baruch (c. 4.) *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à DEo, sic iterum decies tantum convertentes, requiretis eum.* Sed quomodo requiram? Dolore. Perdidisti DEum modicâ & & transitoriâ delectatione, quære ergo illum sincerâ compunctione, dicens cum Propheta: (Isa: 38) *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Plorat puer, cùm ei aliquis domunculam è luto confectam disiicit; aut pomum eripit: minimè verò plorat, cùm ab eo hereditas tollitur. Similis est peccator, qui temporalia deflet incommoda, DEum perdidisse non dolet. Prout DEus conqueritur per Ezechielem (c. 24.) *Fili hominis, ecce à te tollo desiderabile oculorum tuorum; & non planges, neq; plorabis, neq; fluent lacrymæ tuæ.* Non sic fecit Sacerdos Heli, qui audito interitu filiorum & exercitûs non dolet, sed ubi nominatur arca Dei capta, tunc præ dolore moritur. Quia super omnia Deum amittere deplorandum est, illudq; agendum, quod Micheas, qui cum dolore

ac gemitibus insequendo tribum Dan, clamabat: *Deos quos mihi feci tulistis, & Sacerdotem & omnia quæ habeo, & dicitis: quid tibi est?* (Iudic: 18.) An non summè dolendum, quòd DEus à nobis sit ablatus.

FERIA V.

Descendit cum eis, & venit Nazareth; & erat subditus, illis.

1. QVàm præclarum Ioseph & MARIA habuerunt viæ suæ socium. Cum quanta suavitate JESUS enarrabat illis omnia, quæ illi per triduum illud Hierosolymis acciderant. Edisserebat, quid comederit, quid biberit, ubi dormierit, cum quibus versatus, de quibus rebus ac negotijs collocutus fuerit? quantum temporis orationi impenderit? O cum quanta aviditate & iucunditate, illa ipsius verba excipiebat MARIA, & conservabat in corde suo, tanquam in gazophylacio! Hoc est præmium, sincerè quærentium DEum, quòd illum inveniant, & ex illo invento, ingens gaudium & copiosam percipiant lætitiam. Dicebat Mater Virgo MARIA illud (Psal: 29.) *Convertisti planctum meum in gaudium mihi.* Item illud (Tob. 3.) *Non delectaris in perditionibus nostris, sed post tempestatem, tranquillum facis, & post lacrymas ac fletum, exultationem infundis.* Item illud (Psal: 93.) *Secundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo, consolationes tuæ, lætificaverunt animam meam.* Gratulabor has animi delicias Sanctissimæ Matri DEi,

2. Ab ipso JESU discam descensum ad viliora obsequia. Siquidem ille comitando suos Parentes dilectissimos, descendit cum eis non tam ex edito templi loco, corporalibus pedum suorum gressibus, quàm ex summa sua authoritate, humiliationis passibus. Insignis profectò Ars ascendendi, descendere. Filius DEi non habuit, quomodo ascenderet, & quomodo cresceret per ascensum. Non enim erat, quò ampliùs ascenderet, cùm ipse esset in summo excellentiæ ac dignitatis gradu. Sed habuit, quomodo descenderet, adeoq; cresceret per descensum. Itaq;

primò

primò descendit de cælis in uterum Virginis, *& Incarnatus est de Spiritu S.* Deinde ex utero materno, descendit ad Præsepe: ibi enim illum reclinavit Pretiosissima Mater. Nunc ex Doctorali, in quo sedebat, scabello, descendit in Nazareth, ad obeunda humillima domestica obsequia. Vlteriùs adhuc ille descēdit, quādo *Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortē autem Crucis.* (ad Phil: 2.) Crevitnè tali modo? maximè crevit. *Nam propter hoc, exaltavit illum DEUS, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* (ad Phil: 2.) Verè dictum à Magistro humilitatis Christo: *qui se humiliat, exaltabitur.* (Mat. 22.) Non vult hic Professor, nisi ut ab illo hanc artem crescendi edisceamus, dum hortatur: (Mat: 11.) *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quis est, qui ascendit nisi qui & descendit.* (ad Ephe: 4.) Optimus ascendendi modus, per descensum.

3. Erat subditus illis. Quis? Cui? Dominus servo, Creator Creaturæ, DEus homini. O admiranda obedientia! ô stupenda Humilitas! *Quid superbis terra & cinis,* (exclamat S. Bernardus. (hom: 1. super missus) *DEUS se humiliat, & tu te exaltas. Si humilis ô homo imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum, sequi authorem tuum. Vtrinq; stupor, utrinq; miraculum, & quòd DEUS fœminæ obtemperet, & quòd fœmina DEo principetur. Disce terra subdi, disce pulvis obtemperare.* Si dicis eum factum esse tuum superiorem, quem tu superas annorum diuturnitate, doctrinâ, probitate morum, religiosæ vitæ integritate, ideoq; non posse te illi, nisi repugnanter & cum difficultate obtemperare. At nunquid tu talentis tuis ita præcellis Superiori tuo, atq; Christus præcellebat Iosepho & Matri suæ? nunquid ille non erat æternus, sapientissimus, optimus, ipsa Sanctitas, ipsa Pietas, & tamen erat subditus illis. Exemplum tibi dedit, ergo illud sequere.

FERIA VI.

Puer autem proficiebat ætate, sapientiâ, & gratiâ apud DEum & homines.

1. DOcet nos exemplo suo Christus, crescere in omni bono, quoti-

quotidieq; proficere. Descendit Sponsa in hortum suum, ad quid? ut videat, an arbores producant flores, fructusq; parturiant. Non satis existimare debes, quòd sis arbor in horto Dei plantata, nisi insuper crescas, flores fructusq; proferas. *Quia justorum semita debet esse quasi lux splendens crescens usq; ad perfectam diem;* (Prov: 4.) Donec sol efficiaris, crescendum tibi est. Et si omnis arbor, iubetur dare fructum juxta genus suum, cùm tu arbor sis ex genere DEi (ut Acto:17. dicitur, *ipsius genus sumus*) plantata manu Dei, in horto illius, ejusq; irrigata sanguine, nonnè cælestem Divinumq; fructum teneris proferre. Noli ergo degenerare à præexcelsis cogitationibus Filiorum Dei.

2. Tanta obligatio Religiosi est proficiendi in Spiritu, ut peccet mortaliter, si cesset ab intentione proficiendi, ex quacunq; causa cesset. Docent id gravissimi Theologi cum S. Thoma 2.2. qu. 186. a. 2. ubi ait: *Religiosum sub mortali debere tendere ad perfectionem.* Cujus obligationis ut sit transgressor, non est opus alio, quàm quòd nolit tendere. Obligatur ergo Religiosus sub mortali, ad ita vivendum, ut non sit graviter perniciosus Religioni suæ, inducendo alios exemplo suo, ad nimis relaxandam Regulam, perturbandoq; suam Religionem, quod fieret, si nollet unquam servare silentium, modestè incedere, ab ingressu alienorum Cubiculorum sine facultate abstinere, & similia sub nullo peccato obligantia statuta Religionis transgredi. Atq; propter talia potest Religio expellere illum tanquam incorrigibilem. Unde dimissionis è Societate nostra, ordinariè prima causa & fons est, neglectus tendentiæ ad perfectionem. Negligitur meditatio, Lectio Spiritualis, infringitur silentium, Examina perfunctoriè aguntur, oculi liberiùs vagari permittuntur, &c. tandem permissu DEi in gravius inciditur, unde dimissio sequitur. Exhorresce hunc neglectum. Inchoa viam perfectorum & dic: *Dirige Domine DEus in conspectu tuo, viam meam.* (Psal: 5.)

3. Non vult DEus, ut Amici sui in hac vita, magnum faciant rerum temporalium incrementum, sed vult & omnino desiderat, ut maximos in virtute pietateq; quotidie progressus instituant. Quatuor fuêre in mundo Monarchiæ, & omnes illæ datæ sunt Gentilibus, Dei nutu: ùt ipse ostendit Nabuchodonosori.

Fuerunt

Fuerunt in populo Dei viri præclari, sapientiâ, bellica fortitudine, rerum peritiâ, poterat illis regimen earum committere, nulli tamen unquam commisit, sed Chaldæis, Medis, Persis, Græcis, Romanis, Gentibus deniq;. Noluit enim DEus suos nimiùm crescere in mundo, quoad temporalia, ut liberiùs crescerent in virtute quoad æterna. Arbores fructiferæ ut plurimùm non nimium crescunt, infructiferæ tamen supra modum. Si ergo fructiferè crescere vis, imitare Christum in humilitate, obedientia, contemptu sûi, abiectorum officiorum exercitio.

SABBATO.

Proficiebat ætate, Sapientiâ, & gratiâ apud DEVM & homines.

1. EXpende verba illa Christi: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Matt: 5.) Sicubi autem hæc beatitudo habet locum, certè in Religiosis, qui si perpetuam esuriem & sitim obtinendæ perfectionis habent, beati sunt: sine hac autem fame & siti, miseri. Nam incidunt in desideria prava. Porro non qualecunq; desiderium proficiendi requiritur in Religiosis, sed efficax & accinctum operi. *Vult enim & non vult piger,* (Prov: 13) desideriaq; occidunt pigrum. *Væ prægnantibus & nutrientibus sol\u0304m,* (Matt: 24.) atq; ad maturitatem proposita sua non deducentibus. *Venerunt filij usq; ad partum, & non est virtus pariendi.* Vide, qualia sint desideria & proposita tua.

2. Infallibile hoc signum est Religiosum tendere ad perfectionem, & incipere *gustare quàm suavis est Dominus,* (Psal: 33.) Si majori semper desiderio feratur ad proficiendum. Dicit enim Sapientia Divina. (Eccl: 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Bona namq; temporalia antequam obtineantur, ingens sûi desiderium excitant, postquàm verò obtenta fuerint, fastidium creant. E contra verò, bona spiritualia, dum non habentur, nauseam pariunt; obtenta, desiderium incessabile & delectationem provocant. Estnè in te tale desiderium? Esnè Vir Desideriorum? uti olim Daniel? Si es; exaudietur

dietur oratio tua. Animam esurientem DEus implebit bonis, juxta illud Beatissimæ: *Esurientes implevit bonis.* Si non es; ergo in perfectione Religiosa deficis: *Nam in via DEi non progredi, est regredi, &c.*

3. Sunt Religiosi, qui habent quidem aliquam æstimationem perfectionis & persuasionem de sua ad illam quærendam obligatione, media tamen ad ejus consecutionem non adhibent seriò & constanter, sed solùm quæ, quando, & quatenus volunt. Omnia in Religione agere vellent, sine directore, monitore, custode, punitore. Tamdiu sunt quieti, quamdiu omnia fiunt ad mentem illorum: ubi contra illorum commoditatem, opinionem, vel reputationem fit aliquid, mox contradicunt palam, clam quiritantur, murmurant &c. Sunt alij, qui & studium perfectionis amant, & media adhibent, non tamen cum plena ſſii resignatione ad nutum DEi. Ita volunt DEo placere, ut simul nolint displicere hominibus. Ita volunt virtutes exercere ut simul velint videri eas exercere. Ex officijs, quibus funguntur, volunt apud homines habere bonam opinionem: aliàs fiunt pusillanimes, impatientes, neglectores &c. Pauci sunt, qui animo resoluto & prompto, se totos studio perfectionis, per media congruentia impendant; mortificationi passionum, bonorum contemptui, abnegationi sensuum se dedant, ut per omnia Divinæ voluntati placeant.

DOMINICA II. post EPIPHANIAM

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ: Et erat Mater IESV ibi. Vocatus est autem IESVS.

Ioan 2.

1. HOc nuptiale Convivium in Cana Galileæ institutum, rectè nobis denotat convivium Eucharisticum. Nuptiæ dictæ à nubendo, quod deinde à nube derivatur. Verè Eucharistia nuptiæ; siquidem hîc obnubit semetipsum Christus speciebus Sacramentalibus, tanquam nube, de qua fortasse dictum est: (Iob: 22.) *Nubes tectum ejus.* Nisi enim sic obnubilatus ad nos veniret,

veniret, anima viliſſima *opprimeretur à gloria ejus majeſtatis.* (Iſaiæ 2.) Niſi hic Moyſes faciem ſuam velo Sacramentalium ſpecierum obnuberet, non poſſet oculus mortalis ſplendorem ipſius ferre, ac impunè intueri. Iam ergo vides, quis in his nuptijs ſponſus? ille, de quo dictum: (Pſal: 18.) *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*: Chriſtus JESUS. Vides, quænam Sponsa? illa, de qua dictum: (Oſeæ 2.) *Sponſabo te mihi in ſempiternum*: ſcilicet Fidelis anima. De his ergo nuptijs dictum: (Apoc 15.) *Nuptiæ agni venerunt, & uxor ejus præparavit ſe.* Cana dicitur Zelus, Galilæa transmigratio Non aliud impellit IESUM ad has nuptias, niſi Zelus amoris, quo te ille, ô anima mea proſequitur. O quanta hîc transmigratio! de ſublimi cælo venit JESUS in altare, de ſplendoribus Sanctorum migrat ſub candidas Panîs ſpecies, de ſinu Patris demittit ſe in viſcera tua. Relictis novem choris Angelorum, deſcendit ad ſervulum Pauperem, & ejus contubernio gloriatur dicens: (Prov: 8.) *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Ergo & tu anima mea zela hunc tui Sponſi amorem. Migra ab omnibus, quæ terram ſapiunt. Migra à tepore in fervorem, a vitijs quotidianis, ad continuam cordis puritatem.

2. Beatæ nuptiæ, in quibus Mater JESU adeſt. Non eſt ibi timendus vini defectus, ubi eſt iſta *Vitis vera.* (Ioan: 15.) Ergonè deeſt Gratia, ubi eſt Mater Gratiæ? deeſt miſericordia, ubi eſt Mater Miſericordiæ? deeſt ſalus animæ, ubi eſt vita, dulcedo, & ſpes noſtra? Non eſt hæc indoles MARIÆ. Omnia nobis bona ſolent venire cum illa: Siquidem & ipſe JESUS venit. Neſcit JESUS ſine MARIA, neſcit Filius ſine Matre venire. Sed & neſcit abeſſe, ubi MARIAM novit adeſſe. Cura ô anima mea, ut de te dicatur: *Erat ibi Mater JESU.* O quantum munimen, quantas opes, quantas conſolationes habet, qui MARIAM habet. Ergo JESUS & MARIA ſitis mecum in hac mortali via.

3. Sicut ex uno fonte, multi promanant rivi, & ex una radice multiplices rami pullulant, ita hic ex una Chriſti præſentia, multiplices fructus prognati ſunt. Venit ergo JESUS ad nuptias, 1. ut conſanguineis hunc deferret honorem, eorumq; nuptias, præſentiâ ſuâ honeſtaret. 2. ut daret exemplum humilitatis, non reſpuens pauperum nuptias, ſed benevolè adiens prout notat S.

tat S. Chryſoſt: *Qui non eſt dedignatus formam ſervi accipere, non eſt dedignatus ad nuptias venire ſervorum.* 3. Vt in eis ſponſorum Paupertati & famæ conſuleret, convertendo aquam in vinum. 4. ut per hoc miraculum ſe diſcipulis patefaceret, eiſq; ſe Meſſiam oſtenderet. 5. Vt demonſtraret quantùm apud illum valeat interceſſio & Patrocinium MARIÆ! adeoq; illius pretium & æſtimationem cunctis fidelibus perſuaderet. Vtinam & ego ſimiles in me effectus experiar, dum idem Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ venit, ad nuptias cum Paupercula anima mea celebrandas.

FERIA II.

Deficiente vino, dicit Mater IESV ad eum: Vinum non habent.

1. NOn mirum, ſi vinum deficiat, ſiquidem quidquid eſt in mundo, deficiens eſt. *Defecit aqua habitantes Bethuliæ.* Quia *in ea defecerunt ciſternæ* (Iudith: 7.) *Defecit manna filios Iſraël* (Ioſue 5.) *Defecit pecuniæ de theſauro, ditiſſimũ aliàs Regem Antiochũ.* (1. Mach: 3.) *Defecit gaudium cordis noſtri* (Thren: 3.) Quid lucidius ſole, lunâ, ſtellis? & tamen hæc deficient. Solus duntaxat DEus manet in æternum. *Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & Anni tui non deficient.* (Pſal: 101.) Mihi ergo *adhærere DEo, bonum eſt:* (Pſal: 72.) utpotè *Regi ſeculorum immortali.* Etiamſi omnes gentes obediverint mundo ejuſq; pompis, ego non alij obediam, niſi DEo meo. Non eſt mihi utile, relinquere legem DEi mei, in æternum non defecturi, ne deficiat in æternum vita mea.

2. Beatiſſimæ DEi Matri, non ſunt ignotæ omnes indigentiæ noſtræ, non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari, Cùm enim ſit Theſauraria SS. Trinitatis, & ſimul miſericordiæ, omniumq; miſerorum Mater, non poſſunt illi eſſe ignotæ noſtræ miſeriæ, eo ipſo, quia ad Matrem ſpectat, noſſe miſeriam Filiorum ſuorum. Non ſolùm autem novit miſerias noſtras, ſed etiam cu-

am curam illarum habet. *Sileat*, inquit S. Bernardus, *misericordiam tuam, ô Beata Virgo, quicùnq; te in suis necessitatibus invocatam, sibi meminit defuisse.* Quomodo igitur miser homuncio, non afficieris Matri misericordiæ? Præsertim quòd illa non tantum nôrit, & curet indigentias nostras, sed etiam circa easdem simul cum Filio suo sit solicita. O *homo*, inquit idem S. Bernard. (homil 1.) *securum habes accessum ad DEum, ubi Mater stat ante Filium, & Filius ante Patrem. Mater ostendit Filio pectus & ubera, Filius ostendit Patri latus & vulnera: nulla ergo poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia.* Ita de te solicita est Mater misericordiæ! Tu autem quomodo solicitus es circa ejus cultum.

3. O quanti sunt, qui vinum non habent! Alijs deest vinum Gratiæ, alijs pœnitentiæ, alijs fervoris, alijs consolationis, alijs misericordiæ in proximos, alijs zeli, gratiæ DEI & salutis proximorum, alios aliud vinum deficit, adeò, ut tam ipsi quàm iumenta eorum siti pereant. Quis verò nobis & camelis nostris dabit potum? (Gen: 24.) tu Rebecca nostra o MARIA. Tu namq; es efficacissima in subveniendo indigentijs nostris, tàm Spiritualibus quàm Corporalibus; cùm de te, mellifluus tuus laudator dicat: *Non deest MARIÆ potestas. Quia Mater est omnipotentiæ: nec impetrandi industria, quia Mater est Sapientiæ: nec petendi voluntas, quia Mater est misericordiæ.* Cùm igitur Beatissima sit efficax in subveniendo, Sim & ego efficax in ipsius honore promovendo.

FERIA III.

Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.

1. DEi, virilis vox ista est, cor magnanimum, & majori Spiritu plenum, prodens, quàm ut conniventer, & non proprio motu ac ductu libertatis, negotium agatur. Talis profectò vox deberet esse omnium religiosè Deo servire volentium. Attendere, non quid Caro blandiens poscat, sed quid Spiritus? quid rationes Divinæ exigant? Non acquiescere Carni & Sanguini, sed generosè se expedire ab illorum illecebris. Blanditur

vanitas, blanditur curiositas, blanditur superbia, vana gloria, sensualitas, propria voluntas, multorum benè factorum adulatio. Responde illi viriliter: *Quid mihi & tibi mulier?* Ad majora sum natus, quàm ut in his quisquilijs hæream. Sublimior finis est vocationis meæ, ad illum mihi totis viribus connitendum. Non ego id præstiti, *sed gratia Dei mecum.* Etamsi omnia fecero, quæ obligatio mea deposcit, adhuc sum *servus inutilis. Quæ retrò sunt obliviscor, ad anteriora me extendo, supernum persequor bravium.* (ad Phil: 3.)

2. Dum Gabriel Angelus Beatissimam Virginem salutando, sublimia ei daret elogia, appellando *Gratia plenam, Domino conjunctam, benedictam in mulieribus, turbata est in sermone ejus:* (Lucæ 1.) dum verò illi Christus duriùs quoad speciem dando responsum, appellat *Mulierem;* minimè turbari legitur, imò spe & fiduciâ ad filium conceptâ, domesticos animat servos, ut quidquid illos iusserit, faciant: jam in Spiritu prævidens, optatum ex sua petitione effectum secuturum. Verè humilis animi est argumentum, laudes proprias erubescere, non libenti eas aure acceptare, duriora verò & molestiora verba, æquo ferre affectu. Metire hîc tuam humilitatem, si ad quodvis verbum molestum excandescas, & gravius quid reponas, vindictam mediteris ac moliaris. Dum justis Deus in hac vita dat prosperos successus, turbantur: putant enim, temporalem sibi pro bonis operibus mercedem dari. Dum verò illos tristiore fortunâ visitat, læti agunt gratias, dicendo cùm (Iob 1.) *Sit nomen Domini benedictum, sicut Domino placuit, ita factum est.* Et cum David: (Psal: 33.) *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Sperant enim, quod *sicut sunt socij Passionis, sic erunt & consolationis* (2. Cor: 1.)

3. His Christi verbis passim utuntur, & Tepidi & Perfecti; sed in diverso sensu. Nam Tepidi, quoties illis venit sermo vel cogitatio incidit de emendatione vitæ, de seriò agenda Pœnitentia, respondent: *Nondum venit hora mea.* Satis adhuc superest temporis ad pœnitendum. Cùm mors ingruet, tunc agam agenda: interim talibus subitò janua clauditur. Perfecti è contra ac fervidi, dum illos invadit tepiditas aut sensualitas, aut Curiositas, aut vanæ gloriæ cupiditas, tum illi dicunt: *Quid mihi & tibi*

mulier?

mulier? quid negotij habeo tecum Ignavia, socordia, scurrilitas, otiositas? *Nondum venit hora mea* Non est hîc hora quietis, sed laboris; non mercedis, sed meriti; non triumphi, sed pugnæ; non iucunditatis & gloriæ, sed patientiæ & humilitatis. Eadem vox sæpè in ore meo resonat, sed cum primis. Nam me valdè indulgenter tracto, culpas præteritas non defleo, nec pro illis Divinæ justitiæ satisfacio, emendationem vitæ usq; ad finem vitæ differo: sed quàm damnosè! quàm perditè id facio! Ergo posthac cum perfectis ac fervidis, hanc vocem generosè usurpare volo.

FERIA IV.

Impleverunt usq; ad summum. Haurite nunc & ferte &c.

1. VErba hæc denotant exactam servorum illorum obedientiam. Hortata illos erat DEipara ad faciendum, quodcunq; illis Christus dixerit. Cùm ergo dixit: *Implete hydrias aquâ*, illi ad literam acceperunt illud verbum *Implete*. Unde non erant contenti, aliquantum aquæ in vasa infudisse, sed illa usq; ad supremum orificium aquâ impleverunt. Obedientia enim ùt sonat, implenda est; sicut illam implevit ille, de quo dictum: (Matt: 5.) *Iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Sicut illam paratus erat implere S. P. Ignatius, qui ad nutum Pontificis, expedito erat animo, ad intrandum navim carie consumptam, sine remis, sine velis, sine commeatu: cumq; illi objiceretur quoad hoc, defectus Prudentiæ, respondit: *Prudentia non ad parentem spectat, sed ad Imperantem.* Alioquin obedientia non meretur præmium, si imperata non perducit ad exitum, & similis videtur illi; *qui cœpit ædificare, & non potuit consummare*: (Lucæ 14.) potiusq; ille Filius iudicatus est implêsse voluntatem sui Patris, qui initio noluit ire, & postea ivit, quàm ille, qui dixit: *Vadam*, & non ivit.

2. Voluit quidem Christus nuptiali convivio suppeditare vinum, sed dependenter à cooperatione hominum, si & ipsi vasa

priùs implerent aquâ. Ita etiam nunc: vult tibi benefacere, vult tibi remittere peccata, vult æternam salutem conferre, vult etiam alios per te salvare, sed vult, ut etiam tu aliquid conferas de tuo. Imple ergo ad summum, aquâ compunctionis & doloris cor tuum; age ex parte tua, quidquid potes; & DEus ex parte sua tibi non deerit: suppeditabit certè vinum devotionis, consolationis, Gratiæ. Parum habes de vino devotionis & consolationis; quia non impleviſti cor, aquâ seriæ compunctionis. Non succedit tibi cura animarum, non respondet fructus votis laboribusq; tuis, vide, ne in te culpa sit. Vacuus ipse es timoris DEi, pietatis, humilitatis, mansuetudinis, quomodo illam diffundes alijs, quomodo instillabis, &c.

3. Quando impletus eris ad summum, quando Concha eris, plena robore, & Spiritûs fervore, tunc hauri, tunc alios ad DEum trahe. Alioquin quid prodest tibi, si velis Christo lucrari mũdum, & perdas ipse animam tuam. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* (Mat:10) Si totum mundum vis esse Christi, cur te ab hoc numero excludis? an tu non es aliquid mundi? Nihil prodest lucernæ, quod alijs luceat, sibi autem consumitur. Proinde cave, *ne si alijs prædicaveris, ipse reprobus efficiaris.* (1.Cor. 9.) Campana alios convocat ad Ecclesiam, & incitat ad orandum, ipsa verò nunquam templum adit, ac tandem à validis ictibus frangitur: vide, ne tu etiam sis veluti *æs sonans aut Cymbalum tinniens, sed sine charitatis corde.* (1. Cor: 13.) Scopæ solent cubiculum mundum à sordibus reddere, sed ipsæ atteruntur & illis sordibus inficiuntur. Quantoperè tibi invigilandum, ne sordes alienæ tibi adhæreant, ne aliena vitia cum tuis comparando, nimium tibi blandiaris & segnior evadas.

FERIA V.

Omnis homo, primùm, bonum vinum ponit, deinde quod est deterius.

1. EN ideam tractationis, quâ suos Dæmon tractare solet? Tractat

Tractat enim ille primùm *Vino de vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ* (Deut: 32) Nempè voluptatibus carnis prohibitis, & omnibus spurcitijs, in quibus reprobi volutantur, *tanquam sues in volutabro luti, & tanquam iumenta computrescunt in stercore suo.* (Ioel: 1.) O fædam tractationem! non solùm Religioso & Christiano indignam, sed ne homine dignam! Quod autem inde sequitur. Tractat potu serpentino, iuxta illud: (Deut 32.) *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* tractat, inquam, scandalis varijs, quæ partim serpunt, tanquam virus, faciuntq; hoc ipso dulcedinem, quia solamen est sceleratis, socios habuisse scelerum. *Væ mundo à scandalis!* (Matt: 18) Sed præsertim væ Spiritualibus Personis! quos inter, ne unquam computeris, per Dei gratiam, cura.

2. Solet etiam Mundus & Dæmon, tractare servos suos calice Babylonico, de quo (Ierem 51.) ait: *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino ejus biberunt omnes gentes, & ideo commotæ sunt. Subitò cecidit Babylon &c. Ululate super eam &c. Curavimus Babylonem & non est sanata. Derelinquamus eam.* Tractare inquam calice, omnem medicinam in venenum conuertente, calice ruinam post se trahente, calice incorrigibilitatis, calice Divinæ derelictionis, calice iræ DEI, de quo Isaias (c. 51.) ait: *Elevare, Elevare, consurge Ierusalem, quæ bibisti, de manu Domini Calicem iræ ejus. Usq; ad fundum calicis soporis bibisti, & potâsti usq; ad feces.* quando nimirum DEus ex ira sua permittit in aliquem, Calicem soporis seu obdormiscentiæ ad verba & instinctus Divinos, remorsumq; conscientiæ. Exhorresce ad talem calicem.

3. Tandem solet mundus ac Dæmon tractare suos sequaces, mero quodam, cujus fex non exinanitur, teste (Psal. 74. *Calix in manu Domini, vini meri plenus misto: & inclinavit ex hoc in illud, verumtamen fex ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Dũ illos tractat quibusdam bonis temporalibus, tãquam vino mero, sed turbato, & multis fecibus permisto, ut si quis gustum habeat non corruptum, plus nauseæ & turbationis habeat ex usu eorum bonorum, quàm commodi & solatij. Ne patiaris tibi illudi à tàm malo Tractatore. Scito enim, quòd ita te tractando, jam tibi prælibet vinum illud damnatorum, de quo Amos Propheta (c. 2.)

Vinum damnatorum bibebant in Domo DEi sui. Tunc autem diabolus tractat tali vino, quando eò deducit hominem, ut videns se periturum in æternum, peccet tamen & contemnat. *Impius cum in profundum venerit, contemnit.* (Prov: 18.) En fex, quæ nunquam exinanitur! Et hoc poculum diaboli est ultimum, in ordine ad mortem temporalem & æternam, in qua, quàm horrido potu tractabit dæmon damnatos, non est explicabile. Tunc enim apponet propinabitq; illis non solùm quod est deterius; sed quod deterrimum.

FERIA VI.

Tu autem servâsti bonum vinum, usq; adhuc.

1. HIc jam exprimitur modus, quo Christus tractare solet in hac vita suos amicos. Quia illis priùs propinat, quod est deterius, servat autem id, quod est melius. Atq; ita tractat eos inprimis vino amaro compunctionis, lacrymis Pœnitentiæ, prout tractavit Magdalenam, Petrum, MARIAM Ægyptiacam, Theophilum, alioſq; Pœnitentes, *qui de Propitiato peccato, nunquam erant sine metu,* (Eccl: 5.) etiamsi aliquos eorum, ipse Christus in Persona sua absolverit. Quomodo tu autem de tuis peccatis sine metu eris? Scis te peccâsse, prout conscientia arguit, meruisti iram DEI, & supplicium æternum, sed nescis, an jam placaveris DEum? quia tibi non constat de actu supernaturali contritionis, sine quo tamen ordinariè non fit remissio peccatorum. Ergo intuere Davidem, qui esto bis duntaxat graviter DEum offenderit, nihilominus *Cinerem tanquam panem manducabat, & fletum suum cum potu miscebat* (Psal: 101) Nam *exitus aquarum deducebant oculi ejus, quia non custodierunt legem DEi.* (Psal: 118.) Tu toties peccâsti, quomodo ergo tibi indulgebis?

2. Tractat insuper Christus hic servos suos, pane arcto & aquâ brevi: *Arcta enim est via, quæ ducit ad vitam.* (Matt: 7.) Non solum superfluitatem resecat, sed etiam sufficientiam omnimodam denegat servis suis: vult, ut experiantur effectus Paupertatis. Bona temporalia, sunt aqua. Nam facilè dilabuntur, ac de manibus effluunt: Hanc ergo aquam, brevem propinat DEus servis suis;

ſuis; quia non vult, ut hac aquâ naturalem animæ appetitum hîc expleant, uſq; ad ſatietatem. Grandem homo appetitum habet ad bona aliqua proportionata poſſidenda. Nam ille appetitus tantus eſt, atq; anima. Cùm ergo hæc ſit immortalis, æterna, ſpiritualis, etiam appetitus illius debet eſſe ſimilis. De induſtria ergo DEus aquam brevem dat amicis, modicis bonis temporalibus eos donando, ut aſpirent ad bona æterna, & continuò dicant: (Pſal: 16.) *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

3. Tandem tractat DEus ſervos ſuos, abſynthio & felle. nempè amaritudinibus varijs, de quibus dicebat ille: (Thren: 3.) *Recordare abſynthij mei & fellis.* Tractat, inquam, diſguſtibus & displicentijs hominum, & quidem tunc, dum deberet placere & guſtui eſſe alijs. Præſtabis aliquod obſequium honorificum, abſolves actionem ſpecioſam, complacebis tibi in illis operibus, ſperabis magnam inde voluptatem ac diuturna ſolatia, ecce verò DEus permittet linguas tibi detrahentium, in partem ſiniſtram, tua facta interpretantium, affingentium tibi ea, de quibus tu nec ſomniâſti. En abſynthiacum vinum, cum felle miſtum, quo te DEus tractat! Ita enim DEus tecum procedit, ſicut Genuina Mater; tradit hæc interdum Filium ſuum dilectum nutrici, cujus lacte ita delectatur puer, ut Matrem negligat, nullum ei affectum oſtendat, totus ad nutricem propendeat, quia lac ejus ſugit, & ex illo capit voluptatem. Quid ergo agit Mater? mamillas nutricis, abſynthio & felle inungit, quas ubi infans more ſolito apprehenderit, & locò dulcedinis, amaritudinem ſenſerit, tunc flere, tunc ſe primùm ad Matrem conuertere incipit. Ita DEus plerumq; bonis terrenis, & ſucceſſibus actuum noſtrorum, varias admiſcet amaritudines, ne illis nimium inhæreamus, ſed ſtudia noſtra convertamus ad DEum, dicendo: *Mihi autem adhærere DEo bonum eſt.* (Pſal: 72.)

SABBATO.

Quid mihi & tibi eſt mulier?

1. AD ſingularem MARIÆ laudem, videtur pertinere, quòd hîc & in Cruce, Chriſtus eam appellet *Mulierem.* Sicut enim

enim se dicit Filium Hominis, id est, homo per excellentiam, sic MARIA dicitur Mulier per excellentiam: quasi illa mulier rara sit, quam ardenti desiderio exquirebat Salomon in Proverb: (c. 31.) *Mulierem fortem quis inveniet?* Et ideo Paulus semel de ea locutus, eam dicit (ad Gal: 4.) Mulierem: *Factum ex muliere*. quasi diceret: sicut à prima muliere initium peccati, sic ab hac muliere initium omnis boni est. Hoc ergo nomine ostenditur, hanc esse illam insignem mulierem, de qua scriptum est in Genesi: (cap: 3.) *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ipsa conteret Caput tuum.* Cùm ergo illam Christus dicit *Mulierem*, maximo illam ornat titulo, quia est Mulier non quæcunq; sed illa excellentissima, quæ desiderata fuit à Salomone, quæ contrivit Caput serpentis, quæ futura erat *mundi remedium*. Unde statim, vocatâ eâ muliere, dixit: (Ioan 19.) *Consummatum est*. Quia semen hujus mulieris, debebat negotium mundi consummare. *O benedicta in mulieribus* (Lucæ 2.) *Mulier*, contere in me vitia Capitalia; consumma negotium salutis meæ; fac me quotidie meliorem.

2. Vocatur etiam Beatissima Mulier, à significatione hujus vocis, quæ est, quasi *Molliens virum*. Quia illa Deum mollivit, ut de cælo in terram, de sinu Patris, in uterum ejus descenderet. Illa eum virum, de quo dictum: (Ierē: 31.) *Novum Dominus creavit super terram, fœmina circumdabit virum*, ita mollivit, ut anteverteret tempora miraculorum. Illa enim præsente, factum est, ut usus rationis, ante tempus accelerarerur Ioanni Baptistæ, & gratia Sanctificans illi infunderetur. Illa petente, hoc miraculum præsens factum est, ut aqua converteretur in vinum. O mulier virtutis, emolli pro me Filium tuum, ut per tuam intercessionem donetur mihi continuò, quæ in longum tempus erant differenda.

3. Cogitare licet, hoc responso Christi, MARIAM durè tractatam, atq; à filio reprehensam; sed ad commendandum nobis maximum mysterium. Quòd nimirum tanta sit in nos MARIÆ Charitas, ut videatur ceu reprehensibilis. Scimus ex scriptura S. Deum interdum à Sanctis reprehendi, propter ineffabilem suam in peccatores misericordiam. Hinc misericordia Divina jam vocatur: *Excelsus Dei*, jam *propter nimiam Charitatem suam* jam

am, jam *multus ad miserendum*; jam *vino inebriatus*; jam obiurgant illum Prophetæ ùt Ionas & Habacuc: (c. 1.) *Quare non respicis contemptores, & taces, devorante impio iustiorem se.* Et (Psal: 93.) *Usquequo peccatores gloriabuntur.* jam de hoc murmurant (Mat. 20.) *Novissima hora venerunt, & tamen parem accipiunt mercedem*; jam filius senior irascitur. Ad quid hæc omnia? num DEus reprehensione dignus? absit. sed ut tanta significetur misericordia, ut limites exeedat iudicij humani, & videatur superabundans, & excedens. Simile hodie MARIÆ contigisse videtur. Tanta ejus in nos misericordia, cura, charitasq; est, ut oret pro omnibus etiam ad eam non pertinentibus, etiam pro profligatissimis, qui *bibunt iniquitatem sicut aquam,* (Iob: 15.) qui effusi sunt ad omne nefas, sicut aqua, & tamen illa pro eis orat, ut convertantur in vinum. Cui proinde ait Christus: *Quid mihi & tibi mulier.* Quid ad me & ad te spectant hi, qui sunt inimici mei. Quasi illam reprehendit Christus, non quòd illa præstiterit aliquid reprehensibile, sed ut maxima & superabundans ejus in nos cura demonstretur. Quia hæc est illa Sponsa Isàác, quæ non solùm homini, sed & camelis potum tribuit dicens Christo: *Bibe Domine mi, quin & camelis tuis potum tribuam.* (Gen: 24.) Bibit Christus de lacte Virgineo, bibunt peccatores de fonte misericordiæ. In hoc enim dignoscitur Sponsa DEi, si peccatores omnes recipiat, si etiam eos, qui longè sunt, ad DEum trahat.

DOMINICA III. post EPIPHANIAM.

Cùm descendisset IESVS de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Matth: 8.

1. D. Paulus Apostolus (1. ad Corint: 2.) Christum appellat *DEi sapientiam & virtutem.* Iam Christus in monte ostenderat se DEi Sapientiam, quando aperiens os suum, docebat vias vitæ, & altissima Doctrinæ Christianæ principia explicabat, dicens: (Mat: 5.) *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Beati qui esuriunt & sitiunt Iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur &c.* Nunc jam descendit de monte, ut se ostendat

Dei virtutem, patrando miracula, quibus doctrina ejus confirmaretur. Nam sicut Epistola, quam adfert Legatus, debet præter puncta Legationis, nomine Regio subscripta, insuper sigillo Regali consignari, ut illi fides adhibeatur, ita doctrina quam Christus explicabat, præter cælestem Sapientiam, debuit miraculis Divinis roborari. Danda quidem est Auditoribus salubris doctrina, verbo & adhortatione; sed adijciendum exemplum bonum, & à speculationis monte, descendendum ad praxim.

2. Si Christus in monte cæli stetisset, quis eum potuisset sequi aut consequi? nam ait Salomon (Eccl. 2.) *Quid est homo, ut possit sequi Regem factorem suum.* Non poterat homo ascendere ad DEum, descendit DEus ad hominem. Post hæc *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus.* (Baruch 3.) Factus est nobis (Ioan:14.) *Via, veritas, vita, exemplum.* Hinc nulla nobis relinquitur excusatio, si eum non sequimur. Ille de monte descendit, ut factis impleret, quæ verbis docuerat. Prædicaverat in monte Paupertatem, descendit. Quia cùm dives esset, adeò Pauper factus est, ut dicat: (Matt 8.) *Volucres cæli habent nidos, & vulpes suas foveas, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Dixerat: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* (Matt: 5.) descendit, ut opere illud impleret. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* (1. Petri 2.) Dixerat: *Beati misericordes, &c.* (Matt: 5. Descendit misericordias faciens, & hac arte, traxit post se innumeros. Ergo & nos illum sequamur.

3. Semper DEus curavit esse in mundo viros omni virtute conspicuos, qui præberent alijs exempla virtutum. Sic inter mundi corruptelam, voluit habere Noé justum ac temperatum. Inter Chananæos Abrahamum, ut in eo haberet mundus exemplum fidei, spei, obedientiæ, hospitalitatis. Duxit Iosephum in Ægyptum, ut Castitatis & timoris DEi esset exemplar. Posuit 3. pueros in Babylonia, ut essent Magistri constantiæ in fide, laudis Divinæ, & orationis. Iob ponit inter dracones & strutiones, ut det mirabile documentum patientiæ in adversis, & in prosperis modestiæ. Sic Tobiam, Davidem, omnes denique; justos destinavit in mundum, ut illi exemplo essent, Sed quia illorum exempla non erant adeò illustria, tandem ipse factus est exemplum nostrum.

nostrum, dicens: (Ioan: 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis* Ad hoc ergo è monte descendit.

FERIA II.

Ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine si vis; potes me mundare.

1. POstquam Christus de monte descendit, cum secura confidentia, accessit ad eum leprosus, ut significaret, quòd postquàm Filius DEi, de sublimi cælo, in hanc terræ vallem, in carne mortali descendit, jam ad illum facilis patet accessus peccatoribus, ideoq; *Erant appropinquantes ad* JESUM *publicani & peccatores.* (Lucæ 15.) Antequam descendisset, non audebant ad illum accedere, etiam Sanctissimi viri. Hinc Moyses, quamvis conscenderat montem, non fuit tamen ausus ad DEum accedere, donec illum post aliquot dies vocaret. Idem non audebat rubum, in quo illi apparebat Dominus, etiam aspicere. (Exod: 3.) Populus autem Isràél prohibetur, etiam accedere ad montem, in quo DEus cum Moyse loquebatur. (Exod: 19.) Nec mirum! Quia tanta est Divina majestas, ut coram ea etiam Principatus & Potestates contremiscant. Videt Esther Assuerum in Regni solio sedentem, fulgentem auro & gemmis, timet & cadit propè exanimis donec ille descendens de solio, eam amplexatus osculatusq; est, tunc recuperato animo, audet illum alloquî. O anima paupercula, si majestatem Filij DEi ùt in se est, videres, quantoperè timeres & penè præ metu exanimareris. Nunc ergo ille consulendo imbecillitati tuæ, descendit de solio gloriæ suæ, & velatus speciebus Eucharisticis, ad te sese demittit. Quanta illius erga te dignatio! quantoperè illum amare, ac revereri debes.

2. Nullus olim hominum in terra degentium status, adeò fuit miser, atq; leprosorum. Nam à Civitatibus arcebantur, ad nullum poterant accedere, & nemo ad illos, sub dio semper degebant: & tamen hic leprosus, obviam fit Christo, accedit ad illum, eumq; alloquitur. Quid ita? Peccator, nullibi potest pro

lepra sua quærere ac invenire remedium, nisi apud solum DEum. *Quis potest mundum facere, conceptum de immundo semine?* (Iob 14.) nonne tu, qui solus es. Nulla creatura potest hominem à peccato liberum reddere, imò quævis creatura volens injuriam DEi vindicare, sumere parat ultionem de ipsius inimicis. Ad solum DEum in hac miseria faciendum refugium, Illi soli homo peccat, ab illo solo etiam sanari, & solatium accipere potest. Quo aliquis magis à creaturis deseritur, eò citiùs à DEo suscipitur. Nam de illo dictum: (Psa: 9.) *Orphano tu eris adjutor*

3. Plures in se supplicatio hujus leprosi continebat virtutes: Ac inprimis Fidem. Quia credebat, sola voluntate illum omnia posse: quod est proprium DEi, juxta illud: (Esther: 13.) *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati: si decreveris salvare nos, continuó liberabimur. Subest enim tibi, cùm volueris posse* (Sapien: 12.) id est, tam facilè tibi est posse, quàm velle. Deinde continebat spem. Siquidem cum magna fiducia obviam ivit Christo. Tum Religionem. Nam actum illius elicuit, cùm profundè Christum adoravit. Tandem Resignationem in voluntatem Dei. Quia non dicit: Velis omnino, sed indifferenter proponit: *Si vis; potes me mundare;* totum id relinquendo arbitrio Christi. Et ideo pergrata Christo accidit. Statim enim illi annuit. (Matt: 8. Vtinam mea quoq; oratio similibus polleat virtutibus.

FERIA III.

Extendens IESVS manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare.

1. EXtendit Christus D. manum, ut ostenderet efficacem voluntatem suam, quâ in emundationem leprosi ferebatur. *Nam exhibitio operis, est manifesta ostensio voluntatis.* Dum Abraham extendit manum suam ad immolandum Filium, dixit illi DEus: (Gen: 22.) *Nunc cognovi, quód timeas DEum.* Noverat quidem ille hoc, & antea, sed hoc verbo significavit, per opus & ipsum factum, optimè declarari veram voluntatem, Toties dico DEO meo. Volo esse humilis, patiens, obediens, modestus &c. Sed si hæc

si hæc voluntas vera ac firma est, extende manum tuam ad opus, ipso facto ostende tuam voluntatem. Nam proposita sunt vanæ ac steriles velleitates, si carent fructu boni operis: De illis potest dici: (Prov: 13.) *Vult & non vult piger.* Vult conditionatè, si difficultas in exercitio virtutis non esset. Sed quia est, ideo absolutè & simpliciter, non vult.

2. Quàm facilem se Christus exhibuit, in sananda carne hujus leprosi, tam expeditum se ostendit, in curanda peccatoris anima. Nemo carnem illius miseri leprâ infectam dignabatur tangere, imò cuncti eum nauseabundi horrebant, oculos ab ejus fœditate avertebant, fugiebant consortium & alloquium ipsius: Solus Christus fœda illa ulcera non exhorret, permittit leproso ad se accessum, non solùm, ipsum sereno intuetur oculo, sed etiam manu mundissimâ tanquam rem delicatam, apostemata tangit & palpat. Iam vide, quomodo se Christus gerat, in sanânda peccatrice anima. Intrat Magdalena domum convivij, Pharisæus ab illa indignabundos oculos avertit, varia contra illam intra se murmurat, faciem contorquet, temerè propter eam Christum judicat, ægerrimé fert, quòd pedes Christi tangat. O quomodo tulisset, si illum ipsum attigisset. Christus è contra obsequium ejus gratè acceptat, ipsam non solùm excusat, sed etiam magnificè dilaudat; præfert ejus lacrymas & charitatem, epulis & vino pharisæi. Similiter fecit cum alijs publicanis & peccatoribus, quos Pharisæi detestabantur, horrebant, fugiebant: ille autem in consortium illorum se ingerebat, conversabatur cum illis, eidem mensæ accumbebat, & sic vulnera eorum sanabat. Benedicta sit tanta ejus in miseros clementia, quam hucusq; continuat, dum in Eucharistia, non horret cloacam nostri corporis, & hoc fœtidum ergastulum in persona sua benignissimè ingreditur.

3. Variæ ad mundandum leprosum in veteri Testamento adhibebantur Cerimoniæ. Opus ibi erat ligno cedrino, herbâ hyssopo, sanguine vitulæ, ejusq; aspersione: hic autem Christus nihil horum adhibet, solo attactu suæ manûs, & verbo, *volo, mundare*; emundat leprosum à sua fœditate. Quia ille modus emundandi in veteri testamento, figura erat non corporalis lepræ

mundandæ sed spiritualis, quam anima contrahit per peccata. Veniet tempus, ut etiam illum modum, suo modo Christus depromat ad emundanda nostra delicta, dum locò ligni Cedrini, utetur Cruce, loco hysopi, utetur se ipso carneq; suâ, valdè humiliatâ, & attritâ, locò vitulini sanguinis, utetur suo sanguine: imò lepram nostram in se assumet, ita ut reputetur leprosus. Quia DEus pater *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* (Isaiæ 53.) Faciliùs fuit Christo corporalem, quàm Spiritualem animæ lepram abstergere ac tollere. Quamvis autem tam difficilis sit modus tollendi lepram Spiritualem, tamen Christus tanquam aliquid facillimum esset, dicit: *volo, mundare.* O verbum amoris & misericordiæ infinitæ! *Asperges me Domine hysopo & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* (Psal: 50.) O Sacratissime sanguis, medicina lepræ nostræ, emunda me. *Ampliùs lava me ab iniquitate mea &c,* (Psal: 50.)

FERIA IV.

Accessit ad eum centurio, rogans eum: Domine Puer meus Paralyticus &c.

1. MAgno elogio dignus iste miles, quòd curam diligentem gerat valetudinis sui famuli, confundens eos dominos, quibus tamdiu grata est valetudo servi, quamdiu apta illorum obsequijs: deinde illos, qui potiorem curam habent canis, quàm servi. Quodsi hoc indignum reputas & præposterum, æquè indignum & præposterum existimare debes, quòd majorem curam geras corporis, quàm animæ. Si corpus febre aliquâ vel distemperie corripiatur, continuò adis medicum, sumis medicinam, caves noxios cibos, abstines à potu nocivo, non præbes occasionem recidivæ. Ecce verò anima tot morbis obruitur, tot tentationibus opprimitur, tot laborat defectibus. tot imperfectionibus ac vitijs scatet, ut meritò paralytica, non uno alterovè mense, sed tot annis censeatur. Scis quid agendum sit? quæ remedia adhibenda? quæ occasiones præscindendæ? quibus malis obviandum? & tamen hæc omnia negligis. Quis igitur te deterio-

deteriorem non reputet eo, qui majori cura fovet canem, quàm servum? Cadit in puteum asinus, & statim accurris, aliorumq; opem ad illum sublevandum imploras. Cadit anima, & in veterno suorum vitiorum putrescit, & non recogitas.

2. De isto centurionis servo paralytico S. Lucas (c. 7. *Erat illi pretiosus.* Et ideò DEus illum infirmitate percutit; quia ille non vult, ut aliquid temporale habeamus pretiosum: & si quid tale est, DEus illud de medio tollit, ut cor nostrum liberè in DEum tendat, nec ab ulla impediatur Creatura. Sic Adam in dilecto Abele percussus, Abraham in Isaaco, Iacob in Iosepho. Quia solus DEus vult esse pretiosus, ac thesaurus in corde nostro. Hinc justo fit DEi judicio, ut Creatura, quam inordinatè dilexisti, sit tibi supplicium, & sicut capilli Absaloni, quos ille habebat pretiosos, fuerunt ipsi causa suspendij, ita res temporalis, in qua multum confidimus, sit nobis causa tribulationis & afflictionis. Ideo monet Apostolus: (1. Cor: 7.) *Ut, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, & qui possident, tanquam non possideant,* ut nimium rebus terrenis affectu non inhæreamus: Solum illud sit nobis pretiosum, quod est æternum & non potest auferri, non illud, quod est momentaneum, & decidere potest. Dagon ejiciendus, quia cadit: arca DEi adoranda, & omni honore afficienda, quòd illa manet semper immobilis.

3. Iste Centurionis servus denotat nostrum appetitum, qui nobis ex natura sua subjectus est, juxta illud (Gen: 3.) *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Cùm ergo hic rationi obtemperat, & quasi mancipium tractatur, benè cum illo agitur: quia continetur in officio, juxta suæ conditionis exigentiam. At ubi ratio habet illum pretiosum, demulcet illum, extollit, benignè fovet, tunc malè habet. Unde sapiens: (Prov. 29.) *Qui delicatè nutrit servum suum, sentiet illum contumacem:* Et ideo malè habentem, ac paralysi dissolutum. Quia Eva, quæ eundem significat appetitum, Adæ fuit pretiosa; (nam ne illam contristaret, præceptum DEi est trangressus) malè habuit uterq;, & omnes filij ejus. Vis videre, quàm pretiosus tibi sit appetitus tuus? en, DEum contemnis, ut ei indulgeas. En infernum subire non recusas, dum modo illum non contristes. Appetitus iste est Paralyticus;

liticus; quia ad omne bonum ineptus. Malè torquetur. Tum quia non est in loco sibi connaturali: nam à ratione deordinatur. Tum quia passiones effrenes, dum rationis dominio non subsunt, invicem pugnant, mordent se, & consumunt.

FERIA V.

Ego veniam & curabo eum.

1. O Vocem magnificentiâ & munificentiâ plenam! In propria sua Persona Dominus JESUS promittit se venturum: *Ego veniam.* Non Angelum mittam, non per aliquem Sanctum id expediam, sed ego veniam. O Domine, nonnè *millia millium ministrant tibi!* (Ioan: 7.) mitte horum aliquem, & satis erit. Quin nec horum aliquo opus est, dic verbo, & sufficiet. Vtiq; verbum tuum est omnipotens; quidquid volueris, illo solo efficies. Non inquit, *Ego veniam.* O Christe in Sacrosancta Eucharistia recondite, tali & me dignaris gratiâ, tali afficis honore, ipsemet in Personâ tua ad me venis, ut sanes animam meam, & quidem non semel, sed toties, imò quotidie. Quis hanc tuam dignationem potest non solùm regratificari, sed etiam eloqui, imò concipere? Teipsum pro Te in gratiarum actionem suscipe.

2. Etiamsi Christus promptè se ad illum servum sanandum obtulerit, tamen deinde magnâ Centurionis fide ac humilitate abductus non ivit, solo eum verbo nutuq; suo sanavit. Sed ad me, servumq; meum scilicet Appetitum curandum, ipsemet in Persona toties venit. Quia solus Christus & gratia ejus, hunc valet curare appetitum. Hinc D. Paulus: (ad Rom: 7.) *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia DEI per JESUM Christum.* Adventus verò Christi in Eucharistia maximè curat hunc appetitum. Nam singularis hujus Sacramenti effectus est, indomitas passiones domare, concupiscentias extinguere, & contactu Carnis Christi, Carnem nostram sanctificare. Hinc (Zach. 9.) *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines?* De vino dicitur (ad Ephes: 5.) *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Quod ergo vinum germinare potest virgines, nisi sanguis Christi. Caro Christi infirma, *Veterem*

hominem

hominem Cruci, affixit (Rom: 6.) eumq; debilem reddidit. Hoc ipsum nunc operatur glorioſa : *dum mortificat Carnem noſtram cum ſuis concupiſcentijs* : (ad Gal: 5.)

3. Dum audis Chriſtum dicentem : *Ego veniam & curabo eum,* Servum, Paralyticum &c. confundere ; cui ex inſtituto incumbit, *alienam curare ſalutem,* cùm tamen adeo ſis ad hoc piger. Vocaris ad infirmum in fimo iacentem, vel ad Reum in fætido degentem carcere, vel ad moribundum in anguſtijs & miſeria cõſtitutum, nunquid promptè dicis : *Ego veniam & curabo.* Vocaris ad Concionem, Exhortationem, Cathecheſim faciendam, nunquid dicis : *Ego veniam.* An non magis difficultates prætendis, moroſus es, adducis excuſationes, alios demonſtras. Hocnè eſt Chriſtum imitari ? hocne eſt mores ejus exprimere ? Quàm longè promptior adis convivium, ambis conuerſationem amænam, prorumpis ad ſpectanda objecta jucunda, acceptas munia &c. Quò te vocat ſenſualitas, curris. Quò trahit vana gloria, volas. Quò zelus, quò amor proximi, quò ſtudium gloriæ Divinæ invitat, ſegneſcis ac teſtudo es.

FERIA VI.

Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo &c.

1. MIra Humilitatis cum Pietate contentio. Chriſtus promittit ſe venturum in domum Centurionis, Centurio verò indignum ſe iſto favore iudicat. Chriſtus ultrò ſuam offert præſentiam, Centurio illam deprecatur. Nos verò, ſi quæ gutta ſolatij nobis de cælo venit, continuò aſcendimus ad cor altum, de ſanctitate nobis blandientes, & extollimur de gratia, quaſi eſſet meritorum noſtrorum præmium, ac debitum laboribus pro Deo ſuſceptis. Plenus erat bonis operibus Centurio, & tamen ſe indignum iudicat DEi miſericordiâ, coram Chriſto apparere, eumq; in domum ſuſcipere, præ humilitate recuſat. Aiebat vidua ad Eliam : (3. Reg: 17.) *Quid mihi & tibi vir DEi, ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres Filium*

meum. Novit Centurio, Christum intrantem domum ejus, non interfecturum puerum ipsius, sed potiùs sanaturum. Erubescit tamen conspectum illius, cujus oculis omnia nuda & aperta sunt, & ideo peccata sua commemoranda putat. Ita & me oportet erubescere oculos Divinos, quibus universa mea delicta patent, ac orare: *Averte faciem tuam à peccatis meis & omnes iniquitates meas dele.* (Psal 50.)

2. Quod olim contigit Moysi, hoc, bono Centurioni. Videbat uniuersus populus claritatem vultûs Moysi, ipse solus non videbat: *nesciebat quòd cornuta esset facies ejus.* (Exod: 34.) Videbant alij merita Centurionis, eaq; apud Christum commendabant, & dicebant: (Lucæ 7.) *Dignus est, cui hoc præstes: diligit enim gentem nostram, nam & Synagogam ædificavit nobis;* ille solus hæc non aspicit, & ideo indignum se dicit conspectu Christi. *Videant alij opera tua bona, & glorificent Patrem qui in cælis est* (Mat: 5.) Tu ea noli videre, sed *cum omnia bene feceris, dicito: servus inutilis sum.* Nam si merita tua coram DEo reputaveris pro nihilo, eo ipso magnum pretium & valorem apud illum acquirent. Nihil enim est ita gratum DEo, ac numerare se cum extremis peccatoribus. Quia Ioannes dixit: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus;* (Marc: 1.) factus est amicus Sponsi. Quia Petrus ait: (Lucæ 5.) *Exi à me Domine, homo peccator sum;* fundamentum Ecclesiæ constituitur. Quia Paulus pronuntiavit: (1. Cor: 15.) *Non sum dignus vocari Apostolus;* omnium facilè primus factus est. Quia Centurio ait: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum;* dignus factus est admiratione Christi.

3. Vtinam ego simili affectu ad Christum, dum illum in Eucharistia suscipio, dicam: *Domine non sum dignus,* tum ob defectus naturales animæ & corporis, tum ob morales, seu peccata, & abusus omnium potentiarum, tum ob effectus peccati, qui sunt propensio ad malum, aversio à Divinis, passionum motus contra rationem, habitus pravi, turpitudo animæ, cadavere fætido, & cloacâ sordidioris, tum ob præsentem indignitatem ex imperfectionibus & indispositione ortam, tum ob distantiam à perfectione Sanctorum hominum, & Christi Domini, quem accepturus sum. *Ut intres sub tectum meum* Quia non sum dignus stare coram

re coram te, quem toties offendi, quantò minùs ut intres ad me. Non sum dignus cogitare de te, mente adeò fædatâ, quantò minùs te, intra me recipere. Non sum dignus, tangere te, quia pejor sum *Oza.* (2. Reg: 6.) Non sum dignus aspicere te, *ut Bethsamitæ arcam,* (1. Reg: 6.) quantò minùs, ut intres, *sub tectum meum,* tanquam stabulum sordibus plenum, tanquam spelũcam latronum, tanquam cloacam omni spurcitiâ fædam. *Sed tantùm dic verbo,* tàm efficaci, quàm fuit illud, quo creâsti omnia, quo Lazarum resuscitâsti, quo paralyticum sanâsti. *Et sanabitur anima mea,* à peccatis præsentibus & præteritis, ab imperfectionibus, à malis habitibus, ab inordinatis passionibus, à tentationibus periculosis, ab omissione multorum bonorum operum, ab inconstantia in benè cæptis, à defectu continui in virtute profectûs &c.

SABBATO.

Non inveni tantam fidem in Israël. Multi venient ab Oriente &c.

1. Hæc verba Christus dixit admirans. Non fuit quidem in illo propriè Admiratio; hæc enim ex eo in nobis fit, quòd aliquid novi & insoliti adeoq; non prægogniti videamus, vel audiamus, Christo autem nihil tale potuit evenire. Siquidẽ ille ùt homo per scientiam infusam, jam omnia, antequam fierent, cognoscebat. Fuit tamen admiratio impropriè, sumpta pro æstimatione & appretiatione. Quia nimirum Christus illam Fidem & Humilitatem Centurionis plurimi faciebat, & tanquã aliquid magnum ac mirabile appretiabat. Aurum, gemmæ, divitiæ, regna, principatus, in conspectu ejus sunt veluti umbra, aut flos decidens. Nihil ergo horum apud illum est mirabile, quasi magnum & pretiosum, sed tantùm fides & humilitas, hanc mirarur, honorat, æstimat.

2. Non est hoc novum, quód seculares ferventiùs DEo serviant, exactiùs observent ieiunia, magis devotè orent, modestiùs incedant, meliùs compositos habeant mores, passiones, iræ, concupiscen-

cupiscentiæ, sensualitatis, scurrilitatis magis, domitas obtineant, quàm plerique Religiosi. Sed quid alios designo? quare me prætereo, & non dico: Quàm ego. Heu mihi, quia ego omnibus bonis spiritualibus affluens, *fame pareo* (Luc: 15.) *& interim mercenarij in domo Patris mei, abundant panibus virtutum ac meritorum; publicani, & meretrices appropinquant ad JESUM, filij autem Regni ejiciuntur foras.* Quàm multi posteriores, quàm ego, ætate, scientiâ, rerum experientiâ, priores me erunt coram DEo, fervore ac devotione, quàm multi Iuniores mê recumbunt in pace animæ, in cordis puritate, in charitatis perfectione, in unione cum DEo, ego autem in tenebris erro, passim impingo, palpo, agitor passionibus, & tamen me alijs vanè præfero.

3. Prædicit Christus his verbis Iudæorum reprobationem, & Gentium conversionem, quæ miré adumbrata fuit in reprobatione Esau majoris natu, & electione ac benedictione Iacob. Hoc significat (Psal. 106.) cùm dicit: *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua, in exitus aquarum.* Similiter in Regina *Vasthi*, quæ quia pulchritudine ac dignitate regia in superbiam fuit elata, repudiatur. (Esther 2.) *Esther* verò obediens & humilis eligitur in Reginam. (Esther 2.) Si ergo Israèlitis nihil profuit, quòd essèt filij Abrahæ, quòd ab Ægypto innumeris miraculis erepti, quòd essent peculiaris populus DEi, Quia tamen opera Abrahæ non fecerunt, neq; fuerunt DEo grati pro ejus beneficijs, neq; se gesserunt, ùt decet populum DEi, reprobati sunt: ita mihi nihil proderit, quòd sim in Ecclesia, quòd à Christo redemptus ac ereptus, quòd ad Religionem vocatus, si opera Fidei Christianæ, & vocationi Religiosæ consentanea non egero. *Si estis Filij Abrahæ, opera Abrahæ facite.* (Ioan: 8.) *Si estis Cives Sanctorum & domestici DEi* (Eph: 2.) *gerite vos, ùt tales decet.*

DOMI-

DOMINICA IV.
Post EPIPHANIAM

Ascendente IESV in naviculam, secuti sunt eum discipuli. Matth: 8.

1. RECTÈ navicula hæc designat Ecclesiam. Sicut enim prora puppisq; navis perangusta est, medium verò peramplum, latumq;; ita si nascentis Ecclesiæ inspexeris primordia, paucos invenies fideles, ad quos loquitur Christus: (Lucæ 12.) *Nolite timere pusillus grex.* Si etiam finem consideres, pauci similiter invenientur; ut idem Christus ait: (Lucæ 18.) *Putasné veniens Filius hominis inveniet fidem in terra.* In medio autem Ecclesiæ multitudo fidelium extitit maxima. Hinc etiam lunæ assimilatur, diciturq; (Can: 6.) *Pulchra ut luna.* quæ ab initio & in fine parva, in medio autem plena magnaq; est. Et licet hæc navicula sit parva, ejus tamen fortitudo est maxima, ita, ut quāvis contra Ecclesiam insurgant venti, fluctus, tempestates, ab infidelibus, à persecutoribus, a varijs peccatoribus, tamen contra illam non prævalebunt. Sed unde tanta ejus fortitudo? Certè. Quia Christus in ea est juxta illud (Matth. 28.) *Ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.* O Supreme Navarche guberna navem istam, & me in ea.

2. Potest etiam per hanc naviculam intelligi Anima justi, in qua Christus per gratiam Sanctificantē habitat. De hac (Prov: 31.) dicitur: *Facta est quasi navis Institoris, de longé portans panem suum.* Sicut enim navis, oneratur mercibus, quæ in sua Patria magis abūdant, tum per mare tendit ad oras peregrinas, ut ibi distractis mercibus suis, quas attullerat, cariora domum reportet; ita justus in hac vita colligit merita, per actus virtutum, per labores temporales, per opera transitoria, ut ea in portum æternitatis devehens, commutet pro donis gratiæ Divinæ: pro quibus deinde vitam salutemq; æternam nec non visionem Dei claram ac intuitivam acquirat. Institores sumus; demus temporalia, ut habeamus æterna; præsentemus momentanea, ut accipiamus

infinita; offeramus nullius momenti res, ut referamus pretia inæstimabilia.

3. Adverte constantem discipulorum erga Magistrum fidelitatem. Non solùm illi sequuntur Christum tunc, dum pergit ad domum Principis, sed etiam dum in naviculam Piscatoris. Non solùm ad amænas regiones & amplas Civitates, sed etiam in mare. Non solùm tunc, cùm ei fieret benè, amplè, lautè, sed etiam, cùm illum premerent angustiæ, & variæ molestiæ vexarent. Bonus enim discipulus, etiam in arduis non discedit à suo Magistro. Vtinam & ego simili fidelitate polleam! Vtinam & mihi obveniat hæc felicitas! ut, quando Christus Eucharisticus ingreditur navim cordis mei, sequatur eum in me, comitatus virtutum, præsertm Mansuetudinis & Humilitatis, Patientiæ ac devotionis. Hi enim sunt Discipuli JESU, hos ille docet: (Matth: 11.) *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

FERIA II.

Et ecce motus magnus factus est in mari.

1. SIcut in illo mari, factus est motus magnus, ita in mundo, seu hominibus vitæ seculari deditis excitantur varij fluctus. Inprimis Instabilitatis humanæ, fluxus & refluxus continuus, fortunæ, dignitatum, possessionum, divitiarum. Perpetuò miseri homines luctantur cum his fluctibus, ac tandem lassati periclitantur, absorbentur, pereunt. Excitantur deinde fluctus feri maris; nempè motus rebelles pravorum affectuum, præsertim concupiscentiæ. Quàm fædè iactantur seculares his fluctibus, & in Scyllas charybdesq; , accinentibus interim Sirenum dolis, devolvuntur! Tandem in eis excitantur fluctus turbatæ ac interdum desperabundæ conscientiæ, quibus homines mundani post commissa plurima & gravissima peccata, horrendè iactantur, & frequenter ijs absorbentur. Age gratias DEo, quòd te ex his fluctibus eripuerit, & statuerit in littore S. Religionis pedes tuos; non invideas secularibus horum fluctuum tumorem; non immisceas te ulli secularitati; vide, ne vel una gutta ex hoc fero mari, remaneat in corde tuo; velis in pace progredi ad ul-

timum

timum portum tuum, hoc est, ad DEum tuum.

2. Aduerte, Hominem non per hoc, quia fit Religiosus, liberari à turbationibus seu fluctibus tentationum, imò verò hoc ipso esse illis obnoxium, juxta illud (Eccl: 2.) *Fili accedens ad servitutem DEi, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*: idq; ideo. Tum quia *militia est vita hominis super terram.* (Iob: 7.) Tum quia *Caro semper concupiscit aduersus Spiritum.* (Gal: 5.) Tum quia reperitur *lex in membris hominis, repugnans legi mentis, & captivans hominem in lege peccati.* (Rom: 7.) Tum quia *aduersarius tanquam leo rugiens semper circuit, quærens quem devoret.* (1. Petri 5.) Semper igitur te para ad tentationem, & obfirma cor tuum, ne in eas inducaris: ad quod, pete auxilium DEi supernaturale. Nam solis naturæ viribus non potes illis efficaciter resistere, juxta illud: *Sine me nihil potestis facere.* (Ioan: 15.) *Omnia verò potes in eo, qui te confortat.* (ad Philip: 4.)

3. Non æqualiter omnes impetuntur hujusmodi tentationibus. Nam alij ab initio suæ conversionis turbantur his fluctibus, alij autem post conuersionem. Ideo ab initio statim turbantur (sicut & Christus D. postquam baptizatus à Ioanne, abijt in desertum, tentari se permisit) ne putent, satis esse, reliquisse mundum, sed statim addiscant solicitè ambulare coram DEo. Tentantur post conversionem benè, & non initio, ideo, ne statim animo cadant, & ad id reuertantur, quod deseruerunt. Reflectas te, an jam absolveris aliquam cum diabolo pugnam, & quo eventu? Implora opem DEi ad ulteriorem luctam. Nemo enim ita fluctibus tentationum obruitur, ut eas non possit sedare cum gratia cœlesti, quæ nunquam deest. *Fidelis enim est DEUS, qui non permittit nos tentari supra id quod possumus*: (1. Cor: 10.) imò nobis ex tentatione facit proventum. Si igitur victus es, vel vinceris aliquâ tentatione, tibi imputa, & posthac assume armaturam Dei. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram* (Ps: 123.)

FERIA III.

Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.

1. Po-

1. POtissima hujus tempestatis causa fuit Iudas reprobus, qui unà cum alijs discipulis conscenderat illam naviculam. Multa mala in illam domum veniunt, in qua reprobus commoratur. Sic propter *Ionam* voluntati Divinæ rebellem, mare turbatur, & omnes qui cum eo in navi sunt, periclitantur: (Ionæ: 1.) Propter *Achan* furem, Israèl vincitur. (Iosuæ 7.) Propter *Core, Datan, & Abiron*, etiam domesticæ eorum familiæ obruuntur. (Num: 26.) S. Dominicus ex magna humilitate putabat, illam Civitatem, quam intrabat, aliquâ calamitate afficiendam, dicebatq; : *Ingredior flagellum DEI.* Vide, an in domo cordis tui, non sit aliqua tempestas & perturbatio? Si forsitan est; vide, ne ibi sit aliquis Achan, aliquis Ionas, aliquis Datan vel Abiron. Si est; proculdubio, propter illum hæc tempestas exorta est. Proijce ergo illum: non enim cessabit tempestas, donec Achan exterminetur, donec Ionas procul abigatur. Alioquin time illam cōminationem (Hierem: 30.) *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in Capite impiorum conquiescet.* Eo tempestas venit, ubi sunt impij.

2. Fortè etiam hic motus ideo factus est in mari, quia Christus in eo erat. Antequam illud Christus ingrederetur, magna erat tranquillitas, eo intrante, tempestas orta est. Quia quamdiu anima est absq; DEo, simulatâ ac fictâ fruitur pace. Sicut Salvator ait: (Lucæ 11.) *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* Tunc enim Dæmon ait, quod Holofernes: (Iudith: 11.) *Ego nunquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosori.* Pacem init Spiritus cum dæmone & carne. *Iniêrunt fœdus cum morte, & cum inferno pacem fecerunt.* (Isaiæ 38.) *Sed ecce in pace hac, amaritudo mea amarissima.* (Isaiæ 38.) De hac pace Christus loquitur: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* (Matth: 10.) Cùm enim homo recedit à statu peccati, tunc insurgunt tentationes ac tribulationes. Nec ideo debes mirari, aut turbari; hoc enim signum est, Christum in te manere. Nam ùt ait S. Gregorius: *Illos Dæmon tentare negligit, quos quieto jure se possidere sentit.* Non eò fur intrat, ut furetur, ubi sunt paleæ, aut ligna vilia, sed ubi aurum est & pretiosa quæq; Navis vacua, aut pomis onusta, latrones

piratasq;

piratasq; insidiantes non timet, sed auro & gemmis oneratam persequuntur. Sic dæmon eam persequitur animam, de qua dicitur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* (Prov: 31.)

3. Tandem in Christi navem irruit tempestas; ut doceamur: Nullum in hac vita locum esse nobis securum. Licet videas in te Christum esse, adhuc tamen caveas, tibiq; provideas. *Beatus enim est vir, qui semper est pavidus.* (Prov: 28.) Adhuc enim in mari periculis pleno versaris. (Iob: 4.) *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem.* Quantò magis qui terrenum habent fundamentum, qui habitant domos luteas, consumentur veluti à tinea. *Nusquam est securitas*, inquit Bernard.: *nec in cælo, nec in paradiso, multò minùs in terris.* In cælo cecidit Angelus, in paradiso Adam, Iudas de Schola Salvatoris. Non satis est evomuisse peccata, & quasi jam confirmatus esses in gratia, nihil ampliùs curare, continuò debes de salute tua esse solicitus, non securus, sed trepidus; non dormiens, sed vigilans, ne sis ille, de quo (Proverb: 25.) dicitur: *Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clavo.* Vbi Beda ait: *In medio mari dormit, qui in hujus mundi tentationibus positus, negligit vitiorum motus tanquam fluctus reprimere, & clavum amisit, quo gubernatur navis, quando consideratione m perdidit futurorum.*

FERIA IV.

Ipse verò dormiebat.

1. MIrum profectò, Christum in præsenti discrimine dormire. Nonnè ille est, de quo Sponsa (Cant: 5.) ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vbi ostenditur flagrantissimus ejus erga nos amor, qui eum vigilare cogit, ut nobis provideat, etiam tunc, dum nos obliti ejus, somno corripimur; quomodo ergo nunc, dormire dicitur? Nonne ille est, de quo (Psal: 120.) *Non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israël.* Somnus iste plenus est mysterijs, unde nostram excitat considerationem. 1. enim dormit, ingruente tempestate. Quia modicùm suos patitur tribulari, quasi eorum oblitus. Quid enim est, cùm justum permittit

tentari aut tribulari? nisi, quòd, quasi dormiat Dominus. Ideo Psaltes c: 43. *Oblivisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ.* Sed super cervical dormit, ut habetur (Marci 4.) quia facilè excitatur, ac brevì exurgens liberabit justum. Sic (Isaiæ 54.) ait: *Ad punctum & in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Justus enim si ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manū suā. Psᵗ: 36. Non dabit in æternū fluctuationē justo. Psᵗ: 54.* Prout hodie fecit, cùm surgens imperavit ventis & mari, & tranquillum redditum est. Non delectatur in perditione nostra, sed post tempestatem, facit tranquillum, & post lacrymationem ac fletum, exultationem infundit. *Sit nomen ejus benedictum.* (Iob: 11.)

2. Dormit Christus sæviente in Apostolos tempestate. Quia dum contra suos mundus insurgit, dissimulat peccata hominum propter Pœnitentiam, quasi ea non videat. Hinc (Psal: 37.) *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Et (Isaiæ 57.) *Ego tacens & quasi non videns, & mei oblita es.* Videtur, non audire innumera juramenta, blasphæmias, detractiones, lascivias, scurrilitates; non videre peccata plurima; dormit, dissimulatq́; Dominus. Sed cave, ne quando excitetur, & increpet ventos & mare. *Quia excitatus est tanquam dormiens Dominus, & quasi potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis.* (Psal: 77.) Modò verò quasi dormit. Atq́; hinc aliqui sumunt occasionem & audaciam liberiùs peccandi. Sic apud (Psalm: 93.) impij dixerunt: *Non videbit Dominus, nec intelliget DEUS Iacob. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?*

3. Tandem Christus dormit, ut in se nobis exprimat pacem, securitatemq́; viri Iusti, qui inter vitæ hujus incommoda atq́; pericula securus quiescit. Videas hominem mundanum, ingruente quovis malo statim angi, turbari, affligi: contrà verò homo DEi, nullo turbatur malo. *Non contristabit Iustum, quidquid illi acciderit:* (Prov: 12.) Dormit securus, non excitatur, non turbatur. Veniant ad eum nuntij, ut ad Iob, dicant illi: (Iob: 11.)

Perierunt

Perierunt greges omnes, Chaldæis invadentibus. Ille dicet: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* En dormit Iob. Percutiatur in filijs, & in propria carne, dicet cum Iob: *Sicut Domino placuit, ita factum est.* En somnum. Magnâ profectò fruitur pace, qui est perfectè justus, & tantâ, ut eam nemo possit turbare. Venti omnes, aëriſq; commutationes, in regione inferiori sunt, in superiori verò, omnimoda quies, paxq; est, & perturbatio nulla: ut patet in cacumine Olympi montis, ubi nec pluviæ, nec nives, nec venti. Sic terreni homines, in inferioribus degentes perturbationibus quatiuntur, ille verò, cujus conversatio in cælis est, liber est à perturbatione nimia. Iusti enim sunt velut ij, quibus membrum abscindendum est, vel qui torquendi sunt: hi enim ebibito aliquo potu vel cibo, insensibilitatem & somnum procurant, ne dolores gravissimos sentiant. Virtus & Gratia est talis potus ac cibus.

FERIA V.

Ipse verò dormiebat. Et accesserunt discipuli & excitaverunt eum.

1. CRedibile est, Sanctos Apostolos, non statim ad Christum accessisse, ut illum excitarent à somno: sed præ magna erga ipsum reverentia, amoriſq; teneritudine diligenter caviſſe, ne sopor ille, reficiendo ipsius corpori, multis laboribus ac itineribus fracto, opportunus, ullatenus interrumperetur. Interim fecerunt, quod prudentes Navarchi solent, initoq; consilio, varios ad periculum depellendum indagârunt, adhibueruntq; modos: Nos pariter docendo, quomodo in repellendis tentationibus sit nobis agendum. Periti ergo nautæ, vela contrahunt in tempestate, ne venti furentes navim abripiant, pro libitu huc & illuc agitent, ac tandem demergant. Credibile ergo id primò factum esse ab Apostolis. Ita se gerat tentatus. Experitur, quòd vanitates mundanæ inflent visum, auditum, gustum, &c. inde graves tentationum motus insurgunt, & animam in extremum adducunt discrimen. Ergo necesse est, vela contrahat, claudat

oculos, aures obturet, gustui modum ponat &c. deponat vela illecebrarum, tradat se jejunio, abstinentiæ, mortificationi.

2. Periti nautæ, dum gravis cooritur tempestas, fugiunt in altum mare, ne ventorum ferocia ad scopulos & rupes navem allidat. Sic tentatus fugiat mundum & mundana, non nimium se iungat rebus caducis & perituris, ne ipse cum illis pereuntibus pereat, cum cadentibus cadat. *Annos æternos habeat in mente,* (Psal: 76.) ad cælestem felicitatem aspiret, ad DEum veluti supremum in opportunitate auxilium recurrat, dicatq; cum Psalte: (Psal: 76.) *Renuit consolari anima mea memor fui Dei & delectatus sum.* Et (Psal: 120.) *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino.* Et (Psal: 72.) *Quid mihi est in cælo & à te quid volui super terram. DEUS pars cordis mei, DEUS cor meum.*

3. Nautæ periti in periculo naufragij, gravia quæq; pondera, quamvis alioquin fuerint magni pretij & valoris, projiciunt in mare, ut navem allevient. His enim omnibus præferunt vitam, quam in proximo mortis periculo vident constitutam. Sic tentatus, necesse est, ut per contritionem & Confessionem, evomat grave peccatorum pondus, ut animam alleviet. Nullum enim pondus gravius est onere peccatorum. Hoc Luciperum deturbavit de cælo, ut inde tanquam fulgur caderet. Hoc primos Parentes de summo beatitudinis statu dejecit. Hoc innumeram hominum multitudinem in baratrum inferni quotidie præcipitat. Hinc Theologi docent, illos, qui navigaturi mare conscendunt, præsertim longum & periculosum, ut tanquam periculum & articulum mortis adituri, Conscientiam Confessione exonerent, ac se in statu gratiæ constituant.

FERIA VI.

Suscitaverunt eum dicentes: Salva nos perimus. Quid timidi estis?

1. IN omni angustia & afflictione, inter decumanos tentationum fluctus, unicum & salutare nostrum refugium est JESUS;

SUS; ad ipsum recurrere, ipsum excitare debemus; ac dicere: (Psal: 43.) *Exurge, quare obdormis Domine.* Nam solius JESU proprium est salvare, magis quàm soli lucere, igni ardere, balsamo suum diffundere odorem, convenit. *Non est enim aliud nomen sub sole, in quo nos oporteat salvos fieri. Sicut in nomine JESU omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* (Philip: 2.) ita hæc omnis Creatura debet salutem suam huic salutifero nomini, tanquam Causæ primæ, & originali fonti.

2. Hoc, illa tempestate ac somno Christus intendebat, ut ad illum discipuli accederent, eumq; instanter orarent. Hoc omni tribulatione ac tentatione intendit, ut ad eum accedas. quod cùm non feceris, frustra à DEo percussus diceris: (Hierem. 5.) *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Frustra factum dicitur, quod fine intento caruit. Et (Psal: 34.) *Dissipati sunt, nec compuncti.* (Isaiæ 9.) *Perdidi populum meum, & non est reversus ad me, & non est reversus populus meus ad percutientem se.* Flagellatur filius, ut manum patris osculetur, ut ei genua flectens, pro paterna castigatione gratias agat: Siquidem hoc pater ex intimo erga filium amore facit: quodsi non agat gratias, non flectat genu, iterum acerbiùs ac severiùs castigatur. Ita plerumq; DEus agit cum hominibus. Unde cùm videt nos post flagella non corrigi, cum indignatione dicit: (Isaiæ c. 1.) *In quo percutiam vos, ultra addentes prævaricationem.*

3. Sicut nullum bonum creatum est sine admixtione mali, ita nulla ferè bona opera nostra sine defectu. Rectè quidem fecerunt discipuli, quia in summo discrimine ad Christum pro subsidio impetrando recurrerunt, sed tamen in hoc illorum recursu, duplex intervenit defectus, pusillanimitatis, & incredulitatis, ideoq; arguuntur à Christo: *Quid timidi estis modicæ fidei?* En incredulitas; quia non credebant, Christum etiam dormientem posse illam sedare tempestatem. En pusillanimitas; quia fremente mari, ventis furentibus, absorbentibus naviculam fluctibus, illi de salute sua desperant: cùm tamen ille, qui secum habet JESUM, nihil timere debeat. Unde Origenes exclamat: *O discipuli Salvatorem vobiscum habetis, & timetis periculum: vita vobiscum est, & de morte soliciti estis.* Tu igitur è contra, in omni adversitate

confide in providentia DEi, animum tranquillum retine. *Nam conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum* Cic: Tusc: (libro 5.) arripit media aut inutilia aut noxia.

SABBATO

Tunc surgens imperavit ventis & mari & facta est tranquillitas.

1. MAgnam habet Emphasim ista particula *Tunc* hoc est, cùm jam de salute omnium videretur conclamatum, tunc attulit subsidium. Licet enim DEus permittat, varijs adversitatum procellis justos agitari, tamen illos non permittit ampliùs affligi, nisi quantum ad salutem illorum expedit. Proijcit aliquis vitreum calicem sursum, finit illum deorsum cadere, qui spectat actum à latere, putat vas illud facilé confractum iri, ecce verò proijciens, cùm jam terræ allidendum esset, dextrè illud in manus capit, & non finit usq; ad terram labi: ita DEus cum justis facit, prout monet (Psal: 36.) *Iustus si ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam. Cùm te extinctum putaueris, tunc orieris ut Lucifer* (Iob: 11.)

2. Ex modo, quo Christus hoc miraculum patravit, ostendit se DEum. Nam Moyses virgâ aperuit mare, Iosue attactu Arcæ siccavit Iordanem: At Christus jmperio, & iussione imperativâ, sedavit tumultum maris. Modus agendi modestus & pacatus, est modus Divinus. Perturbatè agere, & ex ingenio Passionum, pravarumq; cupiditatum tumultu, moliri vindictam, struere proximo insidias, impetuosè invehi, non DEo, sed maligno spiritu pleni animi sunt documenta. Dum templum Salomonis ædificaretur, nec malleus nec securis audita sunt, carentia strepitûs multùm commendabat Sapientiam Salomonis. Non postremum signum residentis in anima Sapientiæ Divinæ est, remotum esse à tumultu Passionum, & perturbatione. Quia scriptum est: (Psal: 15) *Factus est in pace locus ejus,*

3. Priùs imperavit ventis, deinde mari. Quia ventorum ferocia, erat causa perturbationis factæ in mari. Radices malo-

rum

rum diligenter sunt investigandæ; ut hæc tollantur, priùs sunt illæ tollendæ. Sublatâ enim causâ, tollitur effectus. Insensibiles Creaturæ agnoscunt suum Creatorem, ita illi obediunt, ac si essent ratione præditæ: ad meam confusionem. Toties namq; Christus meis pravis passionibus imperat, ut componantur, & tamen non obediunt; frenum rationis excutiunt. perpetuò recalcitrant ac tumultuantur. Impera efficaciter Domine, iræ, sensualitati, Curiositati meæ, & fiat tandem tranquillitas.

DOMINICA V.

Post EPIPHANIAM.

Simile est Regnum Cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Matth: 13.

1. REctè per hunc agrum intelligitur mundus. Iam vide, quid circa hunc agrum non egit ille agricola, de quo Christus: (Ioan: 15.) *Pater meus agricola est.* Misit ab initio mundi, servos suos, Patriarchas & Prophetas, qui hunc agrum excolerent, & succrescentia Zizania impedirent. Tandem misit Filium suum, quo tanquam iumento usus est, juxta illud (Psal: 72.) *Ut jumentum factus sum apud te,* ita, ut non solùm ejus doctrina & exemplo, sed etiam sanguine hunc agrum irrigaverit. Deinde adhibuit tot labores, sudores, & tam copiosè profusum servorum suorum sanguinem, ad eundem agrum fæcundandum. Inter quos etiam te elegit, ut eas & fructum aliquem in hoc agro facias, ut duras glebas emollias ut convertas. An igitur paratus es ad collaborandum Domino tuo? an certè ipse incultus, spinisq; & tribulis horridus es? Incipe laborem hunc à temetipso; & tunc zelare poteris circa alios.

2. Totus orbis est ager DEi. In eo bonum semen seminat, dū viros probos ac iustos producit. Hi enim sunt triticum DEi, juxta illud S. Ignatij Martyris: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Triticum, ut panis hominis fiat, molâ atteritur. Iustus, ut Christi panis evadat, persecutioni-

tionibus, pœnitentiâ, laboreq; atteritur & molitur. Et sic Laurentij mola, est craticula, Ignatij mola, dentes leonum. Andreæ, Crux. Pauli, gladius. O quàm sapidus, quàm pretiosus est coram DEo talis panis! Pone hominem, cui DEus omnia naturalia concederet, nihilq; boni in natura esset, quod ei non daretur, is tamen gratiâ careat. Pone alium, ut Iob in sterquilinio, qui nihil boni ex his, quæ natura dare potest, habeat, sit tamen in eo minimus gratiæ gradus: Quis horum videtur coram DEo potior & carior? sine dubio is, qui gratiâ donatus est. Quantum distat cælum à terra, tantùm iste ab illo.

3. Meritò Viri Iusti, bonum semen dicuntur. Sicut enim semen nativâ suâ virtute, generat aliud sibi simile, non unum, sed multiplex: ita viri probi, tum verbo, tum exemplo, producunt plurimos alios sibi similes. Nonné bonum semen à Christo satum erant Apostoli, ex quo in Ecclesia DEi, tot viri Sanctissimi, semini similes exorti sunt. Decem primi Patres Societatis, bonum erant semen. Quia ex illis tot pretiosa grana, quibus totus ager Ecclesiæ DEi; uberrimè fæcundatus est, prodierunt. Æmulantur quippe viri iusti fæcunditatem DEi, qui cùm sit summè bonus, est etiam summè communicativus suî, tum ad intra, communicando totum esse Filio, per *Generationem Activam*, & Spiritui Sancto per *Spirationem activam*, tum ad extra, tam in esse naturæ, dando rebus creatis tot gradus essendi, quàm in esse Gratiæ.

FERIA II.

Cùm dormirent homines, venit inimicus eius & superseminauit Zizania.

1. INgenium diaboli opportunam quærit occasionem, quâ noceat. Non est autem opportunior, quàm cùm dormiunt homines; id est, negligentes fiunt ac desides in negotio salutis. Sicut enim somnus corporis, multis multorum malorum fuit causa; nam *Sisara* dormiens interfectus fuit à muliere. (Iud: 4.) *Madianitæ* dormientes oppressi sunt à *Gedeone* (Iud. 7.) *Samson* in sinu *Dalilæ* dormiens, robore spoliatus est (Iud 16.) *Holofernes* vino

vino somnoq; sepultus, ab imbelli fœmina obtruncatus (Iud. 13.) *Sauli* dormienti *David* abstulit lanceam, & facilè illum obtruncâsset, si voluisset; (1. Reg: 26.) ita somnus animæ multis multa damna intulit. Non est igitur indormiendum saluti propter ingens periculum. Si miles in statione sua dormiat, agitur de ipsius capite; Sic & de nostra salute. (Apoc: 3.) *Nisi vigilaveris, veniam tibi sicut fur, Vigilate*, ait Dominus, *quia nescitis diem neq; horam.* Imbecillis est dæmon, solos dormientes vincit. Matt. 22

2. DEus in luce seminat, in luce operatur. Cùm orbem conderet, prima statim die, dixit: (Gen: 1.) *Fiat lux. Ipse etiam est lux, & lucem habitat inaccessibilem.* (1. Tim: 6.) De illo enim dicitur: (Ioan: 1.) *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Hæc lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Cujus noctem ipse illuminat, dicere potest: *Mea nox, obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* (Ioan: 9.) At diabolus initio operum suorum dicit: *Fiant tenebræ.* (Gen: 1.) Lucifuga est, & Lucis hostis, tenebras offundit rationi, nocteq; animam obscurat. Si enim illa in luce sit, semina mala, id est, malas cogitationes repellit, sed cùm luce cæleſti privatur, facilè suscipit Zizania, quæ deinde ad fructum, messemq; infernalem producit. *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversùs eum.* (Psal: 12.) cettè tunc prævaleret, cùm tua luce carerem.

3. Nulla in orbe communitas est adeo Sancta, ut non habeat admistos sibi improbos. Sicut enim *Arca Noë*, continebat animalia munda & immunda; & area continet triticum pariterq; paleas; & sagena continet pisces bonos & malos: ad nuptias veniunt virgines prudentes & fatuæ; in Cæna comparet etiam non vestitus veste nuptiali; prout testantur Parabolæ Evangelicæ, ita & in Communitatibus evenit. Ideo dæmon in medio tritici seminat Zizania; quia ibi maximè conatur malum semen effundere, ubi DEum conspicit bonum misisse. In medio proborum superseminat improbos, ut malis illorum moribus, bonos inficiat & corrumpat. *Nam corrumpunt bonos mores, colloquia prava.* (1. Cor: 15.) Magnum igitur est, bonum esse, licet in medio malorum verseris; triticum esse, quamvis alij sint Zizania; esse

castum inter impudicos, uti fuit *Ioseph* in domo *Putiphari*; *Loth* in medio Sodomorum; *Judith* in tabernaculo *Holofernis*.

FERIA III.

Cùm autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, apparuerunt & Zizania.

1. AB initio jacti in terram ſeminis boni & mali, non poterat unum ab alio dignoſci, donec utrumq; ſuccreviſſet, fructumq; feciſſet. Quia dæmon, caro, mundus, ita artificioſè hominem decipit, ut ab initio, pravam illi tentationem ſuggerendo, malum illi perſuadeat pro bono, vitium pro virtute, nequitiam pro pietate: nec facilè poteſt homo inter utrumq; diſcernere, donec malam illam ſuggeſtionem opere compleverit. Tunc enim agnoſcere primùm incipit, ſe malè egiſſe, tunc ſtimulis conſcientiæ urgeri, tunc perturbatione animi inquietari, tunc dignoſcere zizania à tritico: *Principiis obſta, ſerò medicina paratur.*

2. Semper improbi conantur æmulari probos. Sicut poſtquã bonum ſemen in herbam crevit, fructumq; ſuum protulit, tunc apparuerunt & Zizania, ut etiam illa herbam & fructum ſibi ſimilem progignerent. Sicut enim probi, virtute, doctrina, & exemplo, producunt alios ſimiles quàm plurimos, ita malum ſemen, & zizania ſimiles imitatione proferunt. Et ſic *Arius*, ſic *Lutherus* ſemen peſſimum, ſic alij hæretici, ſibi ſimiles hæreticos inſtar ſeminis pepererunt. A zizanijs zizania producta ſunt. Sic etiam improbi homines, alios ejuſdem improbitatis participes progignunt. *Non poteſt enim arbor mala, bonos fructus facere* (Mat: 7.) Jam vide, quales tu mores in alijs converſatione tua producas?

3. Exiſtima, eadem verba tibi dici: Quamdiu eras in herba Tyrocinij religioſi, triticum videbaris, & multam de te ſpem ſuperioribus æqualibusq; tuis promittebas, poſtquam verò ſuccreviſti, poſtquam adoleviſti, poſtquam munia Religiosa obire cæpiſti, quanta in te apparuerunt Zizania! quomodo ſpes illæ omnes elusæ ceciderunt! Similiter dum peragis meditationem, dum Confeſſionem vel Examen inſtituis, illa Sancta propoſita,

quæ

quæ facis, bonum videntur semen: sed quomodo postea degenerant in lolium! Quia nimirum deest constantia in bene cæptis. Egrediens de *Sodoma* Vxor Lothi, bene cæpit; si ulteriùs perseuerâsset in non respiciendo retrò, salva de periculo evasisset: sed quia respexit retrò, degeneravit in statuam salis. *Displiceat Deo victima, caudà carens.*

FERIA IV.

Domine nonnè bonum semen seminâsti in agro tuo, unde ergo habet Zizania? Inimicus homo hoc fecit.

1. DEus omnia bene condidit, & valdè bona, sementemq; fecit egregij seminis. Unde nam ergo zizania sunt orta? Nunquid ex bono semine DEi? sed ex bono malum non potest oriri. Respondetur ergo: *Inimicus homo hoc fecit.* Peccatum nõ est ortum à DEo: ab hoste pessimo provenit, scilicet ab homine Inimico. Sed hic hostis pessimus, hic inimicus homo, creatus est à DEo. Ergo & malum seu zizania à DEo sunt creata. Respondeo. Creatus quidem est à DEo, Homo, sed nec hostis, nec pessimus, nec malus, creatus est. Conditus est omninò bonus; sed ipse ultrò se fecit malum & pessimum, *nemo læditur, nisi à se ipso.* Nemo est major hostis homini, quàm ipse homo sibi ipsi, adeoq; hostis & inimicus DEi. *Ipse quidem fecit nos, & non ipsi nos:* (Ps. 99.) Sed ipsi destruximus nos.

2. Christus in Eucharistia reconditus, est ita bonum semen, ut etiamsi vel semel cordi hominis inseratur, dummodò sit bene cultum & præparatum, tamen possit in eo sufficienter germinare fructum omnis virtutis, Humilitatis, Patientiæ, obedientiæ &c. Immo posset in homine gignere animosam resolutionem ad subeundum pro amore DEi Martyrium: Siquidem Christus est fons omnis Sanctitatis, est radicale principium cunctarum gratiarum, donorumq; cælestium. Dum ergo in me toties hoc semen præstantissimum seritur, & tamen nascuntur tot zizania defectuum & imperfectionum, tantus in orando tepor, tot impatientiæ, scurrilitates, curiositates, nonnè meritò Sancti Angeli

 possunt

possunt Domino DEo dicere: *Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo habet zizania?* Non est, in quem alium Domine devolvas culpam, nisi in me. Ego sum iste inimicus homo: Ego perversâ meâ voluntate, vim & energiam hujus seminis oppressi ac suffocavi, dum inerti somno indulsi, dum inveterato tepore tanquam lethargo oppressus, in vitijs antiquis tanquam jumentum in suo stercore, delitui.

3. Non dicitur: Diabolus hoc fecit, etiamsi revera ipse fecerit, sed *Inimicus homo hoc fecit.* Tum quia ipse homo est sibi ipsi nocentior, quàm diabolus. Nam ipse homo propriâ voluntate, & consensu causat sibi infernum. *Cesset propria voluntas. & infernus non erit.* Tum quia quod diabolus non potest per se persuadere homini, persuadet per malum hominem, per malum socium, cui dum sese homo adjungit, malos ab illo mores addiscit. Tum quia diabolus in tentationibus humanitatem præfert; incipit à tentationibus humanis, faciem humanam induit, & blandè voluptates carnis obtrudit. Ita decepit Evam sub specie boni. Ita fuit aggressus Christum.

FERIA V.

Servi autem dixerunt: *Vis, imus, & colligimus ea. Sinite utraq; crescere, usq; &c.*

2. TRia in his servis elucent laudanda. 1. Zelus magnus, quo moventur ad destruendum malum, seu extirpandum peccatum. 2. Magna promptitudo, ac si dicerent: Tantùm nos mitte, protinus imus; tantùm iube, statim facimus; zizania, hæreses, vitia, idololatriam eradicamus. Sic olim Isaias (c. 6.) cùm DEum dicentem audisset. *Quem mittam, quis ibit nobis?* Seipsum obtulit. *Ecce ego mitte me.* 3. Quòd nolint facere proprio motu, sed iussu Domini. Talem oportet esse Societatis hominem, qui dicat: (3 Reg: 19.) *Zelo zelatus sum;* qui totum mundum percurrat igneo Eliæ curru, docendo, convertendo &c. Hoc Petrus vectus, hoc Paulus, hoc cæteri Apostoli, orbem peragrârunt. Hoc *Xaverius* penetravit usq; ad Indias.

2.

2. Præbetur hîc nobis Patientiæ Divinæ exemplum, quæ diu exspectare solet improbos, & sinit illos multa agere pro arbitrio, quamvis fiant justis intolerabiles. Miratur hanc DEi longanimitatem (Psal: 93.) *Usquequò peccatores gloriabuntur, effabuntur, & loquentur iniquitatem? Populum tuum humiliaverunt, & hereditatem tuam vexaverunt.* Miratur & Abacuc: 1. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & ad iniquitatem respicere non poteris. Quare non respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se, & facies homines quasi pisces maris;* in quibus minores á majoribus deglutiuntur. Ita DEus diu dissimulat peccata hominum, propter pœnitentiam; sed quò longior est ipsius nunc Patientia ac tolerantia, eò acerbior postea erit vindicta. Æmulabor hunc modum agendi Divinum, ut, dum continget me ab alio lædi ac offendi, non statim ad sumendam vindictam prorumpam, sed magìs recurram ad tolerantiam.

3. Singulis momentis, messis in mundo peragitur. Quot enim singulis momentis, per totum orbem homines moriuntur, tot quasi fasciculi demetuntur falce mortis, & colliguntur. Sed quàm pauca tritici grana deportantur in DEi horreum! quàm multi verò zizaniorum fasciculi mittuntur in caminum ignis! Sicut post peractam messem, collectosq; de agro manipulos, paucæ relinquuntur spicæ; & sicut post vindemiam paractam, collectosq; de arboribus fructus, paucæ ibi supersunt olivæ aut racemi; ita pauci electi comparativè ad reprobos, colliguntur ad horreum DEi. Quantum condolere debes, frustrato labori Christi. Offer te cum *S. Catharina Senensi*, ad obturandum os inferni, teipso, ne ullus alius illuc ingrediatur. Supple DEO tuo, quantum potes, hanc jacturam.

FERIA VI.

Sinite utraq; crescere usq; ad messem, ne fortè eradicando Zizania, eradicetis simul triticum.

1: EN ratio, ob quam DEus tolerat malos usq; ad messem. *Ne eradicetis simul & triticum.* Qui enim hodie zizania est, cras

fortè erit triticum. Licet enim natura non possit Zizania mutare in triticum, at gratia id efficere potest. Sicut enim Cytharedus non statim rumpit chordam distemperatam, malèq; sonantem, sed eam sensim temperat & aptat; ita DEus facit cum hominibus depravatis. Prout Psalmista (Psal: 77.) testatur: *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & recordatus est, quia caro sunt.* Unde Iob precatur: (c. 10.) *Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me.* De luto potest formari vel tale, vel aliud vas fragile. Qui eradicâsset Petrum, Paulum, Matthæum, Magdalenam, & similes, cùm peccatores erant, utiq; eradicâsset triticum, quod nunc sunt. Nullius in hac vita, desperanda est correctio. Quia, ùt ait Psalmus: (c. 35.) *Homines & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam DEus. Suscitat de pulvere egenum. & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* (1. Reg: 2.)

2. Ideo quoq; inter Iustos DEus conservat improbos, ne tollat justorum merita & coronas, persecutione malorum elaborandas. Nam ùt ait S. Augustinus: *Boni dum adhuc infirmi sunt, opus habent malorum commixtione, sive ut per eos exerceantur, sive ut eorũ comparatione, magna illis exhortatio fiat, & invitentur ad melius.* Idem Augustinus: *Omnis malus, vel ideo vivit, ut corrigatur, vel ut per eum bonus exerceatur.* Sicut enim in naturalibus, reperitur quædam contrarietas, quâ, alia agunt, alia patiuntur, & hoc pacto, iste mundus conservatur: ùt patet in elementis & animalibus. Hinc Aristoteles docet: *Principia rerum naturalium debere esse contraria.* Et sicut ludus hominum, consistit in quadam lite inter se & contentione. Eundem ordinem DEus in Spiritualibus esse volùit, ut perpetua sit contrarietas & lis, justo cum dæmone, cum carne, cum mundo, qui nihil aliud est, quàm collectio hominum impiorum, & per zizania intelligitur. Unde (Eccles: 33.) *Contra bonum malum est, & contra mortem vita: ita contra virum Iustum peccator.* Et sic intuere omnia opera altissimi: duo contra duo, & unum contra unum. Sic exercetur patientia *Iob à Chaldæis, & uxore; Iacob à Labano; Abel à Caimo; Ioseph à fratribus; David à Saule, Semei, ab Absalone; Moyses à Core, Dathan, Abiron;* Martyres à suis Tyrannis. Non sint scalpra, non erunt lapides politi ad ædificam-

ficandam cæleſtem Hieruſalem. Non ſit ignis, thus non proferet gratum odorem. Non ſint Gabaonitæ, non erunt ligna & aqua in Iſràél.

3. Ita DEus perſecutionem improborum juſtis attemperat, ut hæc non damno ſit juſtorum, ſed utilitati: prout docet (Pſ: 124.) *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.* id eſt: Eo fine DEus permittit in homines juſtos perſecutionem impiorum, ut illos expurget à cõmiſſis peccatis, & præſervet à committendis. Unde illa perſecutio non ipſis juſtis nocebit, ſed potiùs reprobis perſequentibus. Sicut enim quando lapis in optima ædificij parte collocandus elaboratur, ipſe quidem lapis perficitur, ſed inſtrumenta eum elaborantia hebetantur & conſumuntur. Nec dices: Væ lapidi, ſed væ inſtrumentis! ita cùm impius perſequitur juſtum, non dicas: Væ Iuſto! Sed væ impio in malum! *Retributio enim manuum ejus fiet ei.* (Iſa: 3.) Væ! ait Propheta, *Aſſur virga furoris mei.* (iſaiæ 10.) Non dicit: Væ flagellato! ſed væ virgæ! Videtur nunc iſta veritas latere, imò oppoſitum conſtare videtur; ſed patebit in altera vita, per totam æternitatem. *Domine hic ure, hic ſeca, hic nihil mihi parcas, dummodò in æternum parcas. S. Auguſt:*

SABBATO.

Ne eradicetis ſimul & triticum

1. RElinquit DEus improbos inter juſtos, ut iuſtis in temporalibus ſint adjumento. Hos enim DEus vult altioribus intendere, peccatores autem ad hoc etiam ordinat, ut temporalium curam gerant, juſtosq; alant. Sicut enim *Ioſue*, reſervavit *Gabaonitas*, ut viverent quidem, ſed ſimul ut in uſus universæ multitudinis ligna cæderent, & aquas comportarent. Et ſicut *Salomon Etheos* fecit tributarios, agricolas, vinitores, ſervos, de filijs autem Iſràél neminem fecit ſervire, ſed erant bellatores, & miniſtri ejus, & Principes, & duces, & præfecti; ita DEus reprobos relinquit, ut rebus temporalibus adminiſtrandis vacent,

juſtos

justos autem noluit istis nimium intendere. In domo magna, ait S. Paulus: non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed etiã lignea & fictilia; ita in Ecclesia, de qua (Baruch: 3.) *O Israèl, quàm magna est Domus Domini.* Et sicut in domo Regia, non solùm sunt nobiles illustresq; personæ, sed infimi quiq; ad infima munera; ita in Domo DEi, infimi infima curántes, relicti sunt, in ministerium, & adiutorum justorum. Non invideas igitur secularibus, abundantiam rerum temporalium, sublimes functiones, speciosos labores, quin potiùs tibi gratuleris, quia habes tempus vacandi DEo, excolendi spiritum tuum, actus virtutum exercendi.

2. Nullus est ita justus, quin aliquandò peccet: quinimò *septies in diem cadit justus.* (Prov: 24.) Nullus è contra est adeo parvus, ut aliqua bona non habeat. Ideo justi hîc tribulántur, ut mala, quæ faciunt, exsolvant; peccatores verò hic subsistere permittuntur, & plura bona accipiunt, ut hîc eis retribuatur. quod in justorum retributione, non est eis retribuendum. *Abraham* dedit Filio suo *Isàác*, cuncta, quæ possederat; filijs autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos, à filio suo *Isàác*, dum adhuc viveret, ad plagã orientalem: id est, bona immobilia dedit Isàáco, mobilia verò reliquis. Omniã temporalia esse mobilia, tempus ipsum ostendit; æterna verò, immobilia sunt; hæc DEus justis largitur, illa verò peccatoribus. Hoc est, zizania relinquere aliquo tempore crescere, sed adeò parvo tempore id conceditur, ut pro nihilo reputandum sit. *Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani, transivi, & ecce non erat.* (Psal: 36.) Quasi per amænum pratum in suspendium ducitur, qui per prospera tendit in interitum.

3. Ideo quoq; DEus malos relinquit inter bonos, ut inter illos; ampliùs bonitas justorum splendeat. Iob in terra Hus dicitur fuisse, ut conspiciatur meliùs, ipsius bonitas inter malos. Hinc: (2. Petri 2.) commendatur Loth, quòd inter malos, bonus extiterit. Hinc sponsa dicitur (Can: 2.) *Sicut Lilium inter spinas. Opposita enim penes se posita magis elucescunt.* Hinc ad Philip: 2. *In medio nationis pravæ atq; perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Et (Apoc: 2.) *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ, & tenes nomen meum,*

meum, & non negasti fidem meam. Umbræ, quæ in imagine coloribus permiscentur, faciunt illos amplius elucere. Sic malitia peccatorum, virtutem justorum reddit magis illustrem. Domine si me vis esse in tenebris, sis benedictus. Fac me lucem ita lucentem in tenebris, ut me tenebræ non comprehendant. *Sic luceat lux mea coram hominibus, ut videant opera mea bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est.* (Matth: 5.)

DOMINICA VI.

Post EPIPHANIAM.

Simile est Regnum Cælorum Grano Sinapis, quod minimum est omnibus oleribus Matth: 13.

1. PEr Granum Sinapis intelligit S. Gregorius (Lib: 19. moral: c. 11.) Christum Dominum, dicitq; *Ipse quippe est Granum Sinapis, qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit, granum namq; fuit, cùm moreretur, arbor cum resurgeret. granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis.* Videre erat Christum tanquam unum è vulgo, similem nobis per omnia, excepto peccato. Videre erat illum in passione tanquam *vermem,* (Psal: 31.) *despectum, & novissimum virorum,* (Isaiæ 53.) *Exinanitum; Exinanivit semetipsum,* inquid Apostolus (Phil: 2.) *Verè Granum sinapis minimum ex omnibus oleribus.* Ecce verò crescens, factus est major omnibus oleribus, factus est fructus terræ sublimis, ita ut volucres cæli, id est, animæ sanctæ, habitent in ramis ejus, id est, securè in eo conquiescant. Est enim lapis ille *parvus abscissus sine manibus, qui confregit statuam, & crevit in montem magnum, & implevit universam terram.* (Daniel: 2.) *Est ille fons parvus, qui crevit in fluvium magnum, & in aquas plurimas redundavit.* (Ester. 14.) *Exaltavit illum DEus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen &c. Phi: 2.* Vis crescere coram DEo, sis granum sinapis per humilitatem. Vis esse securus, conquiesce in solo Christo.

2. Hoc Granum Sinapis, Ecclesiam Christianam, ejusq; fidem & doctrinam, iuxta S. Augustinum & S. Chrysost. designat. Sicut enim

cut enim granum sinapis videtur esse parvum mole, sed magnum est virtute. Nam si inseratur in bonam terram, excrescit in magnam arborem, producitq; fructum amplissimum; & si atteratur, masticetur, ac ruminetur, profert gratum salubremq; saporem, odorem fundit, acrimoniam exhibet. Ita plané doctrina Christi, si bono cordi inseminetur, crescit in arborem ferentem *fructus dulces gutturi JESU; fructus honoris & honestatis*: (Can: 2.) dum è contra falsa mundi & carnis principia, ferunt fructus turpitudinis. Similiter Ecclesia Christi, & fides, præsertim primitiva, fuit vilis, ac despecta: Sed per tot persecutiones attrita, & quàm excrevit in immensum, ramisq; suis totum implevit orbem. Amaritudo doctrinæ Ecclesiasticæ est medicina animarum. Semina & tu in corde obsequente, nutibus Divinis, dogmata Christi, per vivam earum apprehensionem, ac ruminationem, & dabunt fructum in tempore suo. Tantum & tu proficies, quantum tibi vim inculeris, quantum ab inimicis fueris attritus.

3. Per Granum Sinapis intelliguntur etiam Apostoli, per quos promulgatum est Evangelium. Illis enim Christus dixit: *Nolite timere pusillus grex.* de illis (1. Corint: 1.) dicitur: *Quæ stulta sunt hujus mundi, elegit DEUS, ut confundat sapientes; quæ infirma sunt, ut confundat fortia; & ea quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.* Et (1. Corint: 4.) *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usq; adhuc.* Ecce verò ad tantam gloriam excreverunt, ut de illis dicatur: (Psal: 138.) *Nimis honorati sunt amici tui DEUS, nimis confortatus est principatus eorum. Gloriosi Principes terræ.* En Christianam artem crescendi! vis esse arbor magna, cogita, quomodo priùs fias granum sinapis. Fac temetipsum minimum in omnibus; cura te novissimum virorum efficere; quodsi effeceris, sine dubio granum sinapis eris; crescesq; in arborem grandem, fructificans in omni opere bono. Qui enim se minimos exhibent, vel maximè DEo placent, *qui humilibus dat gratiam.* (Iacobi 4.) *Excelsus Dominus, humilia respicit, & alta à longè cognoscit* (Psal: 137.) Humilia respicit, ut extollat; alta à longè cognoscit, ut deprimat. Erigis te, & DEus fugit à te. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur DEus.* Humilias te, & DEus descendit ad te.

FERI-

FERIA II.

Simile est R. C. Grano Sinapis

1. MEritò adhuc Grano Sinapis assimilatur Christus. Nam sicut hoc Granum est, nigri coloris exteriùs, intùs autem flavi seu aurei; ita Christus, si externam speciem & formam spectes, erat vilis & despectus, *Nam formam servi accepit, in similitudinem hominum factus*: (Phil: 2.) Si autem intùs eum contempleris, totus aureus, totus *Splendor Paternæ Gloriæ, & figura substantiæ ejus.* (ad Hebr. 1.) De illo namq; dictum: (Psal: 44.) *Omnis gloria filiæ Regis ab intùs. Nigra sum sed formosa, Filiæ Hierusalem. Sicut pelles Salomonis* (Cant: 1.) quæ ad extra videbantur deformes, sed intùs pulcherrimo opere contextæ. Erat ille veluti Arca extrà pellibus & cortinis contecta, intùs autem auro mundissimo vestita. Ingenium Filij DEi adoptivi hoc est, non attendere ad oculos hominum, ut illis placeat, sed totum studium convertere ad ornandam animam, ut oculis DEi placeat *Et Pater tuus, qui videt in abscondito & intuetur cor, reddet tibi.* (Matt: 6.)

2. Granum Sinapis, est quidem acre & mordax, sed simul dum exhibet acrimoniam, cibo adhibet saporem: ita Christus arrogantibus ac superbis, acrem ac severum sese exhibuit, nempe adulatoribus, Pharisæis, templi violatoribus, &c. illos enim acriter perstrinxit: *Væ vobis Hypocritæ Pharisæi! Generatio prava & adultera!* (Matt: 12.) hos autem etiam flagris castigavit, temploq; cum suis mercibus eiecit: humilibus autem & Pœnitentibus valdè se benignum & clementem exhibuit. Ut patet in Magdalena, Adultera, Zachæo, alijsq; publicanis & peccatoribus; ita, ut cum illis versaretur familiariter & manducaret. Vitæ nostræ ratio ad extrà, ita est attemperanda, ut rigore simùl & suavitate omnia disponantur. Non semper serenitas, nec semper nebulæ.

3. Non illicò granum sinapis in grandem arborem excrescit. Priùs contentum est parvitate suâ, deinde sepelitur in terra, ut nihil ejus prorsus appareat, tum deinde sensim assurgit è terra,

& in arborem proceram evadit. Ita Christus non statim gloriam suam manifestavit per miracula; priùs latuit in stabulo, in cunis, priùs intra domesticos lares, inter Ægypti tenebras, sub cura & dominio parentum, *erat enim subditus illis.* (Lucæ 2.) Parvitas & humilitas fundamenta sunt ad magna. Non illicò ad omnem magnitudinem evolandum, sed paulatim ab imperfectis ad perfectionem accedamus. *Sicut enim natura, ab imperfectioribus incipit, ita & gratia.*

FERIA III.

Simile est R. C. Grano Sinapis, quod minimum est.

1: MInimis rebus potest acquiri Regnum Cælorum. Nam (Psal: 55.) dicitur: *Pro nihilo salvos facies illos.* Dum enim facimus aliquid à DEo remunerabile, hoc ipsum, quia facimus, donum DEi est, & sic dona sua præmiat in nobis DEus. Collaboramus quidem Gratiæ DEi, juxta illud: *Non ego, sed gratia DEi mecum,* verùm hoc ipsum, quia collaboramus, gratia DEi est. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ onus, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* (2. Cor: 4.) *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Rom. 8.) Consonat sensus Ecclesiæ canentis: *Rex tremendæ majestatis, qui salvandos salvas gratis.* Quia nimirum dum Cælorum Regnum pro laboribus ac meritis temporalibus tribuitur justis, ita ejs tribuitur, ac si nihil dedissent. Quid ergo tibi erit grave sustinere pro Cælo? cùm hoc ipsum sit ex viribus DEi, cùm sit leve, momentaneum, non condignum, gratuitum: respectu autem tui ita est, ac si non esset:

2. Expende ex una parte magnitudinem cæli, quod materialiter sumptum juxta S. Bernardum Ser: de dignitate animæ c. 1. *tam magnum est, ut si DEus de novo crearet tot terrarum orbes ejusdem magnitudinis, atq; est modernus, quot sunt arenæ maris, vix implerent capacitatem cæli* Empyrei. Unde Propheta exclamat (Baruch 5.) *O Israël, quàm magna est Domus DEi, & ingens locus possessionis ejus.* Moraliter quoq; sumptum, valet ipsum DEum, in cujus possessione consistit

gloria

gloria æterna. Deinde ex altera parte expende momentaneum tribulationis nostræ, passiones non condignas. ô quantula horum ad illud proportio! certè minor, quàm guttæ unius ad totum mare; quàm grani sinapis ad globum terræ; quàm unius atomi ad atmosphæram. Ah si tam parvis tam magna acquiruntur & comparantur! cur te non impendis totum ad comparandum cælum? Si mercator pro uno obolo, posset lucrari 10. milliones auri, an non demens esset, si obolo parceret. major est proportio & condignitas unius oboli ad 10. milliones auri, quàm nescio quorum laborum, & afflictionum hujus vitæ, *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Rom: 8)

3. Solet DEus interdum initia salutis, & ipsam consequenter salutem hominis, alligare rebus exiguis. e. g. Vni oculorum aspectui, quo intuetur imaginem Christi passi, aut B. Virginis, auditioni Concionis vel Sacri, ingressui in templum. Sicut enim aliarum rerum magnarum initia, solent esse minima. e. g. quàm parvi sunt magnorum fluviorum fontes, quàm parvum est semen glandis, & tamen quanta, & quàm robusta quercus ex illo nascitur! Magni incendij interdum parva scintilla est initium: Ita magnæ sanctitatis, adeoq; salutis æternæ, initium est observatio minimarum perfectionum. Et sic, qui se frequenter in minimis mortificat, tandem ad heroicos patientiæ actus ascendit. Qui minimas occasiones proficiendi non negligit, videt tandem se multum viæ ad cælum confeciſſe. Qui parvam in visu curiositatem sæpiùs vincit, qui manum à tactu molliore cohibet, linguam à garrulitate continet, huic DEus sæpè grandia sua dona largitur. Quia non patitur se à quoquam in liberalitate vinci.

FERIA IV.

Simile est Regnum Cælorum Grano Sinapis, quod minimum est &c.

1. MInimis persæpè rebus deperditur cælum. Id enim solet frequenter plerisq; contingere, quod contigit Ionathæ, qui pro gutta mellis, quam gustavit, lucratus est mortem. Unde

exclamare & conqueri est coactus : *Gustans, gustavi paululum mellis, & ecce morior!* (1. Reg: 14.) Quid sunt omnes hujus mundi oblectationes, nisi paululum mellis miseri, permisti absynthio, & amaritudini conscientiæ ; & tamen hoc paululum trahit secum mortem æternam. *momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.* Pro una superba cogitatione tot milliones Angelorum damnati sunt. Pro una comestione pomi vetiti, impletur infernus hominibus, totumq; genus humanum periisset, nisi illud Christus redemisset. Pro furtiva loculorum gestatione, Iudas infernum est lucratus. Disce alieno malo sapere. Quomodo te in hoc mundo, aliquâ re oblectari sines, præterquam solo DEo? Vel si aliquâ Creaturâ, nonnisi propter DEum? *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram ; DEus cordis mei, & pars mea DEus in æternum!* (Psal: 72.) *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

2. Causa fundamentalis, ob quam homines pro rebus exiguis amittunt cælum, ista est, quam assignat Apostolus. (1. Cor: 2.) *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs.* Cùm ergo homines multùm sint animales, illecebris mundi irretiti, rebus sensibilibus toti immersi, ad externam tantùm apparentiam attendentes, ideo non percipiunt, & consequenter non appretiant ea, quæ sunt spiritûs. Exteriori tantùm rerum specie capiuntur ac decipiuntur. Veluti fatuæ volucres, quæ pictas uvas glutire volunt. Veluti muscæ, quæ in tenebris ad candelam volant, dumq; ejus luce oblectari gestiunt, amburunt alas, ipsæq; miserè pereunt. Veluti pisces, quibus dum hamus escâ involutus obtruditur, arripiunt illum, sed simul ab eo perimuntur: Saltem te pudeat in numero talium esse ; siquidem tamdiu jam es in schola Spiritûs. *Cùm esses parvulus, sapiebas ut parvulus, loquebaris ut parvulus ; sed cùm jam factus es vir, nonne sunt evacuanda ea, quæ sunt parvuli?* (1. Cor: 13.)

3. Quodvis peccatum etiam minimum, si in se spectetur, est revera grande malum. Tum quia cùm sit offensa & iniuria DEi, est malum culpæ, quod excedit omnia mala pœnæ quantumvis gravissimæ, ac diuturnæ. Tum quia si peccare mortaliter, est crucifigere Christum, ergo peccare venialiter, erit illum conspuere, colaphizare. Quis autem hoc dicat minimum? Tum quia peccatum.

catum etiam leve disponit ad mortale: Sicut morbus corporis ad mortem. Sicut ergo demens esset, qui ultrò morbos adsciscceret; ita demens omnino est, qui deliberatè peccat venialiter. Tum quia nemo peccato veniali inquinatus, potest admitti ad claram visionem DEi. Tum quia etiamsi ex omissione peccati venialis, deberent eliberari ex inferno omnes damnati, & omnes infideles converti ad veram fidem, tamen adhuc non esset committendum. Tum quia peccare deliberaté venialiter, signum est animum non esse, filialiter à peccatis aversum, sed timore pœnarum cavere mortalia, & consequenter, in vicinia esse peccati mortalis. Tum quia non abstinere à tam parva re, arguit animum non usquequaq; DEo addictum.

FERIA V.

Simile est Reg: Cælorum Grano Sinapis:

1. MInimæ perfectiones non minimi æstimandæ. Nam in illarum observatione, magna consistit perfectio. Cùm enim res majoris momenti plerumq; sint vel sub præcepto, vel ipsa sua magnitudine persuadeant, ut observentur, non censetur maxima perfectio, earum observatio, sed reputatur debitum: ùt, audire Sacrum, servare vota. Sed qui servatis majoribus, implet etiam minima e. g. minimas regulas, ordinationes, instructiones, hic demum exactus & perfectus æstimari debet. Sicut enim non illa imago, est elegans, quam trabali penicillo, & grandibus lineis, sed quam minutissimis punctis invicem adunatis pictor efformat. Non illud horologium est admirandum, quod gravi ponderum mole, & rotarum ac orbium magnitudine constat, sed quod minutissimis rotulis, & vix oculo perceptibilibus particellis volvitur: ita proportionatè de perfectione hominis discurrendum.

2. Minimæ temporis particulæ non minimi pendendæ. Omne quippè tempus etiam exiguum, ex mente S. Bernardi, *tantum valet, quantum DEus; nam in illo tempore bene consumpto potest comparari DEus;* atq; ex hoc brevi puncto potest duci immensus beatæ æternitatis circulus. Si hæc tempora exigua, quæ tibi frustra

elabun-

elabuntur, concederet DEus alicui damnato, vel existenti in purgatorio, ut in illis emendaret vitam & satisfaceret pro peccatis suis; vel si illa concederet alicui beato, ad augendam gloriæ coronam; quid non facerent? Cur ergo tu non facis, tempus non habiturus amplius? Mortuus aliquis è nostris apparens post mortem *Bartholomæo Fortesio* dixit: *Fortesi; si scires, quid sit incidere in manus DEi viventis, nullam horam, nullum quadrantem, nullum temporis punctum omitteres, quo non aliquid boni operareris.* Practicè igitur cogita, quomodo minimas etiam temporis reliquias (quarum non exigua quolibet die, si colligantur, farrago est) fructuosè impendere debeas.

3. Ordinariè DEus hominibus statim in pueritia singularem affectum erga Deiparam Virginem infundit: Quid verò ille tunc agit? Granum Sinapis in bonam teneri cordis terram inserit, ut successu temporis in magnam magnorum cælestium donorum & fructuum excrescat arborem. Videre id est in *S. Thoma Aquinate*, qui adhuc infans schedulam, in qua erat descripta Angelica salutatio, ingessit ori ac devoravit: S. P. Ignatius prima sanctitatis semina ad aram Beatissimæ V. iecit, ubi totam noctem in oratione consumpsit ac tandem suspensis ibi armis, & vestibus pretiosis cum Paupere permutatis, totum se DEo devovit, novumq; militiæ genus aggressus est. Cura, ut evadas aptum DEi instrumentum, ad inserendum teneris pectoribus hoc salutare semen. Sed prius vide; an in corde tuo excreverit in illam arborem, de qua (Psal: 1.) *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet.* Profertnè in te fructus humilitatis, patientiæ, modestiæ? viretnè in te folium devotionis, misericordiæ? O arbor vitæ, Vivifica me. O palma fac me victorem. O Cedre DEi exaltata super omnes creaturas, fac me participem immortalitatis.

FERIA VI.

Simile est Regnum Cælorum fermento &c.

1. MEritò Christus D. (qui causaliter est Regnum Cælorum; nam

nam illud nobis operibus suis promeruit) comparat se fermento. Sicut enim fermentum, de farina gignitur, & ab illa vim ac robur suum accipit, sed eandem vim ac virtutem ei reddit, à quo illam accepit, scilicet massæ ejusdem generis: ita Christus Dominus, è nobis accepit Corpus, Animam, & unionem, atq; in his tribus satis totam suæ Divinitatis virtutem abscondit. Nam hæc omnia Verbum Divinum per unionem hypostaticam assumpsit; in his enim tribus tota naturæ humanæ substantia consistit, quam integram utiq, sibi Filius DEi univit. Multa bona opera Christus tum animâ, tum corpore sibi unitis, elicuit. Quot ille & quàm eximios virtutum actus memoriâ, intellectu, voluntate exercuit? quàm multa heroica opera videndo, audiendo, loquendo, ambulando, tangendo præstitit? Atq; hæc omnia nobis donavit, ac in nostram convertit utilitatem: Si quidem ille pro se, istorum meritorum virtute non eguit. Nam ratione unionis hypostaticæ, omnia dona supernaturalia Humanitati Christi debebantur. Unde totam vim & energiam meritorum suorum nobis transscripsit, quâ condignè apud Patrem, nobis omnia dona meruit. *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine.* Quantum igitur est redamandus tantus Donator!

2. Per fermentum intellige quoq; V. Eucharistiam. Sicut enim fermentum, estò modicum sit, totam farinæ massam, cui immittitur, transmutat & sibi assimilat: sed ut hoc præstet, debet illam massam penetrare, & in ea diutiùs commorari: Ita S. Eucharistia, est quidem modica aspectu, & difficilis intellectu, quando tamen sedulò, modoq; debito absconditur, per dignam sumptionem, dum per fidem, spem, & charitatem, tanquam per tria sata commiscetur in anima, & profundiore consideratione mentem pervadit, paulatim in se hominem trahit, ac immutat, ita, ut Christus sit in ipso, & ipse in Christo. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus* (Gal. 2.)

3. Rectè etiam fermentum designat Apostolos. Nam sicut illud, licet modicum sit, & contemptibile, totam tamen, cui injicitur, massam fermentat, & suo sapore pervadit. Ita Apostoli, quamvis essent pauci, rudes, & viles piscatores, tamen prædicatione suâ, & virtute quâdam invisibili, totum fermentârunt orbem.

bem. *Infirma mundi elegit DEUS, ut confunderet fortia.* (1: Cor: 1.) Sicut *Samson* mandibulâ asini de mille prostratis Philistéis, insignem obtinuit victoriam: ita DEus per Apostolos, viles & abjectas personas, debellavit orbem, suæq; potestati subjecit. An hîc exclamare quibusdam cum Augustino non licet. *Surgunt indocti & rapiunt cælum, animasq; innumeras DEo lucrantur! nos autem cum scientiis nostris volutamur in carne & sanguine. Nos numerus sumus, & fruges consumere nati!* (Horat: epl: 1.) nec solùm quenquam haud convertimus, sed etiam à DEo, & viis ejus avertimus.

SABBATO

Simile est R. C. Fermento, quod abscondit in farinæ satis tribus.

1. DOctrina Christi, in Evangelio tradita fermentum est; quod tunc in farinæ satis tribus absconditur, quando Christi dogmata in tribus potissimùm hominis potentijs relucent: Rationali, concupiscibili, irascibili ita, ut in Ratione possideamus Prudentiam, discernendo bonum à malo, & secernendo verum à falso, nec sinendo ut bona creata venditent se pro increatis, & nos ita decipiant, ut in illis tanquam in fine ultimo quiescamus. In Potentia verò concupiscibili, amorem ac desiderium virtutum. Ac tandem in Potentia irascibili, odium, contra vitia, teneamus.

2. Rectè etiam fermentum designat Prælatos Ecclesiæ, & Superiores Religionum. Nam sicut fermentum, ut massam valeat fermentare, necesse est, ut ipsum liquefiat, ac in massam imbibatur, sic Prælati, ut subditis subveniant, debent seipsos prope modum exenterare, & ad omnes paternâ charitate liquefieri, ac omnium affectibus intimé sese insinuare. Sic faciebat Moyses, qui adeò ardenter intercedebat pro populo sibi credito, ut eligeret *de libro vitæ deleri,* (Exod: 32.) dummodo veniam illis impetraret. Ita se gessit David, qui cernens populum peste consumi, oravit: (4. Reg: 19.) *Obsecro, ut in me convertatur furor tuus.* Ita Paulus optabat *anathema esse pro fratribus suis: Omnibus omnia factus, ut in illis Christum*

Christum lucrifaceret. (ad Rom: 9.)

3. Ea fermenti vis est, ut non ad massæ similitudinem insipidum fiat, sed suum potiùs saporem massæ impertiat. Sic verus virtutis amator, omnes secum agentes sibi assimilare studet, virtutisq; sapore imbuere. Nam si versetur inter discolos, non ipse ab eis discit insolentiam, sed illis modestiæ ac maturitatis sensum inspirat, & ex insipidis sapidos, ex insipientibus sapientes reddere conatur. Quare permagni refert, quibus se quisq; associet.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ

Simile est R. Cælorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operar: Matth: 20.

1. IN quavis ætate mundi, habuit DEus vineam suam, hoc est, Ecclesiam seu Cætum ex veris nominis sui cultoribus collectum; unde semper ad hanc vineam idoneos vocabat operarios. Primum ergo mane durabat ab Adamo ad Nòé; hora verò quasi tertia incipiebat à Nòé, & durabat ad Abraham; tum hora quasi 6. durabat ab Abraham, usq; ad Moysen; ab hoc verò incipiebat quasi nona, durabatq; ad Christum. Iam quasi undecima incæpit à Christo, & durabit usq; ad diem Iudicii, quasi ad horam novissimam duodecimam, de qua S. Ioannes: (Io: 2.) *Filioli hora novissima est.* Potuit te DEus creare horâ illâ, vel primâ, vel 3. vel 6. Quidsi creâsset, ubi jam nunc esses? quidsi enim fuisses ex Ethnicis & Paganis unus, nonne jam arderes in inferno? Quodsi fuisses unus ex DEi cultoribus, quàm parum lucis internæ habuisses ad salutariter operandum? quàm longo tempore debuisses exspectare adventum Messiæ, tuiq; eliberationem ex inferiori carcere. Quantas igitur gratias debes huic Patrifamilias, quia te usq; horâ undecimâ produxit & in suam adlegit vineam, cùm jam tantopère fulget lumen Fidei, cùm tam facilis ad cælum patet cunctis aditus.

2. DEUS noster comparatur Patrifamilias illi ob eximium,

quem habet in homines, amorem. Unde quovis ætatis tempore, homines ad se vocat per gratiam: Vocat primo manè, hoc est, cùm primùm rationis usus incipit elucere. & hora 3. hoc est in iuventute; & hora 6. hoc est in ætate virili; & hora 9. hoc est in senectute. Semper nos vocat, quia semper ùt Pater amat. Unde semper desiderat omnes homines salvos fieri. Qui ergo damnatur, sibi debet imputare non DEo, ita pro salute nostra solicito. Fundit sol lucis radios, sed si tu valvis fenestras occludis nec illuminaris, non solis culpa est, sed tua. *Perditio tua ex te Israèl, tantummodò ex me auxilium.* (Oseæ 13.)

3. Etiamsi nos DEus non conduceret, adhuc tamen illi multis titulis teneremur servire. Nam si non conducit Pater filium, & tamen illum colit; nec Dominus mancipium suum, & tamen illi obsequitur ac servit; neq; Rex suum subditum, & tamen illum honorat; neq; Pastor ovem, & tamen illum sequitur; nec figulus amphoram, aut securim faber, & tamen illorum arbitrio ac usibus parent. DEus noster Pater, Dominus, Rex, Pastor, Conditor, Creator est, *nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus, figmentum & factura ejus.* (Psal: 94.) Ob istos ergo præcisè titulos teneremur, eum colere, honorare, amare, jussis ejus in omnibus obtemperare. Quantò ergo magis obligamur ad hoc, dum nos, quasi alieni essemus, conducere vult, & conducere pro mercede infinita. Novit quippe naturam nostram, hoc inter DEum & hominem intercesse. Quia DEus, ut pote naturâ Nobilissimus, nihil agit necessitate aut utilitate ductus. Unde quamvis potuerit mundum condere ab æterno, noluit, sed in tempore, ut ostenderet, se nulla necessitate aut utilitate ad hoc, motum, sed sola bonitate. At homo adeó est egens & lucri cupidus, ut sine utilitate non moveatur, ad virtuosè operandum.

Domine servus tuus custodit mandata tua, & in custodiendis illis retributio multa. (Ps: 18.) *Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabis in sinus nostros.* (Luc: 6.) *Merces nostra copiosa est in cœlis.* (Matt. 5.)

FERI-

FERIA II.

Et egressus circa horam 3tiam &c. Iterum exiit circa horam 6. & 9. &c.

1. PRæscinditur hîc omnis excusatio peccatori. Nullus quippe dicere potest, se non esse à DEo vocatum. Nam omnes ille vocat, pueros, adolescentes, iuvenes, viros, senes, per primam, tertiam, sextam, nonam horam designatos. Deinde unumquemq; sigillatim vocat omnibus horis, in quovis statu, in quavis lege. Dicit enim (Apoc: 3.) *Ego sto ad ostium & pulso.* Item (Isaiæ 63.) *Tota die expandi manus meas, ad populum non credentem, qui graditur per viam non bonam post cogitationes suas.* Revoca tibi in memoriam, quot inspirationibus DEus pulsaverit cor tuum? Quot Conciones, Exhortationes, consilia recta audiisti; omnia hæc sunt vocationes DEi. Respondistine illis? an non meritò tibi DEus exprobrabit, quòd facilius dæmoni obtemperes, quàm DEo? vix dæmon oculo ad te connivet, & statim sequeris. Vix aliquod objectum illicitum vides & statim concupiscentiâ exardescis. DEus te toties vocat, & non sequeris. Pandis ianuam tui cordis, cuivis dæmoni, cuivis peccato, soli DEo clausa manet. An non meritò tibi dicet: *Vocavi & renuisti, in interitu tuo ridebo & subsannabo.* (Prov: 11.) An non meritò te pertransibit ac declinabit, sicut Sponsam aperire nolentem?

2. Posset nonnemo de DEo conqueri: O si me DEus vocâsset ad vineam suam in pueritia! Sicut Samuelem, Quirinum, Agapitum &c. quàm ferventer seruiissem DEo meo? Frustranea excusatio. Quia ab utero matris Dominus vocavit te, dum te in baptismo donavit gratiâ iustificante, habituali fide, spe, charitate. Et dum ad usum rationis venisti, antequam alius te conduceret, ille accessit cum lumine interno, vocavit, rogavit, ut eum sequereris. Alius dicet: o si DEus vocâsset me jam iuvenem! uti B. Stanislaum, B. Aloysium, S. Casimirum &c. Futilis prætensio. Quoties enim audivisti: *Adolescens tibi dico, surge.* (Lucæ 7.) Si adhuc quispiam dicat: O si me jam virum maturi

judicii vocâsset! Vocavit planè. Quoties enim tibi ostendit vanitatem seculi! quoties vicinum aut amicum tibi æqualem mori vidisti, toties te vocavit. Verè nulla excusatio! *Omnis iniquitas os suum oppilabit.* (Psal: 107.) Sicut obmutuit ille invitatus ad nuptias carens veste nuptiali. *Non poterimus DEo respondere unum pro mille.* (Iob: 9.)

3. Finxerunt Poetæ, Gigantes bellum Dijs indixisse, eoq; fine posuisse montes supra montes, ut itain cælum conscenderent, & cum Dijs possent bellare, qui conatus fuit vanissimus. Simile quid tentat peccator; Cælum ille penetrare contendit, montem supra montem collocans. Corrogat primò divitias, tum supra divitias accumulat honores, tum supra honores struit delicias: quod studium vanissimum est. Ponit ille divitias, DEus autem illas tollit. Erigit honores, DEus illos prostituit. Molitur delicias, DEus illas amaritudine replet. Atq; ita hora 3tia, 6ta, 9na, hominem admonet; non vanitati dandam esse operam, sed illi soli serviendum, in ejus vinea, pro solius ejus gloria laborandum: *Durum est mihi, contra tuum stimulum DEus meus calcitrare.* (Acto: 9.) Ergo prosterne me ùt Saulum ne me amplius contra te erigam. Excæcà me, ne videam vanitates. Reple me absynthio, ne ulla dulcedine terrena capiar.

FERIA III.

Circa 11. verò exiit, & invenit alios stantes; & dicit illis: Quid hìc statis tota die otiosi?

1. ACriter Paterfamilias istos objurgat: Quia non solùm virtus non est differenda usq; ad horam undecimam, id est, senectutem (nam senectus est vitiorum ferax) cùm ad bene operandum multa habeat impedimenta. ùt corpus debile, adeoq; amans commoditatum; nativum frigus, species rerum duras, præsumptionem, tenacitatem sui sensus: sed etiam si temperstivè est inchoata, non est ab illa facilè cessandum, sed ab ipso diei seu vitæ exordio, usq; ad finem constanter in labore ac virtutum studio persistendum. Sicut enim Dominus DEus, continuis

nuis sex diebus operabatur mirabilia ita, ut nonnisi *die septimo requieverit ab opere suo*; (Gen: 1.) ita nobis continuò in hac vita, (quæ est tempus laboris ac meriti) est laborandum salutariter, usq; dum veniat dies illa æternæ requiéi. Si verò modò otiari & requiescere vis, laborabis in æternum.

2. Si homines alio tempore, nimirum in lege naturæ, aut scripta, otiosi fuerunt, neq; adeò suæ intenderunt saluti, non ita mirandum, sed si etiam in lege gratiæ, in noviſsima hora, quando clarè perspexisti infinitum DEi erga te amorem, quando Christum pro te laborantem & patientem inspexisti, quando innumera ab illo recepisti beneficia, quando talibus frueris Sacramentis, quando tibi cælum jam est apertum, & tamen sis otiosus, tepidus, segnis, graviter reprehendendus es. Idem dic proportionaté de tuo particulari statu. Dum fuisses secularis, quod otio torpueris, utcunq; tolerandum, sed postquam dedisti nomen Religioni, quæ est in auge lucis cælestis, ac fervoris Divini, & tamen torpeas, hoc demum est intolerabile. Idem proportionatè dicendum de ætate. Vtcunq; dissimulandum, si in pueritia, adolescentia, iners fuisti in servitio DEi, sed circa ultimum vitæ exitum segniter agere pro cælo, acri omnino reprehensioni culpa ista subjacet.

3. Mirum, quòd Paterfamilias arguat istos in Foro stantes de otio. Vtiq; illi in foro multa operari videbantur, colloquebantur, confabulabantur, mores alienos taxabant, fortè commercia exercebant, ludebant, saltabant. Hæc tamen omnia sunt otium. Quia non ex mente Patrisfamilias, non circa vineam ipsius. Sunt etiam nunc tales, qui nec vitijs sese tradiderunt, nec virtutibus; nec dæmoni serviunt, nec DEo; sed quasi in bivio consistunt, bene comedunt, pulchré vestiuntur, ludunt, deambulant, confabulantur, totos dies in vanitate consumunt: sed ex alia parte, neminem lædunt, nemini vim inferunt &c. tales profectò arguet Paterfamilias cælestis, ùt otiosos. Quia nihil juxta mentem ipsius, pro gloria ejus, pro sua salute operantur. Taliter vivere, est otiari, adeoq; habere in se seminarium vitiorum, pulvinar diaboli, peccatorum fomitem perpetuò scintillantem.

FERI-

FERIA IV.

Voca operarios, & redde illis mercedem.

1. OMnis quidem homo ex officio & conditione sua est operarius. *Nam sicut avis ad volandum, ita homo nascitur ad laborem*: (Iob: 5.) Præcipuè tamen quivis è Societate, operarius est eo fine vocatus ad vineam Christi, ut tum animam suam, tum proximorum excolat, & fructificare faciat. Unde sicut olim Bernardus seipsum interrogabat: *Bernarde ad quid venisti?* ita ego meipsum sæpè interrogare debeo: Ad quid veniſti? Ad quid in vineam istam electam vocatus es? Ambula dignè vocatione tuâ, dignè nomine tuo. Vocatus es ad opus, ne igitur vaces otio. Vocatus es ad colendam animæ tuæ vineam, ne ergo illam flammis vitiorum exuras. Vocatus es ad facienda bona opera, fac ergo illa, & declina à malo.

2. Qualis quisq; operarius fuerit, in fine apparebit, cùm serò illud vitæ nostræ venerit. Quàm felix ille operarius, qui primo post mortem momento, quasi vespere facto, multos animarum manipulos offerre poterit cælesti Patrifamilias. Illo enim vespere, quid unusquisq; operatus fuerit, ostendetur. Ibi *Petrus* cum Iudæa & urbe Roma, quam post se, Apostolicâ prædicatione traxit, apparebit. Ibi *Paulus* cum tot Gentibus, quas peragravit & Christi jugo subjecit, veniet. Ibi *Andreas*, cum Achaia, Græcia, Scythia, quas Ecclesiæ gremio cooptavit, sistet sese. Ut tui ordinis Apostolos non prætereas, ibi *Xauerius*, cum Indiæ & Iaponiæ Regnis, Evangelicâ luce illustratis, ejusq; prædicatione & miraculis Ecclesiæ aggregatis, triumphabit. Ibi *Anchieta* Brasiliam, *Sylveria* Mogorios, *Oviedo* Mauritaniam & Æthiopiam præsentabunt. Ego verò cum qualibus fructibus coram DEo meo comparebo? quos ei laborum manipulos offeram? Væ mihi, quantoperè timere debeo, ne cogar illam terribilem audire sententiam: *Discedite à me operarii iniquitatis.* (Matt: 7.)

3. Vocat Paterfamilias operarios, imprimis in vineam suam ad operandum, deinde in domum suam, ad recipiendam mercedem. Mihi verò quinam operarii vocandi sunt? Respondeo:

Primo

Primo mane vocanda est rerum æternarum consideratio, veluti eximius vineæ operarius, qui non patitur illam sylvescere, aut urticis ac spinis vitiorum operiri, instar illius agri, per quem transivit sapiens: *Transivi per agrum hominis pigri, & ecce totum operuerunt urticæ.* (Prov: 24.) *Cogita dies antiquos & annos æternos in mente habeto.* (Psal: 76.) Secundus operarius vocandus est Lectio Sacrorum librorum; hæc nobis proponit ante oculos, imitanda virorum illustrium exempla. Tertius, Confessio; hæc enim putat vineam & crimina, eorumq; occasiones præscindit. Quartus tandem sit sumptio Sacrosanctæ Eucharistiæ; hic enim operarius, vineam animæ statuminibus & pedamentis fulcit, imò vitis veræ sese inoculat.

FERIA V.

Acceperunt singulos denarios.

1. OMnes quidem operarij acceperunt singulos denarios; Et quidem eundem morali specie nummum acceperunt singuli, sed non omnes cum æquali honore & laude. Nam ibi novissimi primam tulerunt palmam; quia ab illis incæpta est merces persolvi, juxta edictum Patrisfamilias. *Voca operarios, redde illis mercedem, incipiens à novissimis, usq; ad primos.* En hic novissimi antepositi sunt primis! nam etiam illis antecellebant fervore, diligentiâ, seriâ ad laborem applicatione. Ita quoq; fiet, ut omnes quidem justi ac prædestinati, vitam æternam & Regnum sempiternum recipiant à DEo, sed tamen disparem gloriam & diversos beatitudinis gradus, ac sortes dissimiles. Nam qui graviores ac plures pro DEo labores subiêrunt, majore quoq; honore afficientur. Sicut enim *una stella differt in claritate, ab alia stella,* (1. Cor: 15.) & sicut unus flos alium superat in pulchritudine coloris odorisq; suavitate; ita unus beatus differet ab altero. *In domo Patrisfamilias cœlestis mansiones multæ.* (Ioan: 14.) *Regina illa erit circumdata varietate.* (Psal: 44.)

2. Quamvis aliqui ex illis operariis, longiori, & aliqui breviori tempore, in vinea Domini laboraverint, non omnes tamen

cum æquali honore mercedem videntur accipere. Quia nimirum illi, qui breviori tempore laborabant, cum majori fervore, diligentia, applicatione id faciebant, quàm illi, qui à primo mane operabantur. Non attendit DEus tantopere, quamdiu aliquis bene operatus est, sed quàm pura intentione, quanto studio, quanto conatu. Scitè dixit, quisquis dixit: *DEUM potiùs adverbia, quàm verba præmiare.* Quia nimirum, attendit potiùs, quomodo, quâ charitate, quâ devotione aliquis operatur, quàm quid operatur. *Principes Iudæorum proijciebant nummos aureos & argenteos, in gazophilacium, projecit etiam duo æra minuta, vidua Paupercula,* (Luc: 21.) pluris hæc valuerunt coram DEo, quàm illa. Quia vidua ex majori devotione ac resolutione operabatur. Nam quod sibi ab ore & victu necessario ademit, hoc DEo dedit.

3. Dolosus operarius oculos Patrisfamilias attendit, ait S. Augustinus, ut, cùm ipse averterit oculos, operarius à labore cesset, & non bene operetur, cùm autem ille adverterit, benè graviterq; operetur. Illi ergo operarii, qui tempestivè erant à Patrefamilias conducti, & in vineam missi, dolosi erant. Quia putabant se à Patrefamilias non videri, unde segniter negligenterq; agebant. Cùm autem ille ad illorum negligentiam, & ad horum novissimorum servorem attenderit, pares illos prioribus quoad mercedem fecit. O anima mea, DEus, qui te conduxit & vocavit in vineam suam, nunquam à te suos oculos avertit. Non licet igitur tibi dolosè operari. Non licet ejus obsequium defraudare.

FERIA VI.

Murmurabant: Nos portavimus pondus diei; hi novissimi &c.

1. ITa planè fit, ut homo imperfectus cum labore operetur, perfectus autem sine labore. Ille enim fastidium & nauseam habet in labore: unde illum valde sibi aggravat, hic autem, quia operatur cum hilaritate & alacritate, non sentit laborem: unde majus est meritum & præmium perfecti, quàm imperfecti ac tepi-

ac tepidi. Sicut minorem in operando laborem subit Pictor aut Aurifaber, quàm faber ferrarius vel agricola, & tamen majus lucrum refert ille, quàm hic ex labore suo. Quia nimirum ille operatur subtiliùs, cum majori acumine ingenii, circa materiam pretiosiorem, & oculis intuentium gratiorem: ita qui cum hilaritate & alacritate, agit aliquid in honorem gratiamq; DEi, plus apud illum meriti & præmii habet, etiamsi parum videatur agere, quàm ille, qui diu quidem & graviter operatur, sed cum nausea & tepiditate ac oscitantia.

2. Multùm omnino refert, quo fine & animo, nostras obeamus actiones. Vt scilicet in labore simus non mercenarii, sed filij; ut in omnibus Divinam gloriam spectemus, ejusq; potiùs amore ducamur, quàm metu pœnæ, vel spe præmii: quanquam & hinc juvandi simus. Atq; ita primi illi operarii laborabant in vinea, ùt mercenarii. Quia nonnisi conventione cum Patrefamilias facta, propter mercedem, propter lucrum, propter nummum. Novissimi verò jam laborabant propter æstimationem, dignitatem, Verbum Patrisfamilias benignius, fidentes gratiæ ipsius ac benevolentiæ; ideoq; hi antepositi sunt prioribus. Iudaicus ille populus, serviebat DEo propter mercedem temporalem. (Malach: 1.) *Quis est ex vobis qui claudat ostia, & intendat altare meum gratuitò. Non est mihi voluntas in vobis.* Sed Christianus populus longè est à pollicitatione bonorum terrenorum, ita, ut ea contemnat, & relinquat DEi causâ. Quodsi æternam expectet retributionem non tamen illâ usq; adeò movetur, ut non potiùs amore DEi moveatur. Unde apud DEum plus valet una hora talis obsequii, quàm anni mille aliorum. Plus valet martyris generosa mors, & passio, etiam breviter peracta, quàm tepidi opera diuturna.

3. Sæpe apud DEum majori labori, minor ideo correspondet fructus, & è contra. Quia ille, qui plus laborat, plus in labore suo confidit, quàm in gratia DEi; unde labori suo nimium est intentus, illumq; magnifacit & conqueritur, quod pro illo non tantum recipiat, quantum sperabat. Alii verò post plurimos labores, pro gloria DEi exantlatos, dicunt: (Lucæ 17.) *Servi inutiles sumus.* Implorant gratiam DEi, sibiq; ac labori suo diffidentes, dicunt cum Iacob Patriarcha: (Gen: 32.) *Minor sum cunctis*

miserationibus tuis. Obstupescunt cum Davide, quòd illorum labores velit acceptare DEus, dicuntq;: (1. Paral:17.) *Quis sum ego, & quæ est domus Patris mei!* Hi ergo plus recipiunt gratiæ & mercedis pro labore suo. Nam de gratia DEi, ita sentiunt, prout decet; & suâ humilitate, superiores evadunt his, qui plus laboraverunt.

SABBATO.

Erunt novissimi primi, & Primi novissimi.

1. NOn superbiat Primus, quia potest esse novissimus; nec desperet novissimus, quia potest esse primus. Nam sæpè labor & diligentia recuperat amissa; torpor verò & negligentia, etiam acquisita perdit. Strenui milites quamvis semel victi sunt, non desperant, sed fortiùs pugnant, ut amissam recuperent gloriam. Ignavi autem ubi semel vicerint, arma deponunt, non promovent victoriam, & sic per incuriam, amittunt gloriam victoriæ. Primo mane, vocati ad vineam operarii, multùm fidebant diurno ac diuturno suo labori, unde languebant in operando: Novissimi autem fervore ac diligentia studebant compensare reliquum diei, quod supererat; nihil de gratia & clementia Patrisfamilias desperantes. Ergo illi amiserunt primatum in recipienda mercede, hi verò apud Patremfamilias evaserunt Primi.

2 Ne multùm fidas, nec eo ipso sis securus, quia es in statu optimo, si præclara & statui tuo congrua non præstas opera: nec etiam diffidas de statu infimo, dummodo eximia facta opereris. Plures enim, qui modò sunt in statu superiori, postea erunt in gloria, inferiores his, qui modò sunt in statu infimo. Esto status Religiosus sit altior matrimonio, multi tamen matrimonio conjuncti, erunt in cælo superiores Religiosis. Quia hi ex matrimonio fecerunt Religionem, illi autem ex Religione defecerunt in matrimonium. Potiores olim erant Iudæi gentibus, & tamen dicitur: *Multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham, Isaac, Iacob in Regno Cælorum, Filij autem Regni ejicientur foras.* (Ioan: 12.) Altior erat *Levita Samaritano.* (Lucæ 10.) & tamen hîc

præ

præ illo excelluit in misericordia. Sublimior est status Professorum, Sacerdotumq; Societatis, quàm Coadiutorum & Scholasticorum, vel novitiorum, & tamen quàm multi ex illis in æstimatione & judicio superabuntur ab his, Paupertate, Humilitate, Obedientiâ, Patientiâ.

3. Noli tibi blandiri de multis annis in Sancta Religione transactis. Pauci menses ab aliquo novitio benè peracti, pluris apud DEum habentur, quàm multi anni, à te, sed tepidè, sed irreligiosè, sed inaniter consumpti, juxta illud (Sap: 4.) *Consummatus in brevi, explevit tempora multa. Et Euseb. Illum tantùm diē vixisse te in Religione puta, in quo propriam voluntatem abnegâsti, in quo, malis desideriis restitisti, quem sine trangressione regulæ duxisti.* Industrius & gnavus mercator, plus aliquando lucri, per unum annum, quàm alter iners, & nimiùm pecuniæ fidens, centum annis, reportat. Multi, multos annos computant conuersionis, sed parvus est fructus emendationis. Potest esse vir centum annorum, & tamen moribus & gravitate puer; & è contra, potest esse annis puer, & tamen in computo DEi quòad probitatem ac integritatem tanquam vir centum annorum. Non attendit DEus in præmiando, quando ad ejus vineam venisti, sed attendit, quomodo, & quàm diligenter in ea laborâsti, atq; juxta quantitatem ac intensionem fervoris, dabit mensuram mercedis.

DOMINICA
SEXAGESIMÆ.

Exiit qui seminat, seminare semen suum. Lucæ 8.

1. PEr hunc seminantem rectè intelligitur DEus. Nam creaturæ possibiles ab æterno latebant in abysso sui nihili, erantq; omnino nihil; DEus autem exiit ad illas per bonitatem suam in tempore. Et quia omne bonum est communicativum sûi, DEus ex natura sua summè bonus, creaturis per Omnipotentiam suam è nihilo productis, communicavit particulam sui esse, tanquam semen suum. Et sic omnis creatura, quæ ex se nihil habet, ex dono DEi habet esse, quod esse, est participatio

cipatio Divini esse. Omnis enim Creatura, cùm sit ens ab alio, quodcunq; & qualecunq; habet esse, non à se, sed ab alio illud habet, atq; illud alii debet magis, quàm rivulus suo fonti, quàm ramus suo stipiti, quàm radius suo soli, quàm germen suæ radici, quàm quivis actus suæ potentiæ. Cuivis Creaturæ dici potest: *Quid habes, quod non accepisti: si autem accepisti, unde gloriaris.* (1. Cor: 4.) Agnosce donatorem; age gratias; noli abuti: Redama.

2. Rectè etiam per hunc seminantem intelligitur DEus Pater, per semen verò suum, intelligitur verbum ipsius. Nam ut pulchrè docet S. August: l. de Trin: *Sicut tu, priùs concipis interius verbum, quo ipse intelligis, tum deinde conceptum illud verbum, voce quasi induis, & sic percipitur ac intelligitur ab aliis; Ita DEus Pater ab æterno verbum suum intùs produxit, quod deinde in tempore carne induit, & sic factum est, nobis vox, quam vidimus, audivimus, & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ.* Qui ergo per servos suos, Angelos scilicet & Prophetas, verbum antea seminaverat, nunc exiit ipse, ut seminet carne indutum verbum seu semen suum. Et sic seminavit illud in terra uteri materni; *Germinavitq; radix Iesse* (Isa: 11.) Seminavit in sepulchro; & est *germen Domini in magnificentia:* (Isaiæ 34.) Seminat nunc Eucharisticis speciebus in Sacramento involutum, in suscipientibus illud. Quod expendens Apostolus ad Hebr: 2. ait: *Multifariàm multisq; modis, olim DEus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Quantum ergo devincti sumus, ad acceptandum hoc verbum! & ad exequendum id, quod nobis per illud intimatur. Magis obligat mandatum voce ipsius Regis prolatum, quàm voce præconis.

3. Tandem per seminantem optimè intelligitur ipse Christus D. qui inprimis per se, deinde per viros Apostolicos, qui sunt tanquam pedes ejus, ministri, & dispensatores mysteriorum DEi, exit ad seminandum semen suum. Hoc autem quid est aliud? nisi merita, Passio, Sanguis, mors ipsius pretiosa? Nihil aliud, quam doctrina ejus Evangelica, Sacramenta, internæ inspirationes, Gratia Sanctificans, virtutes omnes habituales, &c. At in quem agrum hoc semen jacitur? In animam humanam, ejusq; potentias, memoriam, intellectum, voluntatem. Quanto igitur

igitur conatu subijciendus est hic ager tanto seminatori? Quã-tâ curâ excolendus intellectus Principiis æternis? Quanto stu-dio arcenda lolia, eradicandi vepres pravorum habituum, in-ordinatiq; amoris tum proprii tum aliarum Creaturarum, ut hæc terra sit *apta dare copiosum fructum, in tempore suo? Quàm speciosi pedes Evangelizantium Pacem, Evangelizantium bona?* (ad Rom: 10.)

FERIA II.

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.

2: SIcut idem fere est, seminare secus viam, quod seminare in via; ita æquè pernicioſum videtur, exponere se periculo proximo peccandi, quod peccare. Hæc enim sunt vicina valde, & qui uni obnoxius est, etiam alteri erit facilé. De tali namq; dictum: (Eccl: 3.) *Qui amat periculum, peribit in illo.* Proxima ad peccandum occasio, non minùs evitanda, quàm ipsum peccatum. Quia hoc est moraliter connexum cum illa. *Tanquam à facie colubri fuge peccatum.* (Eccl: 21.) Non exspectas, ut vipera in sinum tuum intret, non attrectas illam, manu, non inseris in gremium, vix eam propè conspicis, fugis, vel si potes, perimis: ita cum proxima occasione peccandi agendum. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem:* (Iob: 31.) Quam enim partem haberet in me Dominus? Si unâ viâ intraret ad me periculum peccandi, alterâ exiret à me Dominus. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* (Matt: 5.) *Beatus, qui in tali via peccatorum non stetit.* (Ps: 1.) *Talem viam iniquitatis amove à me Domine, & de lege tua miserere meî.* (Psal: 118.)

2. Terra secus viam, inepta ad seminandum & fructificandum, est cor vagum, curioſum, nugis secularibus distractum, oblitum DEi & sûi. Est anima, quæ negotia ad salutem æternam spectã-tia obiter tractat, obiter meditatur, obiter conscientiam discu-tit; cui una orationis hora videtur integer annus; quæ nihil magis exspectat, quàm ut tempus orandi prætereat. In tali ter-ra, facilè conculcatur verbum DEi & obteritur opprimiturq;: ta-

les enim,

les enim, magni faciunt mundanas leges, & quasi supra caput collocant; jam verò mandata DEi, legesq; religiosas, flocci pendunt, & ponunt quasi sub pedibus. Quodsi aliquando audiunt verbum DEi, non faciunt hoc animo, vitam in melius mutandi & proficiendi in via Spirituali, sed ut appareant Religiosi ac virtuosi. O anima mea fuge terrena solatia; recede à via, per quam mundus transit & concupiscentia ejus.

3. Nihil magis dæmon curat, quàm ut tollat verbum DEi de corde hominis: cùm enim illud abstulerit, jam omne bonum abstulit. Quia illud, est semen, principium, & radix omnis boni, impleturq; in talibus illud Prophetæ (Mich: 1.) *Tu seminabis, & non metes; tu calcabis olivam, & non ungeris oleo; tu infundes mustum, & non bibes vinum.* Sed quomodo illud tollit? Ingerendo phantasiæ, species rerum mundanas, suggerendo varia carnis illicia & oblectamenta; avocando mentem ad ludicra, sensualia, jucunda, ut per illa obterat, & excludat memoriam Principiorū æternorum. Vis, ne ista Harpia, vestigia fœda relinquens, tollat à te verbum DEi auditum, vel perlectum, aut inspiratum? Stude illud opere implere, & continuò executioni mandare. Cùm infirmaris, consulis medicum, ille præscribit, & parat propinatq; tibi potionem, continuò illam sumis, & sic præscriptio medici habet suum effectum: quodsi illam non sumeres, nihil in te proficeret. Laboras multis in anima defectibus, præscribit Evangelium, Concio, exhortatio, admonitio medicinam, si illam re ipsa non practicas, hærebit in superficie hoc semen; facilè illud diabolus auferet.

FERIA III.

Aliud cecidit in Petram, & natum aruit.

1. QVidnam hæc Petra designat, nisi animam pravis peccatorum habitibus induratam, quæ per frequentatos vitiorum actus ita callum obduxit, ut vix aliquem pietatis ac devotionis sensum percipiat; in quam etiamsi DEus multa suarum illustrationum ac inspirationum iaciat semina, tamen vel ab ea

resili-

resiliunt, alioq; deflectunt, vel quamvis suscipiantur, facilé tamen exarescunt, & exsiccantur. Quia cùm humorem vitalem, attemperatæ naturæ non reperiant, profundas firmasq; radices agere non possunt. Tales emendari quidem incipiunt, sed incipiendo desinunt, eò, quòd pravis affectibus assueti, levi datâ occasione redeunt ad ingenium. *Annibal* dux bellicosus, duras petras igne & aceto emolliebat, ut sibi per illas, aditum ad urbem Romanam patefaceret. O anima mea! quanto tibi studio utendum est contra induratas malorum habituum rupes, ne tibi sint obstaculo ad urbem cælestem! quanto conatu subigenda hæc petrosa terra! ut ex illa, tempore messis, Paterfamilias DEus, colligat messem copiosam.

2. Rectè etiam per terram petrosam intelliguntur illi, qui se ipsos valde amant Sicut enim omne molle, extra suos fines facilè diffunditur ùt aqua; ita è contra, durum intra se constringitur ùt lapis, petra. Atq; tales sunt, qui se ipsos nimium diligunt. Hi enim omnia ad suam referunt commoditatẽ, ac seipsos quærunt in omnibus. Nam quamvis interdum quærant DEum & virtutem sectentur, tamen hoc, gratiâ sûi faciunt: Tamdiu enim, quamdiu eis nullum obvenit incommodum. In his, quæ sunt facilia, eorumq; sensui convenientia, obsequuntur DEo; in difficilioribus autem & sensui contrarijs, resiliunt & se refractarios exhibent Orant, quamdiu omnia è voto fluunt; intersunt Sacro, Concioni, quamdiu non apparet difficultas. Sed dum est remittenda iniuria, dum subeunda mortificatio, dum superflua resecanda, dum consurgit persecutio, duros, ùt petra, se exhibent; in plano bene gradiuntur, in petra cespitant & offendunt; & hi radices non habent, quia non sunt bene in charitate fundati.

3. Sed quomodo hæ radices in virtute mittendæ, ne sis unus ex his petrosis terris? Ille profundas in virtute non misit radices, qui caret consideratione rerum Divinarum; qui verò eam habet, is altas in virtute jecit radices. Sicut enim clavus ut sit constans & firmus, pluribus ictibus infigi debet; ita anima ut sit in virtute firmiter stabilita, debet in ea per profundam & continuam considerationem radicari. Hinc de justo Psalmista

ait. (Pſal: 1.) *In lege Domini voluntas ejus.* Et continuò hujus cauſam ſubjungit: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Profunda enim voluntatis legiſq; Divinæ conſideratio facit humanam voluntatem firmiter DEo inhærere, & fructum reddere. Hinc idem Pſal: (Pſal: 1.) Iuſtum comparat ligno, *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet.* Quia ex profunda rerum Divinarum conſideratione derivatur vitalis humor ac devotio, quâ facilè & conſtanter obſequimur DEo. Vide igitur; quanti ſit facienda meditatio, conſcientiæ diſcuſſio, aliaq; ſpiritualia mentis exercitia.

FERIA IV.

Aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.

1. IN qua verò terra denſiores naſcuntur ſpinæ, quàm in homine paſſionibus & pravis pleno cupiditatibus? ubi regnat ira, ubi dominatur invidia, ubi fervet cupiditas vindictæ, ubi temerè judicandi, cenſurandi, obloquendi, detrahendi ebullit libido. Talis namq; veluti aſper herinaceus, à nemine tangi poteſt, quin acriter pungat; neminem tangit, quin cruentet; ipſemet verò perpetuò fovet amaritudines, inquietudines, moleſtias, anxietates, perturbationes. Atq; in tali terra, ſemen verbi Divini parum aut nihil proficit: quia Sanctæ illuſtrationes piæq; affectiones, quæ ad bonum aliquod impellunt, à talium paſſionum & cupiditatum turba opprimuntur.

2. Dum aliquis inter ſpinas incedit, nullatenus properare poteſt, gradumq; accelerare; eò, quòd ſpinæ ſint illi multo impedimento; nam illarum aculei veſtes ejus detinent & lacerant, pedes pungunt & cruentant. Vides aliquem divitijs, voluptatibus, ac honoribus abundantem, ne ei invideas; impedimenta illi plurima ſunt, ne in cælum tendat. Quot ibi ſunt punctura in conſcientia! quot foramina in veſte gratiæ? quot anxietates in anima! Impedimenta belli vocabat *Iulius Cæſar*, Commeatū, victum, alimenta, aliamq; ſupellectilem militum. Quominus aliquis

aliquis in bello spirituali feliciter pugnare possit, impedimento, illi sunt, voluptates, divitiæ, ambitiones, variæq; rerum temporalium solicitudines. Nam, ut ait *Apostolus*: *desideria multa, & inutilia, & nociva, mergunt homines in interitum.* Si mergunt, ergo suffocant; adeòq, spiritum illis, quo vivant, violenter eripiunt; hoc autem erepto, quid salutariter homo poterit operari?

3. Sit ager plenus spinis, carduis, tribulis, aliisq; herbis inutilibus: quamdiu hæc in agro virent, florentq;, tamdiu ager ille, est quidem pulcher, speciosus, & amæné aspectabilis, sed ad sementem recipiendam inhabilis & ineptus ad proferendum fructum. Ut ergo sit habilis & aptus, omnia hæc tollit agricola, igne, securi, ligone, aratro. Videtur quidem tunc ager imminutus, ac deformis, sic tamen fructus ex eo colligendus est! Homo divitiis ac voluptatibus abundans, est ager spinis & inutilibus plenus herbis, quæ illi tribuunt quidem exteriorem decorem, sed interiori privant ac exspoliant, memoriam DEi auferunt. Ut ergo hic ager fructu abundet, DEus agricola tollit divitias, voluptates, honores, tanquam inutiles herbas: Videtur quidem nunc homo ille, tenuis, marcidus, indecorus, sed sic fructum reddet uberiorem: quia illius impedimenta sublata sunt. *Hic seca, hic ure, modò in æternum parcas.* S. Augustin.

FERIA V.

Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.

1. Illa terra censetur esse bona, quæ tribus supra enumeratis opponitur. Nimirum, quæ non est pervia sed septa; non petrosa, sed mollis & pinguis; non spinosa, sed bene exculta: hinc etiam semen sibi concreditum facilè recipit, condit, fovet, alit; adeoq; optatum Patrifamilias fructum affert. An sis talis terra o anima mea? ex fructibus agnosce. Ille copiosum fructū affert, qui de die in diem, de virtute in virtutem proficit; qui seipso quotidie vult fieri melior; qui non sibi, sed DEo laborat; qui omnia in charitate facit, qui non solùm suam procurat salutem,

lutem, sed etiam quàm plurimos ad Deum proximos attrahit &c. Cùm ergo tu sis longè à talibus fructibus; nonne de te meritò DEus queri potest: *Quid debui facere vineæ meæ & non feci; exspectabam ex ea uvas, & ecce tulit labruscas.* (Isaiæ 5.) Terra sæpè bibens imbrem, & fructum non faciens, nonnè maledicto proxima? & spinæ ac tribuli, quos profert, nonnè ibunt in combustionem?

2. Ipsemet Christus explicat, quòd per terram bonam intelligantur illi, qui *in corde bono & optimo verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Unde constat, quòd sicut ab Auditore non solùm externis auribus verbum Divinum est excipiendum, sed etiã corde, & quidem bono & optimo, id est charitate DEi & proximi, præparato; ita & à Concionatore Apostolico ad cor est dirigendum, juxta illud (Isaiæ 40.) *Loquimini ad cor Hierusalem & advocate eam.* Ad cor autem loqui, est non solùm loqui blanda & jucunda, sed etiam dura & aspera; juxta illud (Psal: 44.) *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis.* Sagittæ Christi non solùm in aures sed etiam in corda jaciuntur: Quia verba & eloquia Divina ex ore Concionatoris veluti ex arcu emissa, non aures mulcere debent, sed corda ferire. O Domine sint verba servorum tuorum animas tibi subdere volentium *Sagittæ Potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis* (Psal: 119.) Spiritûs Sancti.

3. Reperiuntur adeò fertiles terræ, & agri ita fæcundi, ut etiamsi in eis seminetur siligo, tamen beneficio nativæ fertilitatis, granum illud germinet triticum. Societatis nostræ Religio est gleba adeò felix; quia à sedulis curata cultoribus, tot piissimis exemplis fæcundata, tot gratiarum Divinarum pluviis irrigata, tanto tamq; crebro Sacramentorum impingvata usu, tot benignis cæli influentiis tepefacta. O quot hic rationalia grana in meliorem frugem, optandâ degenerant metamorphosi! ut ex discolis, vanitati deditis, sensualibus, arrogantibus, fiant modesti, abnegati, mortificati, submissi, obsequentes, morigeri: reddantq; *fructum alii trigesimum, alii sexagesimum, & alii centesimum.* (Matt: 13.) O quàm sterile & infelix ego esse debeo semen! quod in terra adeò beata tam pridem seminatum, nullum tamen vel

modicum

modicum fructum affero; imò in lolium, in carduum, & tribulos, dolendâ viciſſitudine degenero. Quare igitur ſpem Patrisfamilias, labores, impenſas, deludo?

FERIA VI.

Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

1. DUm aliqua Perſona gravis, maturis moribus prædita, paſſionibus minimè obnoxia, ſapientiâ, prudentiâ, rerum longâ experientiâ inſignis, magnæ apud omnes authoritatis, & tamen clamat ac vociferatur, debet eſſe res magnæ (ut dicitur) importantiæ, & grandi apprehenſione digna, quæ illâ movet ad illum clamorem & vociferationem. En *Filius DEi* JESUS *Chriſtus* eſt talis, imò captum & æſtimationem noſtram excedens Perſona, de qua inſuper Propheta prædixit, quod ita modeſtè locuturus eſſet, ut *vox ipſius non eſſet in plateis audienda;* (Pſal: 143) & tamen modò ita potenter clamat, ut omnes ad audiendum provocet, & quaſi ſubdubitando, an poſſet ab habentibus aures exaudiri, omnium auribus inſonat, ut eas excitet. Quæ verò clamoris materia? qnod motivum vociferationis? Hæc nimirum, quia ex copioſa ſemente, tam boni ſeminis, unum duntaxat ſemen, facit fructum, non culpâ ſeminantis, neq; ſeminis, ſed terræ & agri, pervij, petroſi, ſpinoſi.

2. Iamnè o anima mea aſſequeris, quid ſibi velit iſte clamor? jamné intelligis materiam, & cauſam illius motivam? Aſſequor, intelligo. En ex tanta hominum multitudine, quanta fuit, eſt, & ad diem judicii erit in mundo, vix una parva pars ſalvabitur. Nam ſicut illud ſemen à Patrefamilias jactum, dia 4. partes dividendum eſt: una, quæ ſecùs viam cecidit & periit, altera, quæ in petram, & periit; tertia, quæ inter ſpinas, & periit; quarta demum, quæ in bonam terram, & fructum attulit; ita proportionatè de tota hominum collectione diſcurrendum. Ergo hîc o anima mea, *exalta ſicut tuba vocem tuam,* (Iſaiæ 58.) clama, intona, inſona non alicui alteri, ſed tibi. Ad quam etiam tu partem per-

tinebis? è quorum numero eris? quorum cætui aggregaberis? Tinniant ad hoc tonitru, ambæ aures tuæ! exhorresce, ingemisce, prospice tibi.

3. Omnes quidem homines communiter habent aures aptas audiendi terrena, & sensualia, sed non omnes habent idoneas ad audienda Divina ac cælestia. Terra secus viam haud est ad hoc apta; quia strepitus ac tumultus propè transeuntium impedit. Neq; etiam terra Petrosa; quia est dura ac insensibilis. Non deniq; spinosa; quia sepivit aures suas spinis. Terra ergo bona, hæc sola est habilis ad hoc munus. Etiam hinc potes colligere, quàm pauci sint salvandi, comparativè ad damnandos. Nam si pauci sunt, qui audiant DEum loquentem necessaria ad salutem, quomodo credent? Si non credent, quomodo placebunt DEo? *Sine fide enim impossibile est placere DEo.* (ad Hebræ: 11.) Si autem DEo non placuerint, quomodo ab illo salvabuntur? Pauci ergo salvandi sunt. Iterum hîc totus contremisce, & exhorresce, & omni conatu adlabora, ne culpâ tuâ, ab hoc paucorum numero excidas.

SABBATO

Vobis datum est nôsse mysteria R. DEi, cæteris autem in Parabolis &c.

1. PRo quo, alibi Christus agit gratias æterno Patri, dicens: (Matt: 11) *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus & Prudentibus, & revelasti ea parvulis: ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te,* hoc ille in præsenti, Apostolis adscribit. Nimirum, quòd illis data sit notitia mysteriorum Dei. O incomparabile beneficium! Adamo DEus dederat tantam sapientiam, ut sciret, quale nomen cuiq; animali imponeret, ut posteros, multas edoceret artes. Apostolis autem dedit Christus Scientiam & Potestatem talem, ut quorum hominum nomina vellent, scriberent in libro vitæ, quorum nollent, delerent; ut artem sanctè pièq; vivendi edocerent totum mundum. Salomoni quoq; tantam largitus fuit sapientiam, ut nôsset cursus siderum,

rum, revolutiones planetarum, herbarum vires, qualitates gemmarum, animalium proprietates, naturas medicinarum &c. Ecce verò Apostoli, plusquam Salomones! Siquidem non arcana naturæ cognoscere, sed ad intima Sapientiæ Divinæ penetralia introire, & ibi abscondita à seculo mysteria rimari scrutariq; illis est concessum. *O altitudo sapientiæ & scientiæ DEi, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (ad Rom: 11.) Vos Sancti Apostoli, primi ita fuistis felices; *vobis enim datum est nôsse mysteria Regni DEI.* Ego quoq; de tuis donis Domine possum gloriari, quia *non feciſti taliter omni nationi, & judicia tua, non manifestasti eis,* (Psal: 147.) atq; mihi. *Confiteor tibi Pater, quia ita fuit placitum ante te.*

2. Superbi, qui propriam excellentiam nolunt deserere, sunt tales, ut videntes non videant, sed cæci sint; uti accidit Pharisæis, qui ex adventu Christi, videntes, facti sunt cæci. Expendit hoc S. Augustinus & ait: *Veniſti Christe, ut qui non vident, videant. rectè, quia lumen es; rectè, quia dies es; rectè, quia à tenebris liberas.* Quid est, quod sequitur. *Et qui vident, cæci fiant.* Ergonè, quia veniſti, cæci fiunt, qui videbant. Accipe ab ipso *Augustino* explicationem: *Qui non vident, id est, qui se non videre confitentur, ut videant. Et qui vident, cæci fiant. id est, qui se putant videre, ut in sua cæcitate permaneant.* O si à nostra caderemus excellentia, si à superbia scientiæ, ab amore seculi, à mundi cupiditate recederemus, procul dubio aperirentur oculi nostri, caderentq; ex illis squammæ obcæcantes cor nostrum; sicut Saulo factum?

3. Nihil prodest cibus, nisi eum stomachus intra se, receptum retineat, coquat, digerat, & in reliquas corporis partes dispenset ac dispertiat. Verbum DEi seu inspiratum, seu auditum, lectumvè, est animæ cibus; intellectus est illius ventriculus: nisi ergo hic, verbum DEi retineat, conservet, profundâ consideratione ruminet ac digerat, & in actiones hominis distribuat, quid proderit? *Beatissimus est,* (inquit S. Augustinus,) *qui scripturas Divinas vertit in opera.* Sicut ergo scripturæ in bona opera, sunt convertendæ, sic audita verba, in rectè facta sunt commutanda. Sicut enim Stomachus, eo fine cibum sumit, ut eum concoquat, & in bonum sanguinem carnemq; sanam convertat;

ita cor

ita cor bonum, eo fine, Verbum DEi recipit, ut illud in bona opera transformet.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ

Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia &c. Lucæ 18.

1. HÆc verba Christi, ex mente Sanctorum Patrum, exprimunt internum voluptatis ac lætitiæ affectum; acsi diceret: En jam pervenit optatum illud tempus, quo ex voluntate Patris, pro salute mundi, tradar Cruci & morti: Gaudet imò exultat Christus, dum illius mors appropinquat; quia Sanctam & immaculatam vitam duxit. Si quis eleganti & liberali formâ fuerit præditus, libenter intuetur speculum; hoc enim illum excitat ad capiendam voluptatem, ex aspectu suæ pulchritudinis: quodsi fuerit fæda, & turpibus maculis ac pustulis deformata facie, gravatè speculum aspicit; quia illi aspectus propriæ deformitatis, molestiam ac mærorem pariet. Mors est veluti speculum, in quo cujusq; vita, si fuerit ornata ac pulchra virtutibus, ostenditur ad delicias; quodsi fuit fædata vitiis, ad horrorem.

2. Vox ista Christi, est etiam quasi admirantis: *Ecce ascendimus Hierosolymam & consummabuntur omnia*; quasi diceret: Non mirarer tantopere, neq; ita dolerem, si in alia quapiam Civitate, cui pauca contuli beneficia, obveniret mihi acerba Passio & funesta mors, sed quòd mihi eveniat in Hierusalem, in hac civitate, quam ego tantopere amavi, cui tot beneficia contuli, quam Regali & Sacerdotali ornavi dignitate, quam Templo, toto orbe, illustri nobilitavi, cui tot signis & miraculis innotui, quam tot prædicationibus & doctrinis illustravi, hoc ego vehementer admiror. *Obstupescite cæli, & portæ ejus desolamini vehementer.* (Ier:2.) Non tantopere DEus dolet, dum illum offendunt Ethnici, Hæretici, seculares, sed dum id faciunt Ecclesiastici, Sacerdotes, Religiosi,

ligiosi, hoc illum habet attonitum, super hoc admirabundus exclamat. (Ier: 11) *Quid est, quod dilectus meus, in Domo mea, fecit scelera multa? Hisne plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me?* (Zach:13.)

3. Consummati sunt quidem labores Christi, sicut & labores Sanctorum consummabuntur; juxta illud: (Ioan: 16.) *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Verùm è contra, gloria Christi non consummabitur, sed durabit in æternum. Non sic peccatori accidet, sed è diverso. *Gaudium enim hypocritæ adinstar puncti,* (Iob. 20.) consummabitur brevi, dolor verò illius nunquam finietur. Audisti delicias *Sodomæ*, quòd fuerit sicut Paradysus DEi, sed brevi accepit finem ejus pulchritudo, & igne absumpta est. Audisti *Mulierem Babylonicam*, sicut Reginam, magnificentissimè ornatam, sed statim projicitur in infernum, eo impetu, quo lapis in profundum maris. Cur ego non recordaris finis tui? quare temporalibus ita delectaris, quasi essent æterna? & æterna bona contemnis? nec times æterna, quæ te manent, mala, quasi verò essent ad modicum tempus duratura?

FERIA II.

Tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur &c.

1. REcenset Christus omnia mala sibi impendentia, quasi ex regestro, ut ostendat incomparabilem ac prorsus Divinam animi sui magnitudinem, quòd esto evidenter sciret, quàm atroces pænæ illi Hierosolymis essent obventuræ, tamen illis non terrebatur, sed forti & intrepido animo, illis ultrò sese offerebat & exponebat. Non fuit tanquam *Baltazar Rex,* (Daniel:4.) cujus genua præ timore collidebantur, & ossa contremiscebant, quia vidit manum, sententiam ac decretum mortis contra se scribentem. Quid obsecro fecisset? Si patenter vidisset lictores & carnifices morti se tradentes? Si oculis ejus obversata fuissent omnia necis instrumenta, catenæ, gladij, fustes, lanceæ, mucrones &c. Christus autem videt omnia sua mala, nec illis turbatur; sed loquitur de eis, quasi nihil essent. Et qui alienis malis ita compatitur, ut ploret super Hierusalem, sua quasi nihil

essent, sigillatim recenset. Et licet omnia mala nôsset, quæ eum manebant in Hierusalem, tamen eò ivit; & non solùm ivit, sed etiam, ut Lucas ait c. 9. *Faciem suam firmavit, ut iret in Hierusalem.* Phrasis hæc significat fortem invictumq; animum, ac firmum propositum, quo statuit omnino ire in Hierusalem, atq; pati, etiamsi universus reluctaretur mundus: neq; illum ab hac sententia dimovere potuit persuasio Petri, nec hominum ingratitudo, nec immensi dolores. Docet autem nos, quod faciem debeamus firmare, ut in cælestem ascendamus Hierosolymam, per saxa, per ignes, ita ut nec ulla tentatio, nec ulla viæ difficultas sit nobis impedimento.

2. Non solùm nunc, sed etiam antea sæpiùs, de Passione sua Christus instituebat sermonem coram suis discipulis. Quòd enim aliquis teneré amat, hoc ejus memoriæ obversatur perpetuò, ac de illo continuò loquitur. Intensè Christus amabat suam Passionem; hæc enim illi carò constabat, quia plurimo impendio non auri, vel argenti, sed sanguinis & vitæ ipsius, non est igitur mirum, quòd de illa sæpiùs misceret sermonem; siquidem illam perpetuò ferebat corde. Si tibi rara est memoria Patientis Christi, signum evidens est, quòd eum remissé ames, adeoq; nolis cum illo & pro illo pati. Et tamen se offerunt crebræ patiendi occasiones. Sive ergo velis, sive nolis, patiendum est. Ne igitur patiaris ut brutum, absq; merito & spe præmij; habeto præ oculis ideam patiendi, Christum Patientem. Ille tibi dulcorabit, atq; meritorias reddet omnes tuas passiones & molestias.

3. Ideo etiam Christus sigillatim enumerat pœnas jam sibi imminentes. Tum ut in discipulis excitet tenerum compassionis affectum, atq; ita ex hac fida illorum commiseratione, solatium aliquod capiat. Libenter enim hoc DEus habet, si homines devoti, dum his Bacchi temporibus vident varijs criminibus DEum offendi, tangantur compassionis affectu. Tum ut exemplo suo provocet & animet Apostolos, cum quibus unà ascendebat, ad aliquid pro gloria DEi & cælesti patiendum. Nam cuivis ad virtutem contendenti, gloriamq; cælestem assequi cupienti, patiendum est. Quodsi illum asperitas viæ deterret, debet meminisse,

miniſſe, non ſolùm ſe eſſe, ſed habere ſocium & comitem viæ JESUM, ſibi præeuntem, ſuoq; exemplo ſe animantem: Atq; ſic illi omnis aſperitas lenietur, & omnis amaritudo dulcorabitur. *Grandia ſunt miſeris ſocios habuiſſe dolorum*: quantò magis habere talem ſocium, qui majorem longé oneris partem in ſe transtulit.

FERIA III.

At illi nihil horum intellexerunt.

1. SAtis clarè Chriſtus Paſſionem ſuam prædixit Apoſtolis, illi tamen hoc nequaquam intellexerunt. Nam veriſſimè dictum eſt: (1. Cor 2.) *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs.* Adhuc tunc temporis Apoſtoli erant animales, terrena ſapiebant, magni faciebant divitias, delicias, honores, ſicut ea ſolet æſtimare mundus: jam verò à Paupertate, dolore, contemptu, alieno prorſus erant animo, & ideó ea, quæ ſunt in pretio apud DEum, & quibus unicé acquiritur cælum, non poterant percipere. En cauſam genuinam, quare mihi non ſapit, meditatio vitæ & Paſſionis Chriſti; quia parum aut nihil afficior erga contemptum, mortificationem, meiq; depreſſionem, magni verò facio excellentias, honores, commoditates, & vanitates mundi. O cæleſtis Magiſter, quando tandem verus evadam tuus diſcipulus? quando plenè percipiam doctrinam tuam de contemptu terrenorum, quàm mihi tradis verbo & exemplo?

2. *Abyſſus abyſſum invocat;* (Pſal: 41.) quia ad percipiendum objectum infinitæ intelligibilitatis, requiritur infinita potentiæ intellectivæ capacitas. Bonitas illa & charitas, quàm Chriſtus erat humano generi exhibiturus, indigna quæq; pro ſalute ipſius patiendo, immo ipſam mortem funeſtiſſimam & ignominioſiſſimam ſubeundo, erat abyſſus immenſa; quid igitur mirum, quod eam finitus Apoſtolorum intellectus capere non poſſit. *Crux Chriſti, Iudæis quidem erat ſcandalum, gentibus verò ſtultitia,* (1. Cor: 1.) ſed Apoſtolis mera ignorantia. Quia impoſſibile eſt, immenſum mare, parvâ unâ foveâ, comprehendere; latitudinem cæli, palmo uni commenſurare; ſplendorem ſolis meridianum, veſper-

tilioni aut noctuæ clarè intueri. *O abyssus non possum ego te capere! ergo me in te projicio, tu me capias!* nec dimittas à te in æternum.

3. Si homo plenè cognosceret bonitatem DEi, non appareret illi ut incredibile, quòd DEus propter salutem humanam, subiisset pœnas & mortem. Sed quia pœnas, pressuras, passionem, mortem deniq; videt, dilectionem autem & bonitatem DEi, ex qua illa proveniunt, non videt, ideo homo, etiamsi id ei clarè dicatur, tamen non intelligit. Quia nimirum Regulam operum Divinorum, desumit ab experientia humanorum actuum; cùm ergo videat, tantam bonitatem & dilectionem non inveniri in humanis, facilè credit, eam nec in DEo reperiri. Sed multum errat sapientia humana! Quia amor Divinus infinitè distat ab humano, & ideo ea ab amore divino efficiuntur, quæ procul sunt ab humano. Christiana quippè Religio docet de Deo nostro, duo valde dissimilia; nimirum Altissima & Humillima. Utraq; sunt intellectui nostro difficilia. Hinc apud Isaiam, c. 6. *Seraphim velabant & faciem DEi & pedes.* quia nimirum alta & humilia DEi fugiunt cognitionem nostram. Facilius tamen intellectus noster assentitur, dum magna quæq; de Deo dicuntur: quando verò aliqua humilia & contemptibilia de illo asseruntur, tunc planè intelligentia humana cæcutit, ac deficit, nihilq; intelligit. Adoro nunc profundissimè tuam exinanitionem; desidero videre postea tuam celsitudinem.

FERIA IV.

Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.

1. OMnis quidem Peccator, designatur per istum cæcum. *Nam omnis peccans ignorans.* Potissimum tamen intelligitur Religiosus negligens ac tepidus, de quo DEus per Isaiam c. 42. queritur: *Quis cæcus, nisi servus meus? & quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?* Verè cæcus, qui cum habeat plurimas in Religione illustrationes, & intùs à DEo immissas, & à libris spiritualibus, à Sanctis Fratrum exemplis, a piis concionibus, exhortationibus, lectionibus, excitatas, tamen DEum in suis actionibus non attendit, sed vanitates mundanas; plus reveretur oculos homi-

hominum quàm Dei; magis curat sensuales commoditates, quàm gustum placitumq; Divinum; qui cùm possit modica suî mortificatione, gravissimas purgatorii pœnas peccatis suis debitas exsolvere, tamen suis cupiditatibus & sensibus indulget, atq; ita thesaurizat sibi iram in die iræ, dum pro auro lutum, pro gemmis & lapidibus pretiosis carbones, pro melle fel & absynthium, pro tritico paleas accumulat; & cum stulto *Esau*, pluris facit unius *lentis edulium*, (Gen: 25.) quàm æterna *primogenita*. Verè talis est illud idolum, quod oculos habet, & non videt, de quo Dominus ait: (Lucæ 12.) *Servus sciens voluntatem sui Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis.* Vide ergo o anima mea, an non sis iste cæcus; an te non excæcat cupiditas vindictæ, gula, ira, sensualitas, appetitus vani honoris, adeoq; es Pauper, cæcus, nudus, Apocalypticus.

2. Quid sunt Regulæ Instituti Religiosi, nisi via recta, per quam quicunq; constanter incedit, ad metam gloriæ cælestis perveniet. Post mortem *S. Benedicti*, vidit aliquis viam à terra usq; ad cælum extensam, splendore magno illustrem, floribus aspersam, & mirâ suavitate odoris fragrantem. Talem planè viam graditur bonus Religiosus, qui Regulas suæ Religionis accuratè observat, potestq; cum Psalmista dicere: 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatâsti cor meum.* Non permittitur Religiosus diligens in hac via consistere aut sedere; adest enim illi Angelus Domini, sicut Eliæ dicens: (3. Reg: 19.) *Surge, comede, grandis enim tibi restat via.* Immo ipse putat, non satis esse, ut per hanc viam currat, sed optat pennas, ut quantocyus per eam volet, dicens: (Psal: 54.) *Quis mihi dabit pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Porro tepidus ac negligens Religiosus, non incedit hac via, quia nec est in via, sed secus viam: quia manet quidem corpore intra parietes Religiosos, sed animo totus versatur in seculo; portat exteriùs Religionis habitum, sed intùs mundanâ vanitate est plenus; easdem actiones videtur obire, quas alij, sed longè diverso Spiritu; non longè videtur esse à Regno DEi; sed semper errat corde; ideoq; dubius ac formidans esse debet, *an introibit in requiem Domini.* (Psal: 94.) *Deduc me in semitam mandatorum:* &c. (Psal: 118.)

3. Magna quidem fuit illius cæci miseria, quia non in via erat, sed secus viam; at major, quia non gradiebatur sed sedebat; tum tandem maxima, quia cogebatur mendicare. Hominis Religiosi in Dei servitio tepidi, miser quidem status ex eo est, quia non incedit viâ regularum, recedendo ab illarum observatione; sed exinde miserior, quia non curat progredi in bonis operibus, adeoq; abripitur retro, impetu suarum passionum. *Nam in via Dei non progredi, regredi est*; S. Augustinus. Tandem ex eo miserrimus, quia à rebus creatis, quibus per affectum inordinatum adhæret, vana emendicat solatiola. Nam *Religiosus negligens, ac tepidus habet tribulationem super tribulationem, & ex omni parte patitur angustiam; nam dum interiori consolatione caret, ad quærendam exteriorem sese convertit, sed illam quærere, & multò magis pacificè constanterq; possidere prohibetur.* Thomas à Kempis.

FERIA V.

Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat Quid hoc esset? Et clamabat: IESV &c.

1. UTinam ego id præstem, ad depellendam Spiritualem animæ meæ cæcitatem, quòd præstitit hic mendicus ad amovendam corporalem. Ubi ille inaudiit Christum præterire, non neglexit hanc occasionem, sed libenter eam arripiens, imploravit opem Christi. *JESU Fili David miserere mei.* Dum DEus inspiratione suâ pertransit cor meum, non est mihi prætermittenda hæc occasio, ne fortè id mihi eveniat, quòd Sponsæ, ad cujus fores, cum staret pulsaretq; sponsus, dicens: (Can: 5.) *Aperi mihi Soror mea Sponsa,* illa verò non statim ei aperuit, sed nolens relinquere lectum suum, aliquam moram traxit, interea sponsus pertransiit, cumq; illum postea quæreret sponsa, invenire haud potuit; donec adhibito magno labore. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* (Psal: 94.) Dum me DEus vocat, dum stat ad ostium & pulsat, dum offert misericordiam suam, non est dimittenda occasio, confestim illi aperiendum; ne postea illum quæram, sed non inveniam, ne audire cogar, *Vocavi & renuisti,*

renuisti, ideo in interitu tuo ridebo. (Prov: 11.)

2. Si quispiam alius interrogâsset de illo transeuntium per viam tumultu, vana fortè & inutilis fuisset interrogatio; quia ex mera provenisset curiositate. Sed cæcus commodè illam & utiliter instituit; quia ad illum pertinebat scire, quis per viam transiret? ut ab illo peteret eleemosynam, vel aliquid necessarium, prout eventus docuit. Ita communiter fit, ut multi interrogent de vita, moribus, actionibusq; alienis, sed vanè ac inutiliter. Quid ad te, ô homo, quis, quo, & quomodo transeat? tibi attende; super te ipsum vigila. *In multis esto quasi insçius,* uti monet sapiens; ea quæ præcepit tibi DEus, cogita semper, aliena verò ne curaveris. Quod Petro Christus de Ioanne dixit: (Io:21.) *Quid ad te, tu me sequere.* idem tibi de proximo dici existima. Habet ille suum Superiorem; ille ipsi invigilet; nam hoc ad ipsius officium spectat. Non tu pro eo reddes rationem DEo. *Nosce teipsum.*

3. Magna vis inerat illi voci, quâ *Iosue* stitit in suo cursu solem. Admiranda quoq; vis inest remoræ pisciculo, quâ navem impetu vehementi per mare currentem detinet. Clamor cæci mendici potens admodum fuit, siquidem Christum Hierosolymam pergentem cum tanta festinatione, ut eum discipuli non possent assequi, (nam *exultavit ut Gigas ad curreudam viam* Psal: 18.) in medio cursu stitit, Unde verò tantam vim ille clamor habuit? Inprimis ex eo, quia esto cæcus à prætereunte turba increparetur ut taceret, tamen ille à suo proposito non desistebat, sed multò magis invalescebat clamando. Si specialem DEi favorem cupis mereri, non abducaris à virtute, respectibus humanis, aut vehementiâ passionum ac tentationum & perturbantium, *sed contra audentior ito.* Deinde ex eo, quia Christum DEum & hominem est confessus. Dum enim illum appellat, *Filium David,* hominem ostendit; dum verò illum solâ misericordiâ sibi profuturum putat, DEum agnoscit. Solus enim DEus misericordiâ & voluntate suâ, malis nostris mederi potest. *Miserere mei DEus secundùm magnam misericordiam tuam.* (Psal: 50.)

FERI-

FERIA VI.

Stans autem IESVS iussit eum adduci ad se, & ait illi: Quid vis ut faciam tibi?

1. LOngum agmen præcedentium & subsequentium turbarũ comitabatur Christum, illarũ tamen minorẽ videtur habere respectum, quàm unius mendici, ad cujus clamorem, & ipse stat, & turbam totam secum euntem stare facit, ut cæcum alloquatur, ejusq; postulato satisfaciat. Ubi me Christus docet hoc inprimis: Ubiq; viro justo retinendam esse in agendo libertatem, nec ullis adduci a rectẽ faciendo respectibus, cùm aliquod negotium pro gloria, DEi vel salute proximorum aut propria, est agendum. Deinde id docet: Christum, tantùm unius hominis æstimare salutem, quantùm omnium. Ipse namq; est *Pater* ille, qui amissam unam ovem, *relictis 99.* tamdiu quærit, donec inveniat, & humeris impositam ad ovile reducat. Ipse est, illa *materfamilias*, quæ propter unam drachmam perditã, totam *everrit domum*, omnia pervertit & lustrat, donec illam reperiat. Ipse est *Samaritanus* ille, qui præteritum à Sacerdote ac Levita languidum, non præterivit absq; adhibito remedio, quamvis eum tot transeuntes, imò & Sacerdos ac Levita incuratum reliquerint. O Domine siquidem tu ita me appretias, ut alios omnes, ego quoq; te appretio super omnia, æstimo & amo super omnia. Recedant omnes Creaturæ; nolo quidquam præter te. DEUS *meus & omnia*; tu solus unicum delicium, refugium, centrum meum.

2. Non poterat ipse mendicus ad Christum pervenire; quia cùm cæcus esset, alieno egebat auxilio, ut ad fontem sanitatis suæ pertingeret. Nec peccator potest viribus propriis à peccatis resipiscere, nisi illum Gratia DEi reducat in viam veritatis. Potest quidem ille, suâ sponte, & proprio arbitrio à Deo aberrare, *abstractus & illectus à concupiscentia sua*, (Iacob: 1.) Sed ad DEum seipso redire non potest, sine speciali auxilio DEi. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* (Ioan: 6.) Reductio peccatoris

toris in viam justitiæ, est singulare misericordiæ Divinæ opus. Errabunda ovis non redibit ad Pastorem, nisi priùs Pastor eam quæsiêrit. Nec Filius Prodigus veniet in domum Paternam, nisi ei Pater obviam iêrit. Nec Samaritana, salutis monita accipiet, nisi eam Christus ad puteum offendat & prior alloquatur. *Erravi, sicut ovis quæ periit, quære servum tuum Domine.* (Psal: 118.) *Deduc me in semitam mandatorum tuorum quia ipsam volui. Vias tuas D. demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* (Psal: 24.) Nemo potest corrigere quem tu despexeris. Licet autem alii despiciant, si tu corrigere volueris, corrigetur.

3. Quando Christus interrogat cæcum, quidnam velit sibi fieri? ostendit se & beneficia sua, & salutem nostram posuisse in voluntate nostra, juxta illud: *Posuit illum in manu consilij sui* (Eccl: 15.) *Igitur quisq; suæ faber est fortunæ. Nam ante nos posuit DEUS ignem & aquam, vitam & mortem,* (Eccl: 15.) *liberamq; nobis dedit optionem,* ut, ad quod volumus, manum extendamus, quidquid elegerimus, nobis imputemus. Sed ah Domine, magna quidem est erga me bonitas tua! quia mihi memetipsum permittis; nam me libertate donas, quam plerumq; homo æquali lance cum vita ponderat. At cæca est perversitas, & perversa cæcitas mea! nescio ego *reprobare malum, & eligere bonum;* (Isaiæ 7.) inter sinistram & dexteram haud discerno. Ergo hanc ipsam libertatem tibi restituo, meumq; velle totaliter arbitrio tuo subjicio; fiat mihi secundùm velle tuum; tu meliùs nôsti quid mihi expediat; da ergo mihi, quod scis, & quod vis. *Domine quid me vis facere. Paratum cor meum DEus, paratum cor meum.* (Psal: 107.)

SABBATO.

Domine ut videam. Respice. Et confestim vidit, & sequeb. &c.

1. QVasi diceret: Ab aliis per hanc viam transeuntibus petebam nummos, tanquam mendicus, à te non nummos, sed oculos peto, tanquam cæcus: Quâ enim facilitate possunt alii dare mihi nummos, eâdem immo majori tu potes mihi dare

oculos, quos à nullo poteram petiisse, quia etiam illos nemo mihi potuit conferre. Tu mihi illos antea dederas tanquam creator; tu etiam eosdem mihi abstuleras, tanquam Dominus; *nam si capillus de capite nostro, sine tua dispositione & voluntate non desluit.* (Luc: 21.) multò magis oculus absq; tuo imperio non caligat. Sed sicut iustè abstulisti, ita clementer potes restituere. Ego quoq; Domine peto à te interiores animæ oculos, ut videam voluntatem tuam, eamq; sequar; ut agnoscam infinitum amorem tuum, quo nos dilexisti, *& lavisti nos à peccatis nostris in sanguine tuo,* (Apoc: 1.) & vicissim te redamem.

2. Qui uno verbo solem condidit, tanquam oculum mundi, ille quoq; uno verbo *Respice,* recreavit oculos cæci, eisq; dedit potestatem videndi. O mendice, *Beati oculi, qui vident, quæ tu vides.* (Luc: 10.) Hunc enim intueris, quem *Abraham desideravit videre, & ut vidit, gavisus est. Ibidem.* Hunc intueris, quem *multi Reges & Prophetæ desiderabant videre, & non viderunt. Ibidem.* Quem cùm *Simeon* senex vidit, hilari voce exclamavit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod paràsti ante conspectum omnium populorum &c.* (Lucæ 2) Et ego credo, quod *in carne mea videbo DEum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes in sinu meo* (Iob: 19.)

3. Illuminatus ille mendicus, comitabatur & *sequebatur Christum, magnificans DEum,* usq; ad ejus Passionem, & in Hierusalem. Ego quoq;, si illum in Hierusalem usq; comitari volo, ad visionem pacis, debeo priùs illum sequi cum Cruce ad Crucem, ad Passionem ad mortem. Sed nisi cæcus à Christo fuisset illuminatus, non fuisset Christum in Hierusalem secutus. Præcessit illuminatio, subsecuta fuit imitatio. O Domine & me illumina, ut videam, non esse aliam, in cælestem Hierusalem, viam, nisi vitam tuam, *ut sequar te, quocunq; ieris.* (Matt: 8.) Priùs quidem illuminatus iste cæcus venit in Hierusalem, tum postea mortem & Passionem sui Illuminatoris dolenter spectavit. At mihi è contra faciendum; priùs vestigia Christi patientis, humilis, despecti, tenenda, tum deinde tali viâ in cælestem intrandum Hierosolymam. Non est alia in cælum via, præter Crucem, & calicem

cem Chriſti. Quodſi alia via eſſet, utiq; Chriſtus, qui adeò deſideravit nos in cælum ducere, eam oſtendiſſet: ſi via in cælum eſſent divitiæ, deliciæ, honores, Chriſtus viæ ductor eas nobis ſuaſiſſet. Ille verò ait: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam & ſequatur me.* (Matt: 16.)

DOMINICA I.

QVADRAGESIMÆ.

Ductus eſt IESVS in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth: 4.

1. SIquidem Dominus IESUS non in Civitatem populo frequentem, ubi ei poterant exhiberi plauſus & honores, ubi poterat invenire commoditates, habitandi, & lautè vivendi, ductus fuit, ſed in deſertum, ubi neq; cibum, neq; commodum lectum, neq; tegumen à domo acquirere poterat; ubi omnis aſperitas à ventis, ab æſtu, à pluvia, à beſtiis feriſq; ſylveſtribus regnabat: manifeſtum eſt, illum eò fuiſſe ductum non à vano mundanoq; Spiritu, ſed à bono ac Divino. Vis cognoſcere, à quali Spiritu duceris? inſpice objecta & fines ad quos collimas. Si enim intendis mortificationem ſenſuum, aſperitatem in victu, fugam honoris, à bono & Sancto Spiritu gubernaris: Si verò ſectaris honores, æſtimationem tui, plauſus mundanos, procertò vanus & ſecularis Spiritus te ducit atq; gubernat. Spiritus tuus bonus *deducat me in ſemitas rectas.* Pſal. 24. Et 50. *Cor mundum crea in me DEus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne auferas à me.*

2. Poſtquam ſupra Chriſtum cæli fuerunt aperti, poſtquam ei Pater æternus dedit illud inſigne teſtimonium: (Matt: 17.) *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui,* poſtquam *Spiritus S.* in ſpecie columbæ ſupra illum deſcendit, poſtquam eum Ioannes digito monſtravit, appellavitq;: (Ioan: 1.) *Agnum DEi tollentem peccata mundi,* & adeò ſe illi ſubmiſit, ut indignum ſe pronuntiaret, qui procumbens ad pedes ipſius, *ſolveret corrigiam calceamen-*

ceamentorum ejus. (Marci 1.) tunc eductus eſt in deſertum, ut ibi omni humano ſolatio deſtitutus, ab omnibus derelictus, tentaretur à diabolo, & ſolus cum tam valido hoſte dimicaret. Vt intelligamus, non ſolos improbos & peccatores tentari, ſed etiam amicos & filios DEi: imò interdum hos magìs. Nam ii, non propterea recipiunt à DEo, inſignia dona ac beneficia, ut jam ſint ſecuri, deſides, otioſi, ſed ut per illa magìs armentur contra tentationes, & ut fortiùs cum adverſitatibus prælientur. Unde monet Eccleſiaſticus. c. 11. *In die bonorum non ſis immemor malorum.* Poſt lucem ſpera tenebras, poſt inſignem malaciam, grandis plerumq; tempeſtas ingruit. *Accedens ad ſervitutem DEi, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* (Eccl: 2) *Omnia tamen poſſum in eo, qui me confortat.* (ad Phil: 4.) *DEUS meus auxiliator meus, in te confido, non erubeſcam.* (Iſaiæ 50.) *Non ego, ſed gratia DEi mecum.* (1. Cor: 15.) *Si conſiſtant adverſum me tentationum caſtra, non timebit cor meum: Si exurgat adverſus me prælium, non deſperabo;* (Pſ: 26) *quia Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. In DEo meo transgrediar murum.* (Pſal: 17.) *Etiamſi occiderit me, tamen ego in illo ſperabo* (Iob: 13.)

3. Hæc eſt ſolemnis apud DEum noſtrum conſuetudo, ut poſt magna beneficia, magnas in ſuos amicos immittat tentationes ac tribulationes. Et Sic multa beneficia DEus præſtiterat *Abrahæ*, benedixit eum, ejuſq; poſteros, promiſit illi terram lacte & melle manantem, tribuit inſignem ex 5. Regibus victoriam, ecce autem continuò ſequitur tentatio! *Tentavit DEus Abraham.* Idem fuit cum juſto Iob factum, quem poſtquam DEus multis bonis cumulavit, poſtquam illi tales attribuit titulos, quibus eum omnibus aliis hominibus videbatur præferre, ecce verò tentatio! dedit poteſtatem Sathanæ, ut illum tentaret, & vexaret horrendè, non ſolùm in bonis exterioribus, ac liberis, cariſq; pignoribus, ſed etiam in valetudine & ſanitate corporis, prout ipſe Iob teſtatur (cap: 7.) tum de ſe, tum de quovis iuſto: *Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum.* Simile quid & Chriſto noſtro factum. Poſtquam ille tantis elogiis à cælo & terra cumulatus eſt, continuò ductus eſt in deſertum, ut ibi tentaretur à diabolo. Idem mecum agendum exiſtimare debeo. *Sed ſi bona ſuſcepimus de manu Domini,*

Domini, mala quare non (Iob. 2.) *Gloria & Divitiæ in dextera ejus, ignominia & egeſtas, in ſiniſtra.* (Prov: 13.) ſive illa det, ſive iſta, ex æquali erga me facit effectu: imò ſi è ſiniſtra, inſulſum aliquid & moleſtum porrigat, magis ex corde videtur agere. Hoc enim eſt ſiniſtræ propius. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* (Can: 2.)

FERIA II.

Et cùm jejunâſſet 40. diebus & 40. noctibus, poſtea eſurtît.

1. QUare Domine innocentiſſimam carnem tuam, tàm acri ac diuturno caſtigas jejunio? utiq; illa nullam contraxit, neq; potuit contrahere culpam; eò quòd eſſet eſſentialiter impeccabilis, ut potè hypoſtaticè unita ſummæ Sanctitati Verbi Divini? Non ſua Chriſtus per hoc jejunium exſolvit peccata, ſed noſtra, ac potiſſimum primorum parentum, per eſum pomi vetiti lapſorum. *Levitici 16.* ſuper caput hirci ponebantur omnia peccata populi Iſràél, & ſic mittebatur in deſertum, ut per eum ira DEi placaretur. En *Agnus DEi* Chriſtus, oneratus peccatis hominum, ac *tollens peccata mundi*, expellitur à Spiritu S. in deſertum, ut ibi per tam durum ac diuturnum jejunium pro illis ſatisfaciat juſtitiæ Divinæ: Cùm enim, (*ut Iſaias loquitur, cap: 53.*) *posuerit in eo DEus iniquitates omnium noſtrûm;* propter illas tamdiu jejunat, tamdiu ſeſe affligit, & veluti alterum Iob ſe exhibet, qui pro filiis, dum conviviis vacabant, offerebat ſacrificia. (Iob: 1.) Nos peccavimus, noſtra gula prævaricata eſt legem Divinam, & *disciplina pacis noſtræ ſuper eum.* (Iſaiæ 53.) Quis lacrymas, ac ſuſpiria Chriſti ediſſerat, quæ inter inediam & acrem carnis Sanctiſſimæ macerationem, in conſpectu Patris fundebat? Credo equidem lacrymis & ſuſpiriis ejus, non ſolùm feras illius deſerti, ſed etiã ipſos lapides fuiſſe emollitos. Quid nimirum, ſi Patris cor emolliat? *Quodſi hæc in viridi, quid faciendum in arido?* (Lucæ 23.) Si innocẽs & mediator tantopere carnem innocuam caſtigat, quid mihi Reo ac Debitori, cum carne tot peccatis maculata faciendum?

2. Sicut Chriſtus contactu mundiſſimæ ſuæ carnis ſanctificavit aquam, eiq; tribuit vim regenerativam hominis in vitam æternam; ita jejunio ſuo, Quadrageſimale conſecravit jejunium, eiq; cæleſtem quandam vim attribuit, ad immutandos hominum mores; prout canit Eccleſia: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.* Jejunum *Danielis* corpus reveriti ſunt leones; jejunos in fornace Babylonica 3. pueros honoravit ignis; Jejunus *Moyſes* legem accipit à DEo; jejunus *Elias* Deum meretur videre; atq; hi ambo propter jejunium digni facti ſunt, qui aſſiſterent Chriſti transfigurationi. Hinc autem colligitur, quanta vis ineſt jejunio noſtro per jejunium Chriſti Sacrato. Quia nos vitia non audent attingere; procul fugatur infernalis leo; ignis concupiſcentiæ carnalis extinguitur, animus ad contemplanda cæleſtia redditur habilior, radij gratiarum Divinarum nos illuſtrant, cor miris cæli favoribus ac donis impletur.

3. Antequam Chriſtus certamen iniit cum dæmone, ac triplicem de illo retulit victoriam, priùs innocuam carnem ſuam acri maceravit jejunio. Ut intelligam, jejunium eſſe arma potentiſſima contra tentationes dæmonis. Si igitur volo ſubigere infernalem hoſtem, quem non video, priùs mihi edomandus frangendusq; eſt hoſtis carnis meæ, quem video. Fruſtra enim ſperare poſſum de majori hoſte victoriam, ſi illam de minori & imbecilliori non obtinuero. Majoris ignominiæ plenum eſt, à carne vinci, quàm à dæmone, quia illa minor eſt adverſarius, quàm iſte. Cavendum ergo vel maximè, ne vincamur à carne. Hæc enim eſt illa *mulier*, quem dum Saxo percuſſit *Abimelech*, ait hic armigero ſuo: *Percute me, ne dicatur, me eſſe interfectum à fœmina.* (Iudi: 9.) Hæc *Dalila* eſt, quæ curat *Samſonem* decipere, ut illum deinde tradat in manus *Philiſtinorum*. Quare ſemper eſt mortificanda cum Paulo dicente: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne forte cum alijs prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* (1. Cor 9.) Illius enim ingenium eſt, Spiritui ſemper rebellare, proinde illa ſemper à Spiritu eſt coércenda ac reprimenda.

FERIA

FERIA III.

Et accedens tentator ait: Si Filius DEI es, dic, ut lapides iſti panes fiant.

1. PRomiſerat DEUS per Pſalmiſtam Chriſto ſuo: *Non accedet ad te malum.* (Pſal 90.) Sed videtur in præſenti Evangelio iſta promiſſio non impleri. Nonnè tentator ſeu dæmon eſt quid malum? immo verò grande malum! formidandus valde hoſtis, qui reputat *quaſi palcas ferrum, & quaſi lignum putridum æs; non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ, quaſi arundinem æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam,* (Iob. 41.) & tamen hoc malum accedit ad Chriſtum. At verò non de tali malo procedit illa Pſalmiſtæ promiſſio: quia eſtò dæmon ac tentator ſit diſpoſitivè malum & quaſi cauſaliter, non tamen formaliter & ſimpliciter dictum, à quo ut liberemur, oramus quotidie juxta inſtructionem Chriſti: *Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo.* (Matt: 2.) Tentatio diſponens & inclinans nos ad conſenſum peccandi, eſt malum inchoatum; conſenſus in illam, eſt malum conſummatum & perfectum. Eſto ergo prius illud malum ad Chriſtum acceſſerit, dum dicitur: *Et accedens tentator.* alterum tamen malum minimè acceſſit, quia ille fortem repulſam eſt paſſus à Chriſto: unde verificatum eſt illud: *Non accedet ad te malum.* O utinam & ego ſimili fruar felicitate! Non poſſum quidem eſſe immunis à priori malo, cùm & piiſſimi quiq; ei fuerint obnoxii; immò ipſe Chriſtus illi acceſſum ad ſe permiſit, ad exemplum meum, ne & ego in tentatione deſperem. Utinam à poſteriori ſemper poſthac evadam liber! utinam pro me orem efficaciter! *Sed libera nos à malo.* (Matt. 2.)

2. Audierat dæmon Patrem cæleſtem, Chriſto in Iordane baptizato, tale teſtimonium perhibentem: (Matt: 17.) *Hic eſt Filius meus dilectus;* conatur ergo explorare nunc, an Chriſtus ſit *verus DEi Filius,* ut deinde, quibuscunq; viis poſſit, impediat generis humani Redemptionem. ideo ait: *Si Filius DEi es, dic.* Solo verbo & imperio potes id efficere. Sed quo pacto ait? *Si Filius*

DEi es,

DEi es, dic; Utiq; *dicere in Divinis*, ad Patrem ſpectat, non ad Filium. At enim *dicere ad intra*: quod eſt *Verbum* producere, Patris eſt proprium; ſed *dicere ad extra*, & imperio cuncta agere, commune eſt tribus Perſonis; unde Pſalmiſta ait. (Pſal. 32.) *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Per modum ergo patrandi miraculum, reſcire voluit, an Chriſtus eſſet verus DEus? Vis noſſe, an ſis Filius DEi adoptivus; non eſt melius argumentum, quàm ſi propoſita & inſtinctus ac inſpirationes internas, ad effectum deducas, & opere compleas: quàm ſi talis coneris eſſe intùs, qualis es ad extra, & è contra; quàm ſi bono exemplo ita efficaciter loquaris aliis, ut de lapidibus excites Filios Abrahæ.

3. Duplex hîc elucet Diaboli ingenium 1. Suadet ut Chriſtus à cura rerum Spiritualium avocet animum ad temporalia curamq; corporis. Hoc verò multis Dæmon perſuaſit, ut obliti animæ ſuæ, DEi, rerumq; æternarū, toti immergerentur rebus mundanis ad vitam corporalem traducendam neceſſariis, eiſq; per fas & nefas corrogandis inhiarent. Sed fugiendus hic *Draco* cum *muliere Apocalyptica* in deſertum, nec nimia ſuſcipienda eſt ſolicitudo eorum, quæ ſpectant ad corpus; quia *Dominus ſolicitus eſt mei.* (Pſal: 39) Fugit *Iezabelem Elias* in deſertum, & ibi providit illi DEus per Angelum & corvum, ad victum neceſſaria. Fugit *David* à menſa *Saul*, cùm eum configere voluit, & in deſerto pavit eum Dominus muneribus *Abigail.* Relinquenda mihi ergo nimia ſolicitudo carnis. *Dominus providebit, & nihil mihi deerit. In Domino confido.* (Pſal 22.) 2. Suadet, ut parvæ rei conſentiat, ad majora & majora mox illum pertracturus: panem primò illi offert, ſed ſi ei aſſentiret, continuò delicias offerret. Ædificator domûs ab initio ſuadet facilè Domum poſſe conſtrui, ut Patremfamilias decipiat, & ab illo emungat pecuniam: ſed facile illud vertetur mox in difficile; multis enim ſupra ſpem & opinionem in progreſſu operis, gravabitur impenſis. Ita dæmon ſuadet peccatum eſſe facile, poſſe etiam illud facile deſeri, ſed poſtquam te illaqveavit, in maximas ducit anguſtias, videſq;, non tam facilè fuiſſe factu, non tam facilè te ab eo reſilire poſſe. Quàm facilè ſuaſit *Evæ* pomi eſum, (Gen: 3.) Sed in quas deinde anguſtias conjecta eſt! Quàm facilè *Davidi* propoſuit adulterium, ſed deinde

inde irretivit eum homicidio, ut priùs crimen celaret. Nihil facilius quàm peccare; sed extricare se è peccato, ingens Labyrinthus!

FERIA IV.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.

1. ORdinariè Dæmon, dum tentat & ad peccatum homines allicit, transfigurat se in Angelum lucis, atq; sub specie pietatis ac necessitatis, consilia sua proponit incautis. Ita primæ Parenti *Evæ*, esum pomi vetiti persuasit, quòd essent futuri veluti *Dij scientes bonum & malum* (Gen: 3.) en larvam pietatis ac utilitatis? Similiter Christo conabatur persuadere transmutationem lapidum in panem; quia videbat diuturnâ fame ac inediâ prostratum: & interim volebat explorare, num esset verè Filius DEi, adeoq; Messias ac Redemptor generis humani; & consequenter volebat impedire hanc Redemptionem, & disturbare negotium nostræ salutis. Sed *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* (Prov: 1.) *Non est consilium adversùs Dominum.* (Prov: 21.) Detraxit Christus larvam tentatori; non miscuit cum illo discursus longiores, uti contigit Evæ, in suam perniciem. Statim restitit tentationi, ac deprompto è scriptura telo prostravit insidiantem hostem. Nec mihi cum tentatione discurrendum. *Principiis obstandum* statim; *in fronte Goliath feriendus*; coram *Exterminatore Angelo postes, agni sanguine linendi,* & munienda Limina: Conterendum *caput serpentis*; & in semine lolia præfocanda.

2. Quare Christus & hîc & alibi non aliter dæmoni respondet, nisi verbis è scriptura Divina usurpatis? Quia, ut ait Sapiens (Prov: 30.) *Sermo DEi est clypeus omnibus sperantibus in se.* Dum in prælio, hostis tela torquet, continuò miles clypeum opponit, quo se ab ictu protegat, & immunis evadat à vulnere. *Militia est vita hominis super terram*; (Iob: 7.) perpetuò contra nos jaciuntur ignita tela hostis nequissimi; semper igitur retinenda sunt in corde verba Scripturæ Divinæ, quibus protegamur à vulnere:

Sicut faciebat Pſalmiſta dicens: (Pſal: 118.) *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Et Lucerna pedibus meis verbum tuum, ne offendant.* (Pſal: 118.)

3. Scriptura Divina eſt veluti illa turris David, de qua dicitur: (Cant: 4.) *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Hinc ſummè tibi conducet, memoriâ retinere aliqua Chriſti verba, quibus ad virtutes inciteris, & tentationibus reſiſtas. Contra ſuperbiam, illud: (Lucæ 10.) *Videbam Sathanam tanquam fulgur de cælo cadentem.* Contra avaritiam, illud: (Matt. 16.) *Quid prodeſt homini ſi mundum uniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* Contra voluptatem, illud: (Lucæ 6.) *Væ vobis, qui habetis hic conſolationem veſtram.* Contra curioſitatem, illud: (Mar: 4.) *Si oculus tuus, ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te, bonum tibi eſt, cum uno oculo in vitam intrare, quàm cum duobus mitti in gehennam ignis.* Hi nimirum clypei, hæc armatura adhibenda eſt, dum urget aliqua ex his tentatio.

FERIA V.

Mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Angelis ſuis DEVS mandavit &c.

1. EX fine debet agnoſci actio. Quidquid agunt homines, intentio iudicat omnes. *Si finis bonus eſt, laudabile totum; Si malus, totum vituperabile;* ita, ut etiamſi videatur eſſe actio bona, ſi tamen ob malum finem, vel vanum exerceatur, ipſa quoq; ſit mala & vana. Suadebat dæmon Chriſto, ut ſe mitteret deorſum; Chriſtus tamen ſuaſioni non acquievit, non ſe demiſit. Quidni? utiq; illa miſſio ſui deorſum, videbatur eſſe actus humiliationis, depreſſionis, abjectionis; quàm utiq; Chriſtus ubiq; amplectebatur, ſectabaturq;; utpote *noviſſimus virorum, abjectio plebis,* (Pſ: 21.) Magiſter humilitatis, docens verbo & exemplo; *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* (Mat: 11.) Penetraverat Chriſtus mentē dæmonis; quia ille eo fine ſuadebat Chriſto illā miſſionē deorſū, ut ſe per eam efferret, ſeu jactaret, oſtendendo ſuas vires, ſuamq; potentiam, quamvis nulla inde ſequeretur utilitas: ac proinde ab

inde ab illa ut pote vana, & jactantiæ obnoxia Chriſtus abſtinuit. Non omni Spiritui credendum: Non omne quod lucet eſt aurum. Sunt *qui nequiter ſe humiliant.*

2. Quod impetrare voluit à Chriſto dæmon, ut ſe mitteret deorſum, hoc apud peccatorem evincit quodvis peccatum. Nam illum deorſum trahit, ac detrudit uſq; ad profundum inferni. Teſtis eſt Lucifer, primus Angelorū, quem lamentatur Propheta: (Iſ:c.14.) *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris? Detracta eſt uſq; ad inferos ſuperbia tua.* Et S. Petrus ait: *Angelos prævaricatores rudentibus inferni detractos eſſe è cælo, uſq; ad abyſſum.* Teſtis quoq; Evangelicus *Epulo*, qui quamdiu viveret, longè ſuperior erat *Lazaro* in palatio, convivio, veſtium ſplendore, comitatu famulorum, ſed poſt mortem, quàm longè inferior factus eſt *Lazaro*, ſiquidem *ſepultus eſt in inferno;* (Luc:16.) cùmq; à longè conſpexiſſet Lazarū in ſinu Abrahæ, tanquam in ſublimi throno, audivit ab Abrahamo: *Magnum chaos firmatum eſt inter nos & vos,* ut neq; hinc ad vos, nec à vobis ad nos tranſire liceat. Ergo *tanquam à facie colubri, fuge peccatum.* (Gal. 21.)

3. Ut Sathanas perſuadeat Chriſto temerariam in ſe deorſum mittendo audaciam, plus ei auxilii Divini pollicetur è ſcriptura, quàm hæc promittat. Nam ait quidē illa: *Pſ:90. Angelis ſuis mandavit DEUS de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis;* Sed non ait: In omnibus præcipitiis tuis; quale fuit è pinnaculo templi uſq; deorſum. Quam multis dæmon perſuadet, ut ſe præcipitent, in difficilia mundi negotia, in periculoſas occaſiones peccandi, faciens illis vanam fiduciam de auxilio DEI quod poſſint & in illis præcipitiis ac periculis verſari, & ſimul ſecuri eſſe de ſalute æterna, cùm tamen iſta ſint incompoſſibilia. Nam ſicut in ordine naturæ, ita & in ordine Gratiæ, non tenetur DEus miracula patrare ſine neceſſitate. E contra verò cùm via virtutis ac ſalutis æternæ ineunda eſt, quàm multos facit puſillanimes; quia illis opponit difficultates quaſi inſuperabiles; cùm tamen illi in conficiendis mundi negotiis longè majores debeant ſubire.

FERIA VI.

Ostendit illi omnia regna mundi. Hæc omnia tibi dabo, si cadens &c.

1. QUis unquam speraret, ut dæmon bis à Christo devictus turpiterq; confusus, tertium contra illum facturus esset impetum & assultum; & tamen fecit, & quidem (ut ipse putabat) validissimum. Nam regnandi cupido in hominibus est vehementissima. Hac igitur Satanas tentat Christum, dum ei omnia mundi regna ostendens, pro una sûi adoratione, offert illorum possessionem ac dominium. Cavenda nobis maximé desidia & inertia. In omni quidem ætate, juvenili ac virili; sed maximè senili, semper nos armis esse præcinctos, & ad bellandum paratos convenit; *quia semper adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistendum fortiter in fide.* (1. Petri 5.) Quamvis verò pluries ab eo victus es, noli desperare, redi in aciem, arma apprehende, vires resume, DEum invoca, & ille tibi aderit pugnanti. Et si hactenus pugnare nescisti, attende nunc Christum pugnantem & vincentem, ut tu quoq; ab eo pugnare discas, ac æternùm triumphare merearis.

2. Mirum profectò est, quòd dæmon, etiamsi adeo sit avarus, ut ne minimum bonum homini concedere velit, tamen modò ita cum Christo est munificus, ut ei omnia regna mundi promittat? Sed vide astutiam veteratoris. Si parvâ re vincere te potest, certè tibi maximam haud concedit. Si verò parvâ non potest, omnem dabit mundum, ut animam tuam lucretur. Agnovit Christum Dominum esse corde magnanimo, ideo illi multa offert; quia parvis illiciis vincendum prorsus desperat. At verò, sive parva offerat, sive magna, non est illi credendum; quia illa non dabit eò, quòd ipse nihil habeat, præter æternum supplicium, cujus ut faciat participes, vanis promissis decipit.

3. Vide luctam Christi cum dæmone, & disce, quomodo tibi cum illo sit præliandum. Offert ille Christo lapides, & ait: fac ex eis panes, ut reficias te, siquidem famelicus es: Et Christus:

Panem

Panem nolo, qui manu dæmonis mihi porrigitur. Tum dæmon: *Mitte deorſum*, ut magnus habearis; Et Chriſtus: nolo gloriam, quæ dæmonis arte venit. Tandem ait dæmon: Accipe omnem mundi gloriam; Et Chriſtus. Nolo mundum ejuſq; gloriam, ſi dæmonis manu mihi concedenda eſt. Ita tibi cavendum ab omni lucro, quod per peccatum acquiris; quia illud de manu dæmonis accipis, neq; tibi quidquam proderit. Cavendum à pane; quia tibi vertetur in fel aſpidum. Cavendum ab ejus gloria & divitiis; quia in ignominiam & confuſionem, in lutum & carbones convertentur.

SABBATO

Tunc reliquit eum diabolus. Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.

1. QUamdiu Civitas obſidetur ab hoſte, tamdiu verſari debet in timore; nam ei periculum impendet, ſicut *Damoclis* capiti impendebat gladius: at ubi ſolvitur obſidio & hoſtis recedit nunquam rediturus, nec urbem impugnaturus ampliùs, quanta tunc incolarum exultatio! quantus Civium triumphus! Perpetuò nunc obſidemur ab hoſte infernali, nec iſta ceſſabit obſidio, donec finiatur ultimus agon. Quantus me tunc invadet timor, cùm horribiles dæmonum ad Tribunal Iudicis me trahentium larvas intuebor? Sed quanta me apprehendet lætitia! cùm à Iudice Chriſto favorabile illud audiam decretum: Poſthac in cælo nihil aliud ages, niſi D. *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Quàm hilaris tunc extollam vocem illam laudis & gratiarum actionis: *Benedictus es Domine, qui me liberàſti, ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad eſcam, de manibus quærentium animam meam. & de multis tribulationibus, quæ circumdederunt me.* (Eccl. 51.)

2. Sed quare tunc Angeli non acceſſerunt, cùm Chriſtus dimicaret cum dæmone? Quia hoc erat inutile. Nam ſciebant benè, Chriſtum habere ſufficientiſſimas vires ad vincendum hoſtem. Deinde, quia illud certamen erat ſingulare; quod utiq;

debet eſſe inter unum & unum, ſpectantibus utrinq; aduerſis partibus. *Sancte Michaël Archangele defende me in ſingulari meo prælio, ut non peream in tremendo DEi particulari judicio. Angele DEI, qui Cuſtos es meî, me tibi commiſſum pietate ſuperna, cuſtodi tunc, defende, guberna.*

3. Quid verò faciunt accedentes Angeli? En miniſtrant Chriſto, cum magna reverentia afferunt ei obſonia, & fructus è paradyſo ſuaviſſimos, atq; inſignem congratulantes victoriam dicunt: (3. Reg: 19.) *Surge Domine & comede, grandis enim tibi reſtat via,* uſq; ad montem Calvariæ. Viciſti nunc dæmonem, ſed illum perſequi debes, uſq; ad Calvariam, ubi illum omnino ſuperabis & dejicies. *Comede ergo, nam grandis te manet via.* Dignanter admitte obſequia ſervorum tuorum, *qui in te deſiderant aſpicere.* (1. Pet: 1.)

DOMINICA II.

QVADRAGESIMÆ.

Aſſumpſit IESVS Petrum & Iacobum & Ioannem. Matth: 17.

1. Sicut Reges terræ, habent ſuos amicos intimiores, & ſecretarios, quibus arcana ſui pectoris concredunt, ita & DEUS: Sed cum hac differentia, quia illi pro libitu & arbitrio ſuo, hos vel illos, in amicos deligunt, DEus autem illos duntaxat habet familiares, qui in virtute excellunt. Unde ait: (Ioan 15.) *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Et (Matt: 12.) *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Quia ergo inter Apoſtolos Petrus excellebat in fide; ille enim primus in illam erupit Confeſſionem: *Tu es Chriſtus Filius DEi vivi,* (Matt: 16.) & quia Iacobus præcellebat ſpe; ille enim ob ſpem vitæ æternæ, primus pro Chriſto cervicem gladio ſuppoſuit; tandem quia Ioannes eminebat in charitate; nam ſi ille antonomaſticè *erat diſcipulus, quem diligebat* JESUS, (Ioan: 21.) debuit quoq; eminenter diligere JESUM, juxta illud: (Prov: 8.) *Ego diligentes me diligo.* ideo illos Chriſtus adhibuit ad contemplandum ſuæ transfigurationis myſterium.

Nulla

Nullâ aliâ viâ ad hoc pervenies, ut computeris inter intimiores Christi amicos & familiares, nisi viâ pietatis. Non enim nobilitas generis, non divitiæ, non eloquentia, non tituli magnifici reddent te DEo commendabilem, nisi virtus, & vitæ sanctitas.

2. Si Rex nonnisi paucos aliquos, eosq; selectos è suis subditis, iubeat admitti in vestibulum sui palatii domûsq; regiæ; evidens argumentum est, quòd etiam nonnisi paucos eosq; lectissimos velit in conclave intimum, in quo ipse quiescit, suisq; fruitur commoditatibus, introire. *Mons ille Thabor*, in quo Christus ad modicum tempus ostendit magnificentiam gloriæ suæ, vestibulum erat gloriæ cælestis & palatii æviterni; non omnes discipulos admittit Christus ad hoc vestibulum; sed tres duntaxat eosq; primarios, & præcipuè sibi charos, Manifestè igitur inferendum est, quòdsi ad præliban dam gloriam cælestem, admodum pauci admittuntur, etiam ad ipsum convivium & possessionem æternâ beatitudinis felicissimæ, pauci comparativè ad totam hominum collectionem sint ingressuri. O anima mea *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita tu desidera ad DEum tuum. Siti ad DEum fontem vivum, quando venies & apparebis ante faciem DEi.* (Psal: 41.) *Contende intrare per angustam portam* (Luc: 13.) Certam fac prædestinationem tuam per bona opera.

3. Cur Christus non omnes Apostolos assumpsit secum in mõtem Thabor? Ne ascenderet cum illis Iudas, tantâ gloriâ indignus; nam dignitas nemini conferri debet absq; meritis. Cùm nonnisi per labores ac merita perveniendum sit ad honores, præsertim æternos. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* (2. Tim. 2.) Ne etiam Iudas actum illum Sacratissimum, præsentiâ suâ profanaret & splendorem gloriæ Christi obtenebraret. Societas enim malorum, quos contingit, contaminat; quos afficit, inficit. Propter unum *Achan* furto anathematis contaminatum, totus Israélis exercitus non potuit stare coram suis hostibus. Propter unum *Ionam* voluntati Divinæ rebellem, tota navis euntium in Tharsum, exposita fuit ventorum ferociæ, & periculo naufragii. Propter unum *Davidis* peccatum, multa hominum millia, peste violenta interiêrunt. Propter unum impium *Achab*, multa millia Israélis periêrunt; Et probus Rex *Iosaphat*, eò,

phat, eò, quòd cum illo iniiſſet Societatem,, grandi periculo fuit expoſitus. Propter 2. impios filios *Heli, Ophni & Phinees, Arca DEi* capta eſt, & 30. millia de populo ceciderunt in acie. Merito & ego peccatis meis imputare debeo, quòd labores Fratrum meorũ pro gloria DEi, & ſalute proximi in Societate laborantium, non tantos aſſequantur fructus, quantos aſſequerentur, ſi eis malitia mea, obicem non poneret.

FERIA II.

Et duxit illos in montem excelſum ſeorſum.

1. NOn in aliquo humili & plano loco, ſed in monte excelſo manifeſtat Chriſtus gloriam ſuam, & ineffabili gaudio recreat Apoſtolos. Quia nimirum, ut aliquis acquirat perfectam DEi cognitionem, & cæleſtium myſteriorum plenam notitiam, omnia ei terrena deſpicienda ſunt & tanquam inferiora ſub pedibus ponenda. Ut guſtet ſuavitates cæleſtes, & ſpiritualibus reficiatur ſolatiis, elongetur neceſſe eſt à mundi oblectamentis, & temporales deliciæ ei deſipiant. Prout fecit Apoſtolus dicens: (ad Phil. 3) *Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Et: omnia detrimentum feci, propter eminentem ſcientiam JESU Chriſti.* (*Ibidem.*) Idem evenit Martyribus, qui inter acerbiſſima tormenta, *torrente voluptatis* potabantur; quia licet corpore in terra degerent, toti tamen mente & corde ſupra terram, & ſupra vanitates mundanas elevati erant. *Quàm ſordet mihi terra, dum cælum aſpicio. S. Ignat: Trahe me Domine ad te, & poſt te, ut curram in odorem unguentorum tuorum.* (Can: 1.)

2. Sicut locus ille, in quo vetus teſtamentum incipiebat, & lex antiqua promulgabatur, erat mons *Sina*; ibi enim in tremendo igne apparuit Dominus, & per fulmina è nube erumpentia loquebatur populo ſuo; ita in monte *Thabor* promulgari ſuo modo cæpit novum teſtamentum & lex Evangelica publicari; ibi enim Chriſtus oſtendit gloriam ſuam, dum facies ejus reſplenduit ſicut ſol, & veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix. Ibi nubes lucida veluti tentorium expanſa, ex qua vox Patris intonuit: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipſum*

ipſum audite. (Matt: 3.) ex qua, veluti ex ſuggeſtu & cathedra, Chriſtus Doctor novæ legis promulgatur. Utraq; ergo lex, antiqua & nova, incipit in monte; quia lex Divina ſemper nos à terrenis avocat, & ad cæleſtia ſupernaq; ſectanda dirigit. Inſiſtendum eſt primævo Patrum noſtrorum Spiritui. Quibus illi modis gloriam DEi ſalutemq; ſuam & proximorum promoverunt, iidē & nobis tenendi; imò quantum fieri poteſt ampliandi & magnificandi. *Non degeneremus à præexcelſis cogitationibus Filiorum DEi.* P. Ignat: Azebedius.

3. Ut gloriam Chriſti poſſis videre, montem conſcende, difficili tramite progredere, duram ſuſtine viam; ſicut ille qui ait: (Pſal: 16.) *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodivi vias duras.* Ut *Eſau* temporalem Patris ſui *Iſaac* beuedictionem obtineret, perrexit cum pharetra *ad montem*, ibiq; venatus eſt, quo *noverat Patrem libenter veſci.* (Gen: 27.) Ut illam à Chriſto Patre noſtro conſequamur benedictionem: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete non primogenituram, ſed paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi* (Matt: 25.) quem pigebit, arduum conſcendere montem, viam inire difficilem, & ingredi aſpero tramite? Chriſtum ſequere, qui ſimul tecum aſcendit, & ut homines laborare doceret, plurimum ipſe laboravit. Nulla aliâ re laboravit & fatigatus quodammodo eſt DEus, niſi agens remedium hominis, non Angelos creans, non cælos condens; tunc enim ait Sapientia: (Prov: 8.) *delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore*: Cùm vero redimendi hominis negotium ſuſcepit, ait (Pſal: 87.) *Pauper ſum ego & in laboribus à iuventute mea.* Si ergo Rex & Dux noſter, noſtra negotia agens, multùm laboravit, cur nos non laboremus, & montem cum eo conſcendamus.

FERIA III.

Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol.

1. MAgnam apud homines parit admirationem, ſubita rei mutatio, cùm repente ab uno extremo tranſit ad aliud.

Id maximè videre nunc licet in Chriſto, qui *habitu inventus ut homo*, ad (Phil: 2.) humilem & obſcuram ſuſceperat veſtem, nunc verò ſubitò *decorem induit amictus lumine ſicut veſtimento.* (Pſal: 103.) Impletum quidem eſt in eo, quod oſtenſum fuit Zachariæ c. 3. *Vidi IESUM Sacerdotem magnum indutum veſtibus ſordidis.* Nec ſine magna cauſa, humilem induit veſtem: quia ad laborem venit in mundum, meritò ergo induitur operarij veſte vili, non pretioſa; hæc enim non eſt apta ad laborem. Unde ſicut *Adam* indutus fuit pellibus animalium, quando è paradyſo ejiciebatur ad laborem, cùm ſicut miles veniens ad pugnam, pretioſas deponit veſtes, ferro autem & armis induitur, ita Chriſtus, quia natus eſt ad laborem, ærumnas, dolores, induit carnem paſſibilem, fragilem, mortalem. Sed hodie in veſte pretioſa apparet, & jam in eo impletum eſt illud Zachariæ. cap: 3. *Auferte veſtimenta ſordida ab eo, & induite illum mutatorijs.* Et jam ſimilis videtur *Ioſepho*, cùm veſte mutatâ offertur Pharaoni; & *Mardochæo*, cùm induitur veſtimentis regiis. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, D. DEus, Rex cæleſtis, DEus Pater omnipotens; quia gloriâ & honore coronaſti Filium tuum, & conſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum.* (Pſal: 8.) Gratulor tibi æterne Fili hunc ſplendorem. *DEus miſereatur noſtri & benedicat nobis, illumines vultum tuum ſuper nos & miſereatur noſtri.* (Pſal: 66.)

2. Inſolitæ hujus in Chriſto mutationis 1. causa eſt. Ut roboraret fidem Apoſtolorum. Si enim Moyſes, dum eſſet laturus populo Iſrâelitico legem, ut ei DEus fidem adſtrueret, eumq; commendaret ac redderet honorabilem, & ut ſignificaret eum venire à DEi conſortio, & colloquio ejus, qui *habitat lucem inacceſsibilem*, (1. Tim: 6.) eximiâ luce vultum ejus decoravit, ita, ut non poſſent in ejus *faciem filij Iſrâel intendere* (Exod: 34.) Multò magis oportebat, ut author fidei noſtræ, & conſummator ac legislator novi Teſtamenti Chriſtus JESUS, ampliori ornaretur lumine, ad oſtendendam Divinitatem ſuam fidemq; faciendam, quod ipſe eſſet *lumen de lumine, unigenitus DEi Patris.* Hinc S. Petrus Apoſtolus in ſua Epiſtola ait: (2. Petr: 1.) *Non doctas fabulas ſecuti, notam vobis fecimus D. N. I. C. virtutem, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à DEo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad*

pſa ad eum hujuscemodi à magnifica gloria, hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte Sancto.

3. Altera hujus mutationis cauſa fuit, ut erigeret ac augeret ſpem noſtram. Nullus ita indiget argumento, ut ea, quæ promittit, credantur, ſperenturvé, atq; Pauper. Nam (Eccl: 13.) dicitur: *Pauper locutus eſt, & omnes dicunt, quis eſt hic.* Si aliquis mendicus invitaret ac moneret ditiſſimos civitatis incolas, ut relictis divitiis domibusq; propriis, eum per aſperam viam ſequerentur, & promitteret, ſe illis daturum longè meliorem terram, ampliores opes ad delectationes, nemo illum hæc dicentem attenderet; multi autem irriderent. Si verò in hujus rei teſtimonium, in mediũ illis proferret unam veſtem illius terræ, à ſe promiſsæ, quæ tanti eſſet pretii, ut longè ſuperaret omnes hujus mũdi divitias, tunc ipſi, facilè crederent multi, eumq; ſequerentur. Hoc ipſum nunc facit Chriſtus Dominus. Eo fine ille deſcendit de cælo, ut homines à terrenis abſtraheret, & ad cæleſtia properare faceret. Dicebat huic: (Matt: 16.) *Vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus & ſequere me, & habebũ theſaurum in cælo.* Similia multis aliis conſulebat, ſed ei non credebatur. Oſtendit hodie veſtem è cælo allatam, quæ tanti momenti eſt, ut omnia terrena longè ſuperet, & ait: En argumentum terræ viventium, ad quam vos invito! En opes Patriæ illius beatæ! Quis ergo illum non audiat? quis ei non credat? quis bonorum illorum ſpe non alliciatur ut Chriſtum, etiam difficili viã in montem ſequatur? Sicut enim ille transfiguratus eſt, ita & nos transfigurabimur, cùm *reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum Corpori claritatis ſuæ.* (ad Phil: 3.)

4. Tandem ultima hujus in Chriſto mutationis cauſa eſt: Ut nos ad amorem ſũi excitaret. Quis enim eum non diligat? qui eſt adeo ſpecioſus; *qui poſuit in ſole tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* (Pſal: 18.) Quis amore illius non exardeſcat? qui ob amorem noſtrum, tanto ſplendore Carnem ſuam ſanctiſſimam privavit? Nam propter *unionem hypoſtaticam*, connaturaliter debebat à *Perſona Divina* in Corpus illius redundare claritas & ſplendor, ſicut in animam ipſius redunda-

bat Lumen gloriæ: ideoq; hæc anima intuitivè videbat faciem DEi, ſtatim à primo inſtanti ſuæ creationis & infuſionis in Corpus; proinde & ipſum corpus debebat connaturaliter luce ineffabili ſplendeſcere, qualem in monte Thabor exeruit. Sponte autem ſua, Chriſtus privavit Corpus ſuum, hac dote glorioſa, & locò illius, dedit illi fragilitatem, obſcuritatem, paſſibilitatem, mortalitatem. Quas deinde potentias, cùm in ſua Paſſione ad actum ſecundum reduxit, ô quanta tunc facta eſt Chriſti transfiguratio; O mi JESU, quò propter *me es vilior, eò mihi carior; quò deformior, eò amabilior.* S. Bern:

FERIA IV.

Et ecce apparuerunt illis, Moyſes & Elias cum eò loquentes.

1. PEregrinanti ad terram Promiſſionis populo DEi, multumq; in via laboranti, ac pericula metuenti, tantus vini botrus allatus eſt, ut à duobus viris portari debuerit in humeris, (*Num: 13.*) quo viſo, credidit ille populus, terram, ad quam tendebant, inter omnes terras, eſſe uberrimam; unde animum viresq; ad illam expugnandam & adeundam aſſumpſit, omniaq; pericula forti contempſit animo, propter illius conſecutionem. En nobis dilectus *botrus Cypri* (Cant: 1.) Chriſtus, transfiguratus inter 2. viros Moyſen & Eliam proponitur, ut laſſati laboribus jejunii, & fracti temporalibus ærumnis, inſpecto tanto virtutis fructu, ſpem concipiamus, & ad laborem accendamur, quo ſimilem aliquando fortunam aſſequamur, quando *videbimus eum facie ad faciem ſicuti eſt in ſe;* (1.Cor: 13.) quando *ſatiabimur, cum apparuerit gloria ejus;* (Pſal: 16.) quando *inebriabimur ab ubertate domus ejus,* (Pſal: 35.) quando *torrente voluptatis potabit nos;* (Pſal: 35.) quando *guſtabimus & videbimus, quam ſuavis eſt Dominus* (Sap: 12.)

2. Præ aliis Sanctis prophetis jam vitâ functis, convenientiùs hi duo, Moyſes & Elias, ſolenniſſimo huic actui Chriſti aſſiſtunt; quia illorum uterq; popularem ex hac vita expeditionem adeò declinavit, ut alter igneo curru raptus ad Paradyſum iverit, alterius

terius verò ſepulchrum ſemper hominibus fuerit ignotum, & Diabolo id revelare cupiente, à S. Michàéle id fuerit impeditum. Ut videas, DEi opus eſſe, ſepultos in opinione hominum, excitare ad famam, & eos, qui ſe abscondunt, reddere glorioſos. Tandem tandem juſtitia triumphat! oleum ſuper aquas enatat! adamas etiam ſub ſcamno poſitus lucet! ignis in cavernis terræ incluſus erumpit, & viſendum ſe præbet. *In manibus DEi ſortes noſtræ.* (Pſal: 30.)

3. Dubitari hìc poteſt, an corpora Moyſis & Eliæ rutilaverint in transfiguratione, & luce gloriosâ fuerint donata? Siquidem S. Lucas teſtatur: cap: 9. *Erant autem Moyſes & Elias viſi in majeſtate & gloria.* Certius eſt, quòd cùm animæ illorum non fuerint glorioſæ, neq; corpora fuiſſe gloriosa, & ab intrinſeco lucida. Solùm ergo ab extrinſeco, ex redundantia gloriæ Chriſti fuerunt illuminati, & ſummâ luce perfuſi, ut in majeſtate & gloria quadam eſſent. Sicut ergo Moyſes & Elias, quia Chriſto transfigurato vicini erant, facti ſunt in corpore participes ejus transfigurationis, ita & nos poſſumus eſſe participes in anima, ſi ad illum ſpiritu & affectu acceſſerimus; juxta illud: (Pſal: 33.) *Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Et Paulus ait: (ad Col: 3.) *Expoliantes vos veterem hominem, induite novum, qui ſecundùm DEum creatus eſt in juſtitia & veritate ſanctitatis.* Idem Paulus oſtendens transfigurationem ſuam ait: (2. Cor: 3.) *Nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* In hac ergo transfiguratione induitur anima juſti, mirâ pulchritudine & gloriæ veſtimentis, redditurq; pulchrior cælo ſtellis ornato, ita ut omnis pulchritudo naturalis ei collata, fœditas ac deformitas cenſenda ſit, ita, ut *nec Salomon in omni gloria ſua ſic ornatus unquam fuerit atq; anima juſti;* (Mat: 16.)

FERIA V.

Bonum eſt nos hìc eſſe. Faciamus hìc tria tabernacula Tibi unum, Moyſi 1 & Eliæ 1.

1. QVi vult ordinatè finem, debet velle & media, per quæ

poſſit ad illum pervenire, & circumſtantias loci ac temporis, ut debitè acquiratur finis! Gloria illa, quâ Chriſtus in monte Thabor illuxit, & ex qua gaudium & ingens conſolatio in Apoſtolos redundavit, erat bonus finis, quem Petrus appetebat pro ſe, & ſodalibus ſuis; nam reſpectu illius, omnes mundi pompæ & oblectamenta ſunt veluti umbræ, & mera ſomnia. Et tamen S. Lucas de S. Petro teſtatur: *Neſciebat quid loquebatur.* Quid ita? Quia bonum quidem finem volebat, ſed inordinatè; quia ſine debitis mediis, & importuno tempore. Medium perveniendi ad gloriam erat Paſſio, Crux, dolores, mors; prout ipſe Chriſtus docuit tum verbo, colloquendo de exceſſu ſeu obitu ſuo cum Moyſe & Elia, & increpando diſcipulos. (Matt: 24.) *O ſtulti & tardi corde ad credendum. Nonnè ſic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam:* tum exemplo, reipsâ, indigniſſima quoq; patiendo. Nondum hyems tranſierat, nondum imber abierat, dum iſte *flos pulcherrimus, apparuerat* extra tempus *in terra noſtra,* (Can: 2.) ac tam fortem in Petro complacentiam & appetitum ſui cauſaverat. Mea hîc exprimuntur deſideria, meæ velleitates, Vellem virtutem, ſed nulla ſuperata difficultate; vellem aſſequi perfectionem, ſed viâ planâ, & omnis aſperitatis experte. Vellem eſſe ſocius conſolationis & gloriæ Chriſti, ſed nollem tribulationis & Paſſionis. Præpoſterus volendi talis ordo.

2. Noluit Petrus in monte Thabor, fabricare domos, ſed ſolùm tabernacula; quia illæ ſunt domicilia ſtabilia & permanentia, hæc verò ſunt habitacula tranſitoria, ac de loco in locum facilè ttansferibilia. Ut intelligamus, gloriam in hoc mundo poſſeſſam eſſe tranſitoriam, & facilè mobilem. *Non habemus hic manentem Civitatem, ſed futuram inquirimus.* (ad Hebr: 13.) Propter eandem cauſam, cenſendus eſt apparuiſſe Chriſtus in facie quidem ut *Sol,* in veſtibus autem ut *Nix,* ut innueret, quòd ſicut nix facilè diſſolvitur & diffluit ad faciem radioſq; ſolis, ita tota mundi gloria liqueſcit facilè & perit. Deinde ideo inter Moyſen & Eliam apparuit, quia ille mortuus, hic vivus, ille habet non eſſe, hic eſſe; ut cognoſcamus, Gloriam in hac vita poſſeſſam, æquè proximam eſſe morti atq; vitæ, æquè vicinam non eſſe atq; eſſe.

3. Quod Petrus voluit ineſficaciter fieri in monte *Thabor,* hoc quilibet

quilibet juſtus debet velle efficaciter fieri in corde ſuo, ſi cupit pervenire ad videndam gloriam & faciem DEi. Tria igitur tabernacula Spiritualia ſunt illi erigenda; 1. pro via purgativa; imitando *Eliam*, quòd ſicut ille ex zelo gloriæ Divinæ, falſos Prophetas manu propriâ interfecit, & ex Regno Iſràél exterminavit, ideòq; furias *Iezabel* evitando, *ad montem Horeb* fugere debuit. (3. Reg: 19.) Ita homo juſtus incumbere debet in eliminanda è ſuo corde vitia, in extirpandos pravos habitus, in domandas rebelles paſſiones, in refrenandas pravas cupiditates, in evitandas & averſandas periculoſas occaſiones. 2. pro via Illuminativa; imitando Legislatorem *Moyſen*, quòd, ſicut ille poſt diuturnum cum DEo colloquium, legem ab illo accepit, quam deinde populo DEi promulgavit, & pro ejus obſervatione, multa egit paſſuſq; eſt, ita juſtus debet aſſueſcere continuæ cum DEo converſationi, & intelligere, quæ ſit voluntas ejus beneplacens & perfecta, atq; hanc voluntatem, tum ſibi tum aliis inculcare, juxta illud: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*, (Pſal. 50.) atq; ad illius executionem ſtrenué urgere. 3. tandem pro via unitiva; imitando Chriſtum; quòd ſicut ille ſemper intuebatur faciem Patris, & faciebat ſemper, quæ ſunt ei placita, ita juſtus debet ſe unire cum DEo per actus amoris, per opera heroica, per intentiones ad beneplacitum DEi ſemper attendentes.

FERIA VI.

Ecce nubes lucida obumbravit eos. Et vox de nube. Hic eſt Filius &c.

℟. QVæ eſt iſta nubes tam mirabilis? ut quamvis lucida ſit, tamen obumbret Apoſtolos? niſi illa, de qua Gabriel Archangelus Deiparæ Virgini appromiſit: (Luc: 1.) *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Tota ergo Sanctiſſima Trinitas, in illo monte ſenſibiliter apparuit. Et Pater quidem in voce intonante: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit, ipſum audite.* (Matt: 17.) Filius verò in carne transfigurata;

figurata; Spiritus S. in nube lucida obumbrante. Vulgo dicitur: *Qui bonæ arbori adhæret, bona umbra protegitur.* Nolo ergo adhærere mundo, ne me umbra mortis occupet. *Mihi ergo adhærere DEo bonum est, & sub umbra manus ejus protegi.* (Ps: 72.) O nubes lucida, *illumimare his, qui intenebris & in umbra mortis sedent.* (Luc: 1.) O nubes obumbrans inumbra mihi in die belli; *sub umbra alarum tuarum protege me* (Ps: 16.) ab æstu carnalis concupiscentiæ. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi* (Can: 2.)

2. Ista vox Patris æterni à nube erumpens, ad geminos potissimùm affectus erga Christum exercendos videtur nos excitare: Amoris & obedientiæ. Et ad amorem quidem Pater exemplo suo nos invitat, ac si diceret: Ego Filium meum diligo, & multùm mihi in eo complaceo, & vos illum diligite, ut & ego diligam vos, & propter illum, vobis benefaciam. Ad obedientiam verò incitat nos exemplo ipsius Filij, acsi diceret: Iste Filius meus dilectus exprimit me & repræsentat; cùm sit *Consubstantialis mea imago, & figura substantiæ Paternæ.* (ad Hebr: 1.) Moneo igitur, ut etiam vos illum docentem audiatis, & facientem exprimatis. Ille me audit, & quæcunq; ipsi loquor, facit semper, vos etiam illum audite, & *quæcunq; dixerit vobis, facite, ut sitis Filij Patris vestri, qui in cælis est.* (Matt: 4.) Cujus anima ad hæc monita non liquefiat?

3. Proprium est homini timere ac trepidare ad vocem Divinã. Hinc ait Adam: *Vocem tuã audivi & timui.* (Gen: 3.) Si enim *leo rugiet quis nõ pavebit?* (*Amos* 3.) multò magis si DEus tonet. *Vox Domini in magnificentia, concutiens desertũ, confringens cedros, & comminuens eas.* (Ps. 28) Eundem effectum vox Patris æterni é nube tonans operata est in cordibus Apostolorum; nam illã percussi, *ceciderunt in faciem suam*, quasi proni adorantes præsertim ibi DEi majestatem; & *timuerunt valde*, atq; hoc timore in discipulos Christi initiabantur. Nam *Initium Sapientiæ timor Domini.* (Eccl: 1.) *Confige timore tuo carnes meas, ut à mandatis tuis timeam.* (Psal: 118.) Si leones, si discipuli, ad vocem DEi trepidant; quare ego catellus, quare mancipium, quare vilissimus vermiculus, non contremiscam totus?

SABBA-

SABBATO.

Et tetigit eos dicens: Surgite, nolite timere; nemini dixeritis viſionem &c.

1. QVàm efficax fuit Chriſti manus, quæ ſolo attactu mirabilia quæq; operabatur. Tetigit oculos cæci, & illuminati ſunt; (Mat: 1.) Tetigit linguam muti, & locutus eſt, (Marci 7.) Tetigit aures ſurdi, & apertæ ſunt. Tetigit loculum Adoleſcentis mortui, & vivus ſurrexit. (Luc: 7.) Tetigit manum defunctæ puellæ, & revixit (Matt: 9.) Tetigit abſciſſam Malchi auriculam, & ſanata eſt; (Luc: 17.) Tetigit diſcipulos præ timore in terram proſtratos, pronosq; jacentes, & ſtatim illos erexit, ac omnem ab illis abegit timorem. Solus ego ita ſum durus ac inſenſibilis, ut etiamſi me Chriſtus non ſolùm manu, ſed etiam toto Diviniſſimo corpore, quod in Sacroſancta hoſtia toties accipio, tangat, tamen de veterno vitiorum meorum non ſurgo. Tange me tandem aliquando ita efficaciter mi JESU, ut me de terra, cui tantopere adhæſi, proripiam, ut caput & cor ad cæleſtia erigam; ut omnis vanus timor à me fugiat.

2. Dupliciter DEus electos ſuos tangere ſolet, dexterâ & ſiniſtrâ, ſolatio & mærore; Dexterâ ſeu ſolatio illos tangit, quibus proſperos & lætos rerum largitur ſucceſſus. Ita Davidem tetigerat, dum ait: (Pſal: 117.) *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Non moriar, ſed vivam & narrabo opera Domini.* Mærore ſeu ſiniſtrâ illos tangit, quibus varias adverſitates, afflictiones, tribulationes, ærumnas immittit. Et ita tetigerat Iobum, dum ait: cap. 19. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Per utrumq; tangendi modum, nihil aliud DEus intendit, nisi ut hominem elevet à terra, & ad amorem ſui, rerumq; cæleſtium erigat. unde tam his, quàm illis dicit: *Surgite*; nolite corde rebus terrenis inhærere, ſurſum corda elevate, de æterna veſtra manſione cogitate, nolite nimiùm diligere quod perit, ſed quod nobiſcum manebit in æternum. Me miſerum, qui, ſive me dexterâ tangat DEus, ſive ſiniſtra,

ſtrâ, conſternor, & in terram corruo. Nam ſi mihi tribuat temporalem aliquam felicitatem, multùm illi fido, eiq; nimis adhæreo; Si etiam permittat tribulationem, à DEo alienor, & ſolatia à terra quæro.

3. Si gloriam ſuam Chriſtus non vult, nisi debito tempore, & coram competente auditore vulgari; quantopere volet, ne nos inaniter de factis noſtris jactemus, & ne aliena diffamemus errata. Vidiſti malum aliquod fratris tui factum, vide, vt *nemini*, cujus non interſit, *hanc viſionem dixeris.* (Matt: 17.) Audiſti verbum famæ proximi detractorium & noxium, *moriatur in corde tuo, non te diſrumpet.* Intellexiſti aliquem, hac vel illa notatum infamiâ, nemini id propalaveris, in te ipſo id ſepeli. *Quod tibi vis fieri, hoc ipſum alteri præſta.*

DOMINICA III.
QVADRAGESIMÆ
Erat IESVS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.
Lucæ 11.

1. HOc munus in præſenti exercet Chriſtus, ad quod ab orbe condito, imò à diebus æternitatis, electus erat à DEo ac prædeſtinatus: Ejicere ſcilicet dæmonem ab homine, eumq; à captivitate & poteſtate diaboli vindicare. Erat quidem homo ab initio, legitima DEi poſſeſſio, ratione creationis & conſervationis, ſimul tamen liber fuerat, ut in æternum traderet ſe, cui vellet, DEo vel dæmoni. Ergo ille abutens libertate ſuâ, & rebellans DEo tanquam legitimo Domino, mancipaverat ſe dæmoni, Tyranno Crudeliſſimo. Itaq; hic, tanquam *fortis, armatus, poſsidebat & cuſtodiebat atrium ſuum.* (Lucæ 11.) Sed venit illo fortior Chriſtus, Tyrannum ejecit, vaſa illius diripuit, hominem in DEi poteſtatem redegit, ac poſſeſſionem reſtituit. Dole, quòd aliquando fueris mancipium diaboli. Age gratias Chriſto, quòd te ab ejus poteſtate liberaverit. Roga, ut in poſterum ſolus DEus te cuſtodiat, poſſideat, gubernet. *Salvum fac populum tuum*

tuum Domine, & benedic hereditati tuæ, Et rege eos, & extolle illos in æternum. S. Amb: & S. Aug:

2. Mira Christi virtus & potentia, quæ solo verbo, unicovè tactu, dæmonem pellit ab homine & procul fugat. Tantæ hic Tyrannus est potentiæ, ut *reputet quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs;* (Iob: 41.) ideoq; securum se putat quò ad possessionem sui castri. Ecce verò Christus non vibrat contra illum, gladium, aut hastam levat, non tendit arcum nec iacula torquet, non dirigit machinas bellicas, non armatam instruit aciem, nec mittit fulmina: Solo verbo expellit ab homine dæmonem, proculq; fugat, non solùm per se, sed etiam per suos ministros. Quid enim plus præstatur, dum baptisatur homo, vel Sacramentaliter absolvitur? nisi verba à Christo instituta proferuntur, supra subjectum aquâ ablutum; aut contritum; ecce verò dæmon subitò pellitur, & Christus intrat in animam, tanquam in possessionem suam. Gratulare Christo tantam virtutem. Subijce te potentissimo ipsius dominio. Noli unquam ei rebellare.

3. Sicut Tyrannus captâ civitate, munit illam adversùs principem legitimum; at quibus impensis? non aliis, nisi ipsorummet civium. Illis enim alia & alia tributa imponit, quibus stipendia & cibos militibus suis præstat; immo cives in suis operibus laborare cogit, per quos ducit aggerem, muros ædificat, vallum reparat, portas custodit; atq; ita securè civitatem sub suo tenet dominio. Ita peccatori accidit, dum se diabolo in servitutem per peccata tradit. Quid enim peccator in domo sua habet, ex quo tributum dæmoni non solvat? Si tempus illius est; tunc magnam illius partem otio, ventri, ludo, murmurationi tribuit. Si vires, divitias, honores inter propria numerat; magnam illorum partem in peccatis consumit. Si oculos, aures, pedes, manus; omnia hæc peccato serviunt. Si habet res caducas ac temporales, tunc peccatorem cogit, ut ex illis construat murum, hoc est, consuetudinem peccandi; impenetrabilem & adamantinum, qui illum penitus à DEo separet. Quâ verò portâ, & quibus seris hæc omnia custodit. Linguâ mutâ, & ore sacrilegè clauso; dum peccator non confitetur peccata sua, non ea detestatur, non implorat misericordiam DEi; quamdiu enim

hæc porta obſerata eſt, tamdiu dæmon eſt de ſua poſſeſſione ſecurus. Meritò igitur nos Apoſtolus monet: (ad Rom: 6.) *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus; ſed neq; exhibeatis membra veſtra, arma iniquitatis peccato.* Non permittas ita te gravari à dæmone, ſicut olim *Pharao* gravabat Iſràélitas in *operibus luti & lateris*: (Exod 1.) non ita nimiùm intendas rebus caducis & perituris, ut ex illis conficias murum, quo DEo repugnes, ac tibi pares excidium; impleaturq; illud (Iſaiæ c. 22.) *Deſtruxiſtis domos ad muniendum murum.* Non ergo deſtruas domum mentis tuæ, ut murum dæmonis munias.

FERIA II.

Et cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

1. QVamdiu dæmon obſidebat hominem, tamdiu erat mutus; quia os illius claudebat & ligabat linguam. Sed poſtquam dæmonem ejecit Dominus, locutus eſt mutus. Si ergo documentum ejecti è corpore dæmonis, fuit locutio muti, profectò ejecti quoq; ex anima, erit debita locutio hominis; cùm ſcilicet peccator per ſinceram & animoſam Confeſſionem aperit peccata ſua, cùm tam in proſperis, quàm in adverſis eventibus DEum benedicit; cùm defectus ſuos propalare coram hominibus, præſertim ſuperioribus, non erubeſcit. O Domine ejice à me hoc dæmonium, ut confitear aduerſùm me injuſtitiam meam, ne cogar aliquando dicere: (Iſaiæ 6.) *Væ mihi quia tacui, quia pollutis labiis, ego ſum.*

2. Majus miraculum eſt, dæmonem ejici ex anima, quàm è corpore; plus eſt, quòd peccator enormia peccata ſua occulta pandat alteri, quàm ſi mutus loquatur diſertè ac expeditè; excellentius prodigium eſt, peccatorem converti ad DEum, quàm os elingue aperiri, & in ſermonem cultum reſolvi. Et tamen hæc prodigia corporalia mirantur homines, illa verò non item. Vel quia illa ſubjiciuntur oculis, hæc verò ſunt abſcondita. Vel quia iſta Spiritualia ſunt frequentia, ideoq; uſu ipſo quaſi viluerunt; nec veni-

nec veniunt jam tantopere in considerationem & admirationem: O si hæc profundiùs expenderem, profectò ferventiùs & frequentiùs pro conversione peccatorum orarem! certè majori studio in illorum salutem incumberem! nihil enim isto labore DEo est gratius & acceptius, quàm tales energumenos exorcizare, & animas illorum eliberare à servitute diaboli, atq; ora talium mutorum solvere.

3. Subita illius hominis mutatio, rapuit turbas in admirationem. Antea nihil loquebatur, os & linguam habebat, tacebat tamen; cùm ecce repentè erupit in magnificas Christi laudes, & prolixam ei pro beneficio præstito, gratiarum actionem instituit. Nihil reddit hominem tam admirandum, quàm linguæ mutatio! Si nimirum ex illo ore, ex quo antea prodibant maledicta, detractiones, murmurationes, scurrilitates, nunc prodeant verba ædificationis, suavitatis, pietatisq; plena, jam profectò hoc majus est, quàm si terra transiret in cælum; quia talis anima assimilatur cælo ac firmamento, juxta illud: *Cæli enarrant gloriam DEi, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* (Psal: 18.)

FERIA III.

In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

1. IDem est ingenium invidiæ, quod aranei. Nam sicut hic etiam ex rosa colligit venenum; ita invidia, bona quæq; opera, in malam trahit partem: & quamvis ipsum opus culpare non potest, modum tamen ipsius ac intentionem sinistrè interpretatur. Nonne bonum erat opus, dæmonem ex homine ejicere, & hunc à potestate tanti vindicare Tyranni? & tamen hoc Phariseorum invidia adscribit pacto cuidam cum Principe dæmoniorum inito. Fuge hoc venenum inter homines etiam quoad speciem probos non infrequens, ô anima mea; quis enim te *Judicem constituit super servum alienum: Domino suo stat aut cadit.* ad Rom: 14. Non solùm bona proximorum opera non vitupera, sed etiam mala, quantum potes lauda, & in bonam interpretare partem. Quodsi opera Christi non evaserunt tàm atrocem calumniam, quomodo id poteris tibi polliceri? ut opera quoq; tua

multis alioquin imperfectionibus permiſta, non ſubjaceant cenſuræ hominum?

2. Impiè quidem Chriſtum judicant Phariſæi, quaſi ille non virtute ſuâ, ſed poteſtate *Beelzebub* ejiceret dæmonia; ſed ex hac peſſima illorum opinione, eliciamus bonam ſanamq́; doctrinam. Poſſe dæmonem per dæmonem expelli. Sicut enim ignis ignem ſanat, nam dum caro aduritur, admovenda eſt igni, ut reſtituatur ſanitati; aut ſicut Scorpius, dum venenatum ictum infligit, atterendus eſt, & pulvere ipſius aſpergendum vulnus; ita dum dæmon vulnus mortiferum animæ infligit, vel infligere parat, ille ipſe in medicinam adhibendus eſt. Cogitandum ſcilicet quis ille ante ſuum lapſum fuerit? & quis qualisvè poſt lapſum ſit? quantis torqueatur ſuppliciis? quàm mendax, dum ſub ſpecie temporalis dulcedinis, æternam vendit amaritudinem. Hoc ſuadebat peccatoribus David, dicens: (Pſal: 54.) *Deſcendant in infernum viventes*; ut ſcilicet videant, qualia illis tormenta dæmon poſt mortem parat. Iuſtus *Iob*, & cum eo *S. Borgias* dicebant: (Iob 17.) *Infernus domus mea eſt.* Mente & cogitatione, iſti habitabãt in inferno, ne habitarent perſonaliter & effectivè. Suggerit dæmon aliquam tentationem, ò quàm proficuum eſt, illi reponere: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.*

3. Noſtro palmo plerumq́; alios metimur. Quomodo ipſi ſumus conſtituti, ita alios quoq́; conſtitutos credimus. Reſolvit ſe *David* ad pugnam cum *Goliatho* ineundam, ecce verò fratres ejus, imò & ipſe *Rex Saul* ſuis illum viribus metiuntur, ac dicunt: (1. Reg: 17.) *Non vales reſiſtere Philiſtæo huic; quia puer es: hic autem eſt vir bellator ab adoleſcentia ſua.* Scilicet non attendimus, quòd variè DEus diſtribuat bona ſua; *nam Spiritus ubi vult ſpirat.* (Io:3.) Quia ergo Phariſæi non poterant aliter dæmonia ejicere, niſi ex pacto, quod inibant cum Principe illorum, ideo talem ejiciendi modum imputant ipſimet Chriſto, cum gravi ipſius injuria. Altiora ſemper de proximo præſumenda. Non judicandus temerè, dum proſperos habet ſucceſſus, quaſi eos malis comparet artibus. DEi voluntati hoc tribuendum, *qui unicuiq́; largitur ſecundum menſuram donationis Chriſti*; (ad Eph. 4.) tantum ſcilicet,

quan-

quantum merita Chriſti pro illo, Patri æterno oblata, & applicata, merentur atq; exigunt.

FERIA IV.

Omne Regnum, in ſeipſum, diviſum deſolabitur.

1. QVemadmodum navis ideo aquam bibit, & ab ea in profundum demergitur, quia aut rimoſa eſt, aut tabulas habet non bene invicem connexas, & bitumine unitas; ita potiſſima cauſa eſt, cur Religio pereat ac deſtruatur? quia Religioſi non ſunt invicem amoris glutino, & charitatis fraternæ vinculo, bene connexi & colligati. Ideo Chriſtus in ſuprema poſt cænam oratione Patrem poſtulavit: (Ioan: 17.) *Pater Sancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos.* Sicut enim Filius, eſt quid naturâ unum cum Patre, ita nos cupit eſſe quid unum amore ac dilectione. Hoc idē commendat Pſalm: dicens: (*Pſ: 132*) *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare Fratres in unum. Verba iſta Pſalterij,* inquit Auguſtinus, *iſte dulcis ſonus, iſta melodia etiam Monaſteria peperit; juvenes facultates relinquere, parentibus valedicere, & in Religionis portum confugere compulit. Hæc tuba eſt, quæ eos convocavit, & e variijs mundi partibus in unum ſociavit corpus, perſuadentes ſibi, hanc fratrum ad invicem unionem & charitatem, cæleſtis cujuſdam vitæ ſpeciem eſſe. Hæc mutua charitas magnes eſt, quæ hominum corda ad ſe attrahit,* ut dicatur: *Erat multitudinis credentium cor unum & anima una.*

2. Nihil magis natura univerſalis horret, quàm vacuum. Dum nimirum unum corpus ita divellitur ab alio, ut illum hiatum nihil impleat, quod nectat illa corpora: unde natura omnibus modis conatur impedire illud, & facit, ut etiam contra naturalem inclinationem ac exigentiam, unum corpus ſuccedat in locum alterius, implendo illam vacuitatem, & procurando unionem. Eandem unionem natura particularis procurat inter membra ejuſdem Corporis; nam (ut ait Apoſtolus 1. Corint: 12.) *Pro invicem ſolicita ſunt membra, & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra* Quod *Auguſtinus* examinans ait: *Ecce pes calcat ſpinam;*

Quid

Quid tam longè ab oculis, quàm pes? Longè eſt loco, ſed proximus affectu charitatis. Mox ergo, út ſpina pedi inhæſit, illam oculi quàmprimùm inveſtigant, quàmprimùm ad illam, corpus ſe inclinat, quàmprimùm lingva ſciſcitatur, ubinam ſit? quamprimum manus ad eandem educendam ſese applicat. Sani ſunt oculi, ſana eſt manus, corpus, caput, lingva, ſanus eſt & pes: illo tantùm loco excepto, qui ob ſpinæ inſidentis aculeum dolet. Itaq; pro invicem tamdiu ſolicita ſunt membra, ſibiq; compatiuntur, donec pes perſanetur: ubi autem is perſanatus fuerit, omnia congaudent & ei veluti congratulantur. Ita nos cum fratribus geramus, oportet, ut nimirum ita pro invicem ſoliciti ſimus ac laboremus, acſi noſtra res ageretur; & ita bono alieno gaudeamus, malovè doleamus & compatiamur, acſi proprium bonum malumvè foret. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* (ad Rom: 12.)

3. *Regnum DEi intra vos eſt,* ait Dominus. (Lucæ 17.) Porro hoc Regnum tunc integrum perſiſtit, dum Corpus cum ſuis potentiis, ſubjectum eſt animæ; dum caro, cum potentia concupiſcibili & iraſcibili ſubjacet rationi, ratio verò legi Divinæ; ita ut hæc gerat principatum ſupra rationem, ejuſq; voluntatem, & hæ dominentur ſenſibus tam internis quàm externis, eoſq; coerceant ac moderentur. Si verò pervertatur iſte ordo, ſi ſenſus divagentur, quò lubet, non quo ratio jubet, ſi voluntas excutiat iugum rationi, & permittat corpori, quod placet, tunc ſuccedit horrenda deſolatio, tunc anima ſpoliatur gratia ſanctificante, aliiſq; donorum cæleſtium theſauris; tunc occupat cor, perturbatio, & inquietudo animi. *Adveniat Regnum tuum. Fiat voluntas tua: ſicut in cælo, & in terra.* (Matt: 6.) In cælo omnia obſequuntur nutui tuo, ita fiat & in me.

FERIA V.

Si in digito DEi ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos Regnum DEi.

1. POſtquam Chriſtus oſtendit, ſe non ejicere dæmonia in Beelzebub, infert, ſe id facere in poteſtate ac virtute DEi. Iſte namq; effectus non poteſt alicui tertiæ cauſæ attribui, niſi vel

nisì vel Divinæ, vel infernali poteſtati. Aduerte, quàm ſit tremenda iſta contingentia,, in qua vivis in præſenti. Vel enim tibi manendum eſt ſub poteſtate DEi, vel ſub poteſtate Diaboli? Si manes ſub una, rectè infertur, quòd non maneas ſub altera; & è contra. Unde neceſſe eſt, ut altera ex his ſortibus tibi obveniat; aut tibi in æternum manendum eſſe cum DEo in cælo; aut cum Dæmone in inferno. Quid tibi proderit, etiamſi omnibus hujus vitæ bonis, per breve tempus potitus fueris? Si tandem in æternam omnium malorum abyſſum prolabaris? Sicut è contra, quid tibi oberit, ſi omnia huius mundi mala fueris perpeſſus, dummodo per illa, æternam felicitatem lucreris? Ut aliquis conſequatur Regnum temporale, multas impendit curas, vigilias, diligentias, nullis theſauris parcit, tot vitas militum, periculo & morti exponit. Ut ergo tu æternum Regnum conſequaris, quos labores, quas ærumnas non deberes tolerare? præſertim, quia ſi illud amittas, non ſolùm abſq; illo manes, (ùti evenit in amiſſione Regni temporalis) ſed etiam neceſſariò incidis in alterum extremum, ſcilicet in infernum cum ſuis pœnis.

2. Eſt quidem in mea poteſtate, ut intra cordis mei penetralia admittam dæmonem, eiq; in anima mea concedam locum reſidentiæ, per ſpontaneum conſenſum in rem aliquam à DEo graviter prohibitam, ſed non eſt meæ virtutis & poteſtatis, ut illum ſic admiſſum ejiciam. *Digito DEI* hìc eſt opus. Specialis gratia Spiritûs S. requiritur; quam DEus non tenetur dare; & ex occultis judiciis ſuis, multis denegat; iis nimirum, qui non agunt pœnitentiam de peccatis prout oportet. Vide igitur, cum quanta diligentia, præcludendus ſit in animam diabolo omnis ingreſſus; cùm nulla vi tua poſſis eum exturbare. Quantopere invigilandum eſt portis ſenſuum; per has enim plerumq; ad nos habet acceſſum. *Nam mors per feneſtras intrat.* (Ierem: 9.) Nihil eſt concedendum ſenſui, quod recta ratio concedendum non judicaverit.

3. *Digitus DEI*, ſunt oracula Divina in S. Scripturis expreſſa, & à Spiritu Sancto revelata. *Digitus DEI*, ſunt Conſtitutiones & Regulæ Societatis, à *S. P. Ignatio* conſcriptæ? nam de illis à *ſummo Eccleſiæ Præſide, Paulo III.* illud eſt pronuntiatum: *Verè digitus DEi hic*

eſt. Si ergo effata ſcripturarum, ſi Regulæ & Conſtitutiones, ejiciant ex me ſeculariſmum, expellant tum alia vitia, tum præcipué garrulitatem, ſenſualitatem, curioſitatem, invidiam, tunc in me veré *perveniet Regnum Dei*; (Luc: 11.) potero eſſe ſecurus de obtinenda gloriæ cæleſtis corona. Nam ſicut, quamdiu homo ſpirat, tamdiu vivit; quamdiu auram veterem expellit & recentem attrahit, tamdiu in eo eſt principium & radix vitæ; *Os meum aperui, & attraxi Spiritum.* (Pſal: 118.) ita quamdiu Eloquia Divina, nos vivificant, & vitia à nobis ejiciunt, tamdiu nobis ſpes affulget, aſſequendi regnum cæleſte. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* (Pſal: 118.)

FERIA VI.

Cùm fortis armatus cuſtodit atrium, in pace ſunt &c. Si autem fortior &c.

1. ARmatus iſte non ſolùm eſt fortis, ſed etiam Prudens. An non prudentiæ magnæ argumentum eſt? Cuſtodire atrium? hoc eſt, portas Domûs obſervare, non ſinere hoſtem intùs pedem inferre, obſtare principiis, in ſemine peſtem opprimere. Sic & tu facias, & *erunt in pace omnia quæ poſsides.* Atrium tuum eſt oculus tuus, auris tua, cogitatio tua; conatur hoſtis intrare atrium, quando curioſitas obtrudit objectum periculoſum, garrulitas vel detractio ingerit ſermonem, famæ proximi noxium, ſuggeſtio mala quærit conſenſum. Cuſtodi hoc atrium, *Averte oculos tuos ne videant vanitatem.* (Pſal: 118.) *Sepi aures tuas ſpinis,* (Eccl: 18.) *allide iſtos parvulos ad petram.* (Pſal: 136:) ne naſcantur & invaleſcant. DEus meus, quanta mea in hoc genere negligentia! quantus examinis circa cogitationes neglectus! quanta ſenſuum incuria! *Pone Domine cuſtodiam ori meo, oculo meo, auri meæ, & oſtium circumſtantiæ labiis meis;* (Pſal: 14.) Non ſatis mihi ſit, ab intimis animi penetralibus rejeciſſe hoſtem, etiam ab atrio & foribus illum arceam; hoc enim mihi multùm conducet, ad poſſidendam pacem interiorem.

2. Hoc Proverbium Chriſti adumbrat aſtutiam dæmonis; cujus

cujus Domus eſt anima in peccato mortali conſtituta; hanc enim ille, gratiâ ſanctificante expulsâ libenter incolit: ut autem illam pacificè poſſideat, atrium ejus fortiter, & armatâ manu cuſtodit. At quodnam eſt hoc atrium? niſi os hominis. Quando ergo Dæmon ita os homini claudit, ut non ſinat per illud in Confeſſione Sacramentali exire peccata, ut non permittat illud aperiri in oratione ad laudem DEi, tunc ille, atrium Domûs ſuæ cuſtodit, tunc ſecurus eſt de pacifica animæ illius poſſeſſione. Sed miſeram pacem! de qua dictum: (Iſaiæ 38.) *In pace amaritudo amariſſima.* Contra talem pacem Chriſtus proteſtatur: (Matt: 10.) *Non veni pacem mittere ſed gladium.* Si hoc atrium reſeratum DEo fuerit, quàm benè jam agitur cum illo homine? Quia ſcriptum eſt: (Pſal: 31.) *Confitebor adverſus me injuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Deinde ſcriptum (Pſal: 65.) *Benedictus Dominus, qui non amovit orationem meam & miſericordiam ſuam à me.* Tunc enim DEus non aufert ab homine ſuam miſericordiam, cùm ab illo non amovet orationem; ſed poſtquam hanc ab illo amovit, etiam miſericordiam ſolet amovere.

3. *Fortior iſte ſuperveniens eſt Dominus* JESUS; ille enim vicit paſſione ſua dæmonem & poteſtatem ejus, ne nobis niſi volentibus noceat, gratiiſq; efficacibus, quas nobis confert, alligavit. *Sicut ergo canis alligatus latrare poteſt, ſed mordere non poteſt, niſi accedentem; ita dæmon tentare nos poteſt, ſolicitare poteſt,* proponendo nobis, potentiæ concupiſcibili blandientia & Iraſcibilem irritantia, *ſed conſenſum extorquere non poteſt*: adeoq; nocumentum ſaluti noſtræ, niſi ultrò conſenſerimus, inferre non poteſt. *Diſrumpe Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* (Pſal: 115.) Et (Pſal: 2.) *Dirumpamus vincula eorum,* id eſt, hoſtium animæ noſtræ, *& projiciamus à nobis jugum ipſorum.*

SABBATO

Revertar in domum meam, unde exivi. Tunc aſſumit &c.

1. Cùm immundus Spiritus obambularet loca arida, non potuit

tuit in illis invenire requiem; sed postquam oberravit loca humentia, tunc reperit commodam sibi stationem, tunc se resolvit: *Revertar in domum meam, unde exivi.* Corpora mortificata, corda asperitatem amantia, sunt loca sicca & arida; atq; in talibus Spiritus immundus habitare nec solet nec potest; quia ibi non habet suam commoditatem. Iam verò corpora voluptati ac deliciis dedita, corda in sensualitatem & oblectationes, effusa sunt loca mollia, humentia; atq; in talibus, Spiritus immundus libenter delitescit; quia ibi habet fomenta sua. Nam Decretum Divinum stat: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.* (Gen: 6.) Si ergo Spiritus Divinus non habitat in corde carnali, in anima, sensualitati, dedita; Ergo necesse est, ut ibi habitet Spiritus immundus. *Spiritus Sapientiæ,* (teste Iob cap: 28.) *non invenitur in terra suaviter viventium.* Lilium hoc amat spinas, & inter illas nutritur. Ama ergo mortificationem tam internam quàm externam. Melius est enim carnem siccari & aridum fieri, quàm immundi Spiritûs esse habitaculum.

2. Si hostis animæ tuæ audet dicere: *Reuertar in domum meam unde exivi,* apparet te negligenter de peccatis pœnituisse; appareret, non fuisse in te, serium emendandi propositum; apparet non sincerè te renuntiâsse diabolo, sed pactum cum illo tenere. Sic ergo age pœnitentiam, sic omnes aditus hosti præclude, sic omne cum illo devita commercium, ut ille desperet de suo ad te reditu. Sic fecit Psalm: dicens. (Psal: 118.) *Iuravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Et. *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificâsti me.* (Psal: 118.) Me infelicem, cujus inconstantia, familiarem fecit dæmoni hanc jactantiam: *Revertar in domum meam, unde exivi.* Toties enim illum ex me per Confessiones & proposita ejicio, sed iterum toties illi aperio, & intra cordis penetralia admitto; quia *tanquam sus ad volutabrum, tanquam canis ad vomitum redeo.* (2. Pet: 2.) *Custodi me Domine ùt pupillam oculi tui; sub umbra alarum tuarum protege me.* (Psal: 16.)

3. Febris Recidiva semper est periculosior; plaga vulneris repetita longè molestior; ingressus semel atq; iterum rejecti hostis, ordinariè crudelior ac pernicioſior. Idem de Recidiva peccati dicendum. Si per unum peccatum mortale, unus dæmon animam

nimam intraverat, etiamſi deinde per pœnitentiam videatur expelli, ſi tamen ea non fuerit ſeria & accurata, ſi fores animæ non bene obſerentur & cuſtodiantur, ſi repetantur peccata, tunc unum trahit poſt ſe, aliud, unum impellit ad aliud, & ſic in anima illa, non unum ſed ſeptem habitant dæmonia, & unumquodq; fortè cum 7. cornibus, hoc eſt, cum aggravantibus, & ſpeciem mutantibus circumſtantiis. Et talia forté Chriſtus eiecit dæmonia *ex Maria Magdalena, quæ erat in Civitate peccatrix.* (Luc: 7.) Eijce & ex me Domine, ac me totum occupa, poſſide, inhabita, me tibi in domicilium, dedico, devoveo, conſecro.

DOMINICA IV.
QVADRAGESIMÆ

Abiit IESVS trans mare Galileæ, & ſequebatur eum multitudo magna. Ioan: 6.

1. RECTÉ per mare, hic mundus deſignatur; ſicut enim mare eſt inſtabile & plenum periculis, ita ſeculum præſens. Non deſunt hîc turbines ac tempeſtates variarum adverſitatum; non deſunt formidabiles malarum occaſionum Charybdes & Scyllæ. Chriſtum ergo abire trans mare, eſt abire trans hoc ſeculum, migrare ultra hunc mũdum, tranſire quaſi in alium ſtatum. Nos verò eatenus Chriſtum ſequi debemus, quatenus aliam, hoc eſt, cæleſtem vitam inchoare ac ducere tenemur. Porrò ille non tranſit mare, qui hæret in vanitatibus mundi ſectandis, & conformatur huic ſeculo nequam, quem D. Paulus admonet: (ad Rom: 12.) *Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in novitate ſenſûs veſtri.* Illi verò trans mare cum Chriſto transeunt, qui ſunt nova Creatura, de quibus (Pſal: 101.) *Populus qui creabitur, laudabit Dominum*: Exteriùs homines, interiùs Angeli, de alio planè mundo, qui relictis bonis temporalibus, ſola curant cæleſtia, vitamq; ducunt cæleſtem, & admirationi ſunt ſeſe intuentibus.

2. Tunc IESUS abiit trans mare, quando rubrum ſuæ Paſſio-

nis mare ſuperavit, de quo Propheta ait: (Thren 2.) *Magna eſt velut mare contritio tua.* Et Pſal: 68. *Veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me.* Hoc enim ſub tempus Paſſionis geſtum fuit cum Chriſto, quòd cum Iona. Nam ſicut is projectus fuit in aquas profundas maris, & à grandi Piſce devoratus; ita Chriſtus vehementibus dolorum undis fuit immerſus, & abſorptus à morte, ac in ſepulchro conditus. Sed nunquid ſolus IESUS abiit trans iſtud mare? Minimè verò. Secuta eſt illum multitudo magna. Nimirum tot milliones martyrum, dum per profundum ſanguinis à ſe profuſi tranſiêrunt in Beatam regionem. Similiter tot myriades Confeſſorum & Sanctarum Virginum, quos omnes Chriſtus ad ſûi ſequelam invitat: (Luc: 9.) *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Auſculta hanc Chriſti admonitionem anima mea, ejuſq; veſtigiis, cura, ut inſiſtas.

3. Quamdiu aliqua Indiarum pars inventa non fuit, tamdiu pauci eas inquirere tendebant, poſtquam verò illas aliquis invenit, & inde innumeros adduxit theſauros, jam plurimi eum ſequuntur, & per mare, per terras, per inhoſpita ſaxa, per ignes, in illas terras penetrare contendunt. Antequam Chriſtus è cælo in mundum veniſſet, non erat, qui cæli Indiam penetraret. Unde dicebat Propheta: (Baruch 3.) *Qui transfretavit mare, & invenit illam (ſcilicet Sapientiam) & adduxit illam ſuper aurum electum.* Sed jam IESUS abiit trans mare, & apparuit plenus, divitiis cæleſtibus, *plenus gratiâ & veritate.* (Ioan 1.) Sequamur ergo illum; ſiquidem, ùt ait Evangelium: *Sequebatur illum multitudo magna.* (Ioan 6.) *Erubeſce Sidon, ait mare.* (Iſaiæ 23.) Quod mare? niſi ſectatores hujus ſeculi, qui nos cogunt erubeſcere, dum illi pluribus & gravioribus objiciunt ſe periculis ob lucra temporalia & divitias perituras, quàm nos propter bona æterna & cæleſtes theſauros; dum illi nos, virtutum & actionum honeſtarum apparatu longè ſuperant. O pudor! *Prudentiores filii tenebrarum filiis lucis.* (Luc: 16.)

FERIA

FERIA II.

Subiit in montem IESVS & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.

1. POſtquam Chriſtus mare tranſivit, conſcendit in montem, ibiq; ſedebat. Ut oſtenderet, quòd multi amarum peccatorum mare tranſeunt, illudq; relinqvunt, ſed in littore maris conſiſtunt, unde à fluctibus maris abſorbentur: ſeu, quod idem eſt, multi peccata ſua deflent, eaq; deteſtantur, ſed occaſiones illorum nolunt relinquere, ac in illis hærent, unde poſtmodum facilé ad vomitum redeunt. Multi pœnitentiam pro peccatis agunt, neq; tamen virtuti ſeriò incumbunt; Quia cum Chriſto ad montem perfectionis aſcendere non conantur, nec ulla opera ſupererogatoria præſtare curant; cùm tamen in monte hujusmodi, tantùm ſit ſecuritas. Hunc virtutis montem Iob conſcenderat, cùm ait: cap: 27. *Vivit Dominus, qui ad amaritudinem perduxit animam meam, quia dum halitus ſupereſt in me, & Spiritus DEi in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium; donec deficiam, non recedam ab innocentia mea; juſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram.* Da mihi Domine tam fortem Spiritum & tam conſtantem virtutem.

2. Non ſatis eſt, mare tranſiſſe; cum Chriſto mons eſt conſcendendus, & ibi ſedendum. Non ſufficit peccata reliquiſſe, ſed *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc (Apoc:22.)* & in virtutũ exercitio immorandum; nec tibi ſiſtendum, donec eò pervenias, ut *videas DEum Deorum in Sion.* (Pſal: 83.) Non una infuſione & tincturâ perficitur purpura, ſed pluribus: & quidem priùs fit tinctura inferior, deinde perfectior ac perfectior, donec verus ac pretioſus purpuræ fulgor irradiet. Ita circa perficiendam in virtutibus animam procedendum. Confeſſus es peccata, & ab illis abſolutus, en prima tinctura facta in ſanguine Chriſti, & in timore DEi? Sed iſta tinctura eſt imperfecta, ad aliam & aliam eſt progrediendum. *Ibunt de virtute in virtutem,* ait (Pſal: 83.) *& videbitur DEus Deorum in Sion;* quaſi à tinctura ad tincturam; ut ſic percipiant ultimam

timam perfectionem. Unaquæq; autem tinctura, est DEi misericordia. Ideo S. David non contentus unâ misericordiâ, quasi una tincturâ, plures petit dicens: *Secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Ampliùs, ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* (Psal: 50.)

3. Ubi Christus cum suis discipulis excelsum montem subiit, non statim retrò cessit, sed ibi sedebat; quia cùm aliquis ad culmen virtutis evehitur, constantiâ illi opus est, ut in tali vivendi modo subsistat, & non redeat ad priorem agendi rationem. Multi enim sunt persimiles vaporibus, qui dum à terra, calore solis elevantur putanturq; in cælum usq; ascensuri, tandem illi in media àëris regione frigida consistunt, ibiq; condensantur & congelantur, ac in aquam vel nivem conversi, iterum descendunt in terram, ex qua prodiêrunt. Ita illi, qui à peccatis, per pœnitentiam tepidam recesserunt, attolluntur quidem aliquantum à terra, à sensualitate, à voluptate, putanturq; cælestem vitam acturi, sed iterum ad easdem recidunt occasiones, & ad vomitum redeunt. Vide, ô anima mea, ne illorum insistas vestigiis. Dic potiùs cum Sponsa: cap. 5. *Lavi pedes meos, quomodo rursus inquinabo eos?* Dic cum Iacob. (Gen: 32.) *Non dimittam te donec benedixeris mihi;* donec nomen tibi imponat Israëlis, id est, videntis DEum.

FERIA III.

Cùm sublevâsset oculos IESUS, & vidisset, quia multitudo maxima &c.

1. MIrum, quòd Christus, etiamsi in monte cum discipulis fuisset, tamen oculos dicatur sublevâsse ad videndam venientem, ad se, multitudinem. Christus in monte, & plebs fuit in planitie; potiùs ergo deberet dici, demisisse oculos ad illam plebem, & non sublevâsse. Innuitur hîc magna Magistri nostri Christi modestia, quæ potissimùm elucebat in oculis ejus semper ad terram demissis, etiam in monte, in loco solitario, & à tumultu spectaculoq; populi remoto, ut necesse fuerit eos etiam ibi sublevare. Verè poterat Salvator cum Psalm: dicere: (Psal: 130.)

Non

Non ſunt elati oculi mei, neq; ambulavi in magnis & mirabilibus ſuper me. Exercebat in illo monte, Chriſtus Magiſtri officium; quia ſedebat cum diſcipulis ſuis, docens eos: proinde tantam ſervat in oculis modeſtiam. Hæc enim magnam parit authoritatem docenti. Quantopere mihi eſt curanda hæc virtus, ut addat vires ac robur miniſteriis meis, quæ ex vi Inſtituti mei obeo, confeſſiones audiendo, cum proximo loquendo, per plateas eundo &c.

2. Sublevavit oculos Chriſtus, ad videndam venientem ad ſe multitudinem, & ſtatim compaſſus eſt indigentiæ illorum, ſtatim ſolicitè quæſiit: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* (Ioã:6.) Quàm miſericordes, quàm benefici ſunt oculi ejus! Certè nunquam Chriſtus legitur, oculos convertiſſe aliquò, quin ſtatim ſingulare aliquod beneficium præſtiterit? *Vidit duos Fratres Petrum & Andream lavantes retia,* & continuò illis contulit gratiam vocationis ad Apoſtolatum. (Matt: 4.) *Vidit Matthæum in telonio ſedentem,* & ſtatim eum fecit ſequacem ſûi Apoſtolum. (Matt: 9.) *Vidit in ſicomoro Zachæum,* & ſtatim de avaro liberalem, de raptore juſtum redditorem, illum effecit. (Luc: 19.) Vidit Petrum trinâ ſûi negatione lapſum, & continuò illum reſolvit in amaras lacrymas. (Luc: 22.) Verè *oculi Domini multò ſunt lucidiores ſole,* (Eccl:23.) qui tam gratioſos præſtant influxus. *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore eorum:* (Pſal: 18.) *Aſpice & in me, & miſerere mêi, quia unicus & pauper ſum.* (Pſal: 118.) *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte univerſa peccata mea.* (Pſal: 24.)

3. Dimicat miles cum hoſte in acie, periclitatur, vulnera inflicta perfert, quid illum ſolatur? quia Rex ſeu Dux militiæ intuetur ejus pugnam & prælium; unde ſpem concipit, ſe ab illo relaturum gloriam & præmium: quia nimirum novit, compati ſibi Regem, Ducemq; ſuum. Ita fit nobiſcum; dimicamus in hac vita cum variis difficultatibus, periculis, tentationibus; repugnamus illis cum moleſtia & difficultate. Quid verò nos debet ſolari? quid animos addere? *Cùm ſublevaſſet JESUS oculos.* (Ioan: 6.) *Oculus Domini ſaginat equum. Vidi,* ait Dominus Moyſi (Exod: 3.) *Afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, & ſciens dolorem ejus deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Inter ſpinas & ignem DEus eſt, cum hæc dicit; quia *in Rubo ardente*

apparet *Moysi*; sicut enim populus Israëliticus erat in labore & afflictione, ita DEus compatiens, apparet quasi in labore & ærumna. Verè quidem DEus tunc non affligebatur; quia naturâ suâ impassibilis est; sed quasi affligebatur, ita commiserebatur. Cùm verò *homo factus est*, jam verè potuit nobis compati, & commisereri; quia defactò dolores acerbissimos pertulit in suo corpore mortali. Si turba illa veniens ad IESUM, recogitâsset, quia IESUS in eam sublevat oculos, ut ejus misereatur, ejusq; indigentiæ subveniat, cum quanta lætitia & alacritate festinâsset ad illum. O anima mea, si & tu inter spinas & tribulos versaris, sit tibi, solatio, quia DEus ad te sublevat oculos suos; videt te, compatitur tibi, & quasi inter easdem spinas versetur ipse, condolet tibi; quasi *Gallina pullis suis*, (Matt: 23.) quasi *Beniamino Ioseph.* (Gen: 45.)

FERIA IV.

Vnde ememus Panes, ut manducent hi?

1. NOn minùs promptè Christus providet cibum isti populo, quàm liberaliter suppeditat. *Unde ememus panes*, inquirit, vix visâ turbâ ad se veniente. En celerem providentiam! Distribuit discumbentibus, quantum volebant. En liberalitatem copiosam! Sed si conferas ipsius promptitudinem & liberalitatem, quam circa te, suo pretioso corpore, pascendum exhibet, agnosces, illam esse majorem, eâ, quàm adhibuit circa pascenda 5. millia hominum. Illis enim dedit Panem tantùm, tibi Corpus, Sangvinem, Animam, Divinitatem, merita omnia, tribuit. Illis semel dedit cibum Corporis, tibi toties dat Cibum animæ. Illis, hoc tantùm dedit, quod unicuiq; ad satiandum sufficit, tibi hoc dat, quot sufficit ad satiandum totum mundum. Ibi 5. panes hordeaceos ita multiplicavit, ut unus panis, pro mille Personis multiplicatus fuerit, hic ita multiplicat 5. vulnera, in glorioso corpore suo retenta, ut ea unicuiq; seorsim impertiat. Ibi datum est, quantum unusquisq; volebat, & capere poterat, hic plus datur, quàm velis; non enim capere & comprehendere potes, quod tibi datur! Sed potiùs tu caperis & comprehenderis

ab eo,

ab eo, quem accipis & manducas! Nec ille in te, ſed potiùs tu in eum debes mutari. Admirare, ô anima mea, hanc DEi tui erga te, promptitudinem ac liberalitatem; adora illam, ama, deprædica, lauda. *Verè non eſt ſub ſole, alia natio tam grandis, quæ habeat DEos ita ſibi appropinquantes, ſicut DEus noſter adeſt nobis?* (Deut. 4.)

2. Sciebat Chriſtus, quid eſſet facturus, & tamen circumſtantes diſcipulos conſulit, *unde ememus Panes?* Ut admoneat, nihil eſſe abſq; conſilio aggrediendum. Si ille, qui per infinitam ſcientiam noverat, quid eſſet facturus, tamen ad conſilium adhibet longè ſe inferiores dignitate, prudentiâ, ſapientiâ; quantò magis illis, hoc faciendum, qui neſciunt, quid ſint facturi? qualia media debeant adhibere ad fines à ſe intentos? Securiùs eſt, audire & accipere conſilium, quàm dare; & multò magis, quàm ſuum ſenſum ſequi. Poteſt quidem contingere, ut bonum ſit uniuſcuiuſq; ſentire, ſed nolle aliis acquieſcere, cùm id ratio aut cauſa juſta poſtulat, ſignum eſt ſuperbiæ & pertinaciæ. Quis eſt ita Sapiens, qui omnia plenè ſcire poſſit? Ergo noli nimis in tuo ſenſu confidere; ſed velis etiam libenter ſequi ſenſum aliorum. Si bonum eſt tuum ſentire, & tamen illo propter DEum dimiſſo, alium ſequeris, multùm exinde in ſpiritu proficies.

3. Poterat quidem Chriſtus ad paſcendam illam turbam, panes non emere, ſed accipere tanquam proprios, & ad quoſcunq; placuiſſet uſus convertere, cùm fuerit naturalis univerſorum dominus; non vult tamen id facere, ſed potiùs eligit, pro pretio emere. Ita ſumus parci erga DEum! ut nihil ei gratis omnino tribuamus, quod à nobis priùs & quidem grandi pretio non emerit. Quid enim nos illi gratis damus? Forté illi damus laudem, honorem, gratiarum actionem, amorem? At nonnè iſta apud nos emit, priùs nobis dando potentias naturales, habitus virtutum infuſos, auxilia actualia, amorem ſuum; nam *prior ille dilexit nos.* (1. Ioan: 4.) Fortè pro illo impendimus bona fortunæ? ùt pecuniam, honorem, commoditates? at unde iſta omnia habemus, niſi de manu ejus? Forté pro illius honore ponimus animam, ſanguinem fundimus, corpus moleſtiis ac tormentis tradimus? At quis hæc ipſa nobis contulit, niſi omnipotens bonitas illius? Nonnè ille ipſe pro nobis carnem ſuam expoſuit infi-

nitis laboribus & cruciatibus? nonnè ſanguinem copioſè profudit? nonnè animam liberaliter ac generosè poſuit? O quàm vere dictum: *Quis prior dedit illi & retribuetur ei. Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, unde gloriaris, quaſi non acceperis.* (1. Cor: 4) *Empti eſtis pretio magno, glorificate &c.* (1. Cor 6.)

FERIA V.

Facite homines diſcumbere.

1. RElinquerat illa turba propter Chriſtum ſuas domos, privaverat ſe commoditate non ſolùm habitandi, ſed etiam victitandi; omnibus erat in deſerto deſtituta, ita, ut Apoſtoli deſperantes de illius congrua ſuſtentatione, ſvaderent illam in vicina oppida & vicos, ad comparandum victum dimitti. Sed ubi deſunt humana ſubſidia, præſtò ſunt Divina. Facilè illis Chriſtus opitulatur, quos videt ſui causâ, redactos in anguſtias. Nunquam iis deſunt neceſſaria quoad victum temporalem, qui ſe totos DEo devoverunt. *Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipſe te enutriet.* (Pſal: 54.) Et (Pſal: 22.) *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit.* Quis Principum id valeat dicere: *Nihil mihi deerit.* Ille certè, qui DEum ſequitur, quem DEus regit. Vis ut nihil tibi deſit, adhære Chriſto, & ille faciet te diſcumbere. *Paſcit ille corvos,* (Iob: 39.) & non paſcet ſervos. Suppeditat victum inimicis, & amicis non ſuppeditabit? Suſtentat alienos, & in æternum arſuros, & non ſuſtentabit domeſticos ac filios, perpetuò ſecum regnaturos?

2. Noli anima mea putare, nihil eſſe in domo DEi, præter jejunia & afflictiones; eſt etiam menſa & conſolatio. *Paràſti in conſpectu meo menſam, adverſus eos, qui tribulant me,* ait (Pſal: 22.) Iuſſerat DEus in tabernaculo ſuo erigi menſam, & in ea *Panes propoſitionis* (Exod 25.) ſemper *calidos* apponi. Nullus terræ Princeps habet in domo ſua menſam, quæ jugis ſit ac perpetua, ſed ſtatis horis. At in domo DEi eſt menſa perpetua, in horto illius *poma nova & vetera;* (Cant: 5.) quia ibidem eſt talis *arbor,* quæ (Apocalipſi atteſtante, cap: 22) *profert duodecim fructus in ſinguios menſes, ita, ut nunquam recens fructus deeſſe poſſit.* Sicut ergo in Templo

DEi,

DEi, primò cernebantur cruenta Sacrificia, gladii, cultri, ſecures, profuſio ſanguinis, victimæ & hoſtiæ corporum occiſorum, ſed intus erat Arca cum manna; erat menſa cum panibus recentibus; Ita ab initio vitæ Spiritualis, apparet mortificatio, afflictio, Crux, ſed continuò adeſt menſa conſolationis. Poſt tranſitum maris, poſt aſcenſum montis ardui, facit Chriſtus turbam diſcumbere, & cibum illi apponit; ita & tibi poſt mortificationem ſenſuum, poſt abſtinentiam etiam à licitis, immittet interna ſolatia.

3. Non paſcit Chriſtus illam turbam ſtantem, neq; deambulantem, neq; indiſcriminatim & agmine confuſo, permiſtam; Sed hunc favorem præſtat illi, populo ad terram demiſſo, humiq; conſidenti & quieſcenti, ac per turmas & legiones ordinatè per Apoſtolicam authoritatem diſtributo. Ordinariè namq; DEus cæleſtia dona confert parvulis ſenſu, & humiliter de ſe ſentientibus; juxta illud: *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & pauperculum, & compunctum corde, & trementem ad ſermones meos.* (Iſaiæ 66.) Sic faciebat Pſaltes cum ait: (Pſal: 130.) *Si ambalavi in magnis & mirabilibus ſuper me; ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea;* id eſt, ſi non humiliter de me ſentiebam, auferatur à me cibus, quo alor: Sicut à puero lac, quo nutritur. Ipſa *Beatiſsima DEI Mater, Virginitate placuit, ſed humilitate concepit* S. Bernar: Quia de montibus altis & collibus defluit pluvia, in vallibus autem congregatur, eaſq; fæcundat. Quos etiam DEus paſcit Gratiâ ſuâ, illos vult in humili cognitione ſûi, quieſcere; vult poteſtati à ſe conſtitutæ ſubjectos eſſe, & ordinem à Religione ſcriptum obſervare.

FERIA VI.

Manducaverunt & ſaturati ſunt.

1. QVidquid in hoc mundo, homines ſeculares, mundanæ vanitati dediti poſſident, nihil eos ſatiare poteſt; ſed potiùs omnia, majorem in eis famem excitant & acuunt. Hoc illis exprobrat Propheta Aggæus dicens: c 1. *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum; comediſtis & non eſtis ſaturati; bibiſtis & non eſtis inebriati;*

briati; operuiſtis vos & non eſtis calefacti: miſiſtis omnia in ſacculum pertuſum. Id fuit expertus ille regnorum helluo *Alexander Macedo*; qui quamvis plurimas urbes & Provincias armis occupaverat, earumq; theſauros diripuerat ac poſſederat, tamen ubi à Philoſopho inaudiit, præter hunc mundum, eſſe adhuc plurimos alios, ingemuit, & illacrymatus eſt! eò, quòd ille ne unum quidem integré poſſederat. Nempé vanitati ſeculari, dediti, ſunt veluti hidropici, à quibus *quó plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* Quare nec oculus eorum, viſu, nec auris auditu ſatiari poteſt. Ratio eſt. Quia in his omnibus quærunt vanitatem; unde illam cum Salomone inveniunt. *Vidi in his omnibus vanitatem. Vanitas vanitatum & omnia vanitas*: (Eccl: 1.) prout eos admonet (Pſal: 4) *Filii hominum, uſquequó gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Quis autem vanitate ſeu vento ſatiari poteſt?

2. *Iſti vero homines, quos* in deſerto pavit Chriſtus pane multiplicato, manducaverunt & ſaturari ſunt. Quia nimirum de manu Chriſti accipiebant cibum; Chriſtum datorem reſpiciebant; illo dono, quod eis gratis dabatur, ſe indignos agnoſcebant; & grati referebant illi gratias: unde licet parvo contenti valde erant, ſaturati ſunt. Vis de omni fortuna tua, ſeu parva ſeu magna, de quocunq; officio ſeu ſublimi ſeu abjecto eſſe contentus, non attendas in illo, honorem tuum, reſpectum humanum, commoditates temporales; quia hæc vanitas ſunt, nunquam te ſaturabunt. Attende ad manum DEi hæc diſtribuentem; DEum in his & per hæc quære, lauda, glorifica, etiam parvo dato indignum te profitere; & eris contentus ac ſatur. Hoc te ſapiens docet (Prov: 13.) *Iuſtus comedit, & replet animam ſuam, venter autem impiorum inſaturabilis. DEUS replet in bonis deſiderium noſtrum, & ſatiat animam inanem* (Pſal: 102.)

3. In domo Regis ordinariè triplex eſt menſa. *Prima*, quâ inferiores miniſtri paſcuntur; *Secunda*, quâ Principes & miniſtri ſtatûs; *Tertia*, eſt menſa Regis & filiorum ejus. Ita in Domo DEi, qui eſt Rex magnus, infima menſa eſt, quâ corpora paſcuntur; hæc enim non ſolùm fidelibus, ſed etiam infidelibus; imò non ſolùm hominibus, ſed etiam brutis apponitur; de quâ (Pſ:144) *Qui das eſcam omni carni.* Et (Pſal. 135.) *Impleo omne animal benedi-*

ctione.

Tione. Quot ſunt volatila in àére, quot piſces in aquis, quot fructus in terra, tot ſunt hujus menſæ fercula, Cùm verò nos DEus hâc menſâ paſcat, ô quantum illi miniſtrare! quantum ſervire tenemur! ut ſatiemur. Eſt etiam alia in domo DEi, menſa *Euchariſtiæ*, quâ Principes DEi miniſtri paſcuntur, in qua apponitur *frumentum Electorum & vinum germinans virgines.* (Zach: 9.) In qua *Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſsionis ejus, mens impletur gratiâ.* (Antiph: Eccl:) &c. *Tertia* tandem menſa eſt in Regno cælorum, in qua, DEus ipſe ſedet, & nos filii DEi effecti ſedebimus. De qua Chriſtus (Luc: 22.) *Ego diſpono vobis Regnum, ut edatis & bibatis ſupra menſam meam in Regno meo.* Ibi verè ſaturabimur, juxta illud (Pſal: 36.) *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Nihil enim nobis deſiderandum reſtabit, cùm DEus oſtenderit, dederitq; nobis omne bonum. Hîc, ſtamus ſemper aut deambulamus; nihil enim hîc firmum aut ſtabile eſt; ibi verò æternùm firmùmq; ſedere nos faciet; ibi *requieſcemus, à laboribus noſtris;* (Apoc: 14.) ibi erit *convivium pingvium, medullatorum,* (Iſaiæ 25.) in quo pane vivo ſaturabimur.

SABBATO.

Colligite fragmenta, ne pereant.

1. ETiamſi Chriſtus ſit dives Paterfamilias; nam *gloria & divitiæ in domo ejus. & in manu ejus, ſunt omnes fines terræ Pſ: 111.* tamen ſimul ita eſt providus, ut non ſolùm notabilia panis fruſta, ſed etiam minutiora fragmenta jubeat colligi & aſſervari. Ego verò è contra, licet ita ſim pauper, ut omnium egeam rerum, dicereq; meritò poſſim cum Pſalm: (Pſ. 69.) *Ego verò Egenus & Pauper ſum,* tamen ita ſimul ſum prodigus, ut non ſolùm fragmenta, ſed etiam integra fruſta negligam colligere & aſſervare. An non fragmenta? an non notabilia ſunt fruſta? occaſiones actuum meritorum? ex quibus infinitos gratiæ Divinæ theſauros poſſem comparare, & tamen illas, fruſtra & ſinè fructu elabi patior. Plura fuerunt fragmenta, quàm integri panes; quia nimirum faciliùs hi proficiunt in virtute, qui minuta obſervant, quàm qui magna

gna tantùm agere contendunt. Valde magna facit, qui etiam minima non negligit.

2. Non flocci pendit Chriſtus fragmenta; quia in his divitiæ ipſius conſiſtunt. Nam quæ ſunt apud mundum viliora & abjectiora, ea ſunt apud Chriſtum glorioſiora, & ſublimiora. Paupertas, contemptus, ignominia, dishonor, ſunt clenodia, monilia, theſauri Chriſti; quibus ipſius aſſeclæ ornãtur & gloriãtur. *Mihi autẽ gloriari abſit niſi in Cruce D. N. I. C.* (ad Gal: 6.) *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* JESU, *contumeliam pati.* (*Act*: 5.) Iam te reflectas, quomodo tu has Divitias Chriſti, hoc eſt, Paupertatẽ & contemptũ obſervas. Integros requiris panes, & fragmenta negligis, imò aſpernaris & refugis. Potiora tibi dari de veſtitu, cibo, potu, habitatione affectas; deteriora aliis quamvis te longè dignioribus deberi præſumis. Primas ubiq; partes in officiis, muneribus, loquendo, diſputando, menſæ accumbendo, ad converſandum prodeundo exambis, & ſi aliquid tibi deterius ac vilius contingat, murmuras ac triſtaris. Hocciné eſt, fragmenta colligere? hoccinè cavere, ne theſaurus Chriſti diſſipetur ac pereat?

3. Quid fragmenta ſunt? niſi homines viliores & peccatis confracti, ac in nihilum pænè redacti, quos altâ opinione tumidi ac multùm de ſe præſumentes contemnunt, deſpiciunt, aſpernantur. Sicut deſpexit *Phariſæus Magdalenam*, (Luc: 7.) & alter *Phariſæus Publicanum*, (Luc: 18.) & alii *Zachæum*, (Luc: 19) &c. de his ergo Chriſtus admonet Apoſtolos: *Colligite fragmenta ne pereant.* Vos quoq; Apoſtolici ſucceſſores, eſtote Apoſtolorum imitatores in colligendis & corrigendis peccatoribus. Ad quid, vacuos Doctrinæ & eruditionis cophinos geritis? implete illos, his fragmentis, ne vacuis manibus coram veſtro Domino compareatis: alioqin ſi eos neglexeritis, peribunt quidem illi, ſed vos ſimul cum eis; quia DEUS *ſanguinem illorum de manu veſtra requiret*; (Ezech 3.) ac dicet: *Serve nequam ac infidelis, non fuiſti ſuper pauca fidelis, indignus es, ut te ſupra plura bona mea conſtituam.* (Matt: 25.) *Auferte ab illo mnam*, (Luc: 19.) quia per illam, nihil mihi lucri attulit.

DOMI-

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis, Ioan: 8.

1. His verbis ostendit Christus, Virum Apostolicum, & Evangelicum Doctorem, duas debere habere dotes; Doctrinam veram, & virtutis exemplum. ne ejus doctrina contemnatur. Et ideo appellatur *lux mundi, & sal terræ (Mat:5.)* Lux propter doctrinam, sal propter exemplum. Utrumq; hoc, se habere Christus ostendit; nam dum ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* en virtutis exemplum! Dum verò ait: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* en veritatem doctrinæ! Idē alibi dixit: *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent;* (Ioan: 15.) en doctrinam! Et: *Si opera in eis non feciſſem, quæ nemo alius fecit;* (Ioan: 15.) en exemplum! nam per opera, non solùm miracula, sed etiam pia facta intelliguntur. Unde concludit: *Nunc autem non habent excuſationem de peccato ſuo.* (Io: 15.) Noli sperare, ut aliquem fructum, verbis in proximo facias, si eis exempla desint. Verbum DEi tunc est *penetrabilius omni gladio ancipiti,* (ad Hebr: 4.) quando ex una parte, acutum est probitate vitæ, ex altera, doctrinæ integritate. Qui aliena peccata est comesturus, oportet, ut ipse sit propriæ jejunus culpæ. Supplicaturus DEo pro delictis populi, sit à suis immunis.

2. Videtur quidem subire contemptūs periculum Christus, cùm sanctitatem & innocentiam suam objicit linguis Pharisæorum, & Capitalium hostium Censuræ exponit; nam lingua maledica, omnium virtutum candorem contendit maculare, & infami aspergere notâ. Sed quia ille securus erat in conscientia sua, ideo ad tantam progressus est audaciam. Nam fortissimum, contra omnes adversariorum insultus, propugnaculum est, immunis à peccato conscientia. Neminem timet, quem sua conscientia non terret. Etiamsi nemo accuset, si propria, quem arguit

guit conscientia, se ipsum timere debet; quia peccatnm, seipsũ prodit, & suo authori crudelis est carnifex.

3. Sicut Crystallus perspicua, solaribus opposita radiis, splendidissima est, nec ullam admittit umbram; sic anima Christi, quia Divino lumine erat plenissima, haud potuit peccare. Nam inprimis Christus *plenus erat Gratiæ & veritatis*, (Ioan: 1.) quæ est incompossibilis cum peccato & falsitate. Deinde fuit præditus visione beatificâ, quâ vidit ipsius anima, omnem in DEo rationem boni, unde ab illo averti aut deflectere haud potuit. Tandem illa anima erat hypostaticè unita *Personæ verbi* cui omne peccatum repugnat. Unde illud, summo prosequitur odio. *Vix DEus in Angelis reperit pravitatem*, (Iob: 4.) statim eos ex cæli arce dejecit; & vas illud aureum, quia peccati virus continebat, confregit. Intravit peccatum in paradysum, continuo illud cum primis parentibus inde expulit. (Gen: 3.) Diffusum erat per totum terrarum orbem, statim illud, aquis diluvii obruit & eluit. (*Gen*: 9.) Cumq; post diluvium iterum invalescceret, ipsemet in Persona de cælo in terram descendit, ut regnum peccati averteret, illudq; aboleret sanguine suo. Quis jam in domum animæ suæ recipiat peccatum, quod tanto DEus odio prosequitur?

FERIA II.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

1. ESt quidem homo ex natura sua, propensus ad cognoscendam veritatem, ut pote à veritate DEi conditus; hinc dum illam invenit, multùm sibi in ea complacet, magnamq; ex illa reperta percipit animi voluptatem: ùt constat experientiâ in iis, qui studio mathematico dant operam; hi enim ubi aliquam veritatem, demonstratione certâ sunt assecuti, tantam inde sentiunt delectationẽ, ut se totos deinceps illi studio immergant, & ab exteriori sensuum usu feré alienentur. Tamen *Pater mendacii dæmon* facilè homini persuadet falsitatem, & faciliùs homo illius imposturæ credit, quàm magistro veritatis Christo, veritatem proponenti. Quia nimirum voluntas humana semel corrupta

rupta ac depravata inficit intellectum, ut veritati non assentiatur. Sicut enim unum membrum corruptum inficit aliud sibi vicinum; aut sicut primum mobile rapit post se inferiores orbes cæleſtes, etiam in contrarium tendentes; ita voluntas, omnes hujus *parvi mundi* nempè hominis vires inclinat, quò vult. Tantum est, vel semel peccasse! quia unus lapsus impellit ad alium. Vnum peccatum est causa alterius; eò quod propter illud destituatur homo specialibus DEi auxiliis, quibus privatus, ex uno peccato facilè decidit in aliud. Una ruina generat ei aliam; nisi ex illa, homo statim surgere conetur.

2. Quidnam est? quòd esto eadem *Veritas Prima*, omnia fidei mysteria æqualiter dixerit, aliquibus tamen assentimur facilè, aliquibus autem cum difficultate. Nam quæ, *Veritas Prima dixit*: *Deum esse unum in essentia, trinum in Personis*; Et: *Filium DEi esse incarnatum*; Et *Christum latere in Eucharistia*; eadem quoq; dixit: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* (Luc: 13.) Et: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* (Matt: 18.) Et: *Diligite inimicos vestros.* Et: *Benefacite his qui oderunt vos. Orate pro calumniantibus & persequentibus vos &c.* (Matt: 5.) Et tamen cùm mysteriis, primi generis facilè assentiamur, objectis alterius generis, nonnisi cum repugnantia & difficultate assentiri solemus. Quia nimirum illa objecta esto sint supra captum intellectûs nostri, non habent tamen annexam contrarietatem, sensualitatis ac voluntatis nostræ mortificativam, prout habent ista alia: hinc ea nolumus intelligere, ut benè agamus; hinc sæpè DEO dicimus, quod apud Iob c: 21. aliqui dicunt: *Recede à nobis, viam scientiarum tuarum nolumus*; hinc sæpè quærimus *Magistros prurientes auribus, & à veritate auditum avertentes, ad fabulas convertimur.* (2. Timot: 4.) Tanti est domare nostram sensualitatem voluntatemq; ab illa depravatam? quæ non permittit, *ut captivemus intellectum, in obsequium fidei*, & sciamus ea, quæ nobis scire expedit; vel etiamsi sciamus, adhuc illis refragemur in praxi, & præcipitemus nos in baratrum perditionis.

3. Sæpè Concionatores auditoribus, Prælati subditis, Confessarii Pœnitentibus veritatem dicunt, & tamen illis rarò creditur; quia hoc non apparet in ipso effectu, morumq; emenda-

tione. Porrò ordinariè non debet hoc devolvi, in culpam ipsorum auditorum, aut pœnitentium, prout tunc devolvi debuit, quando Christus veritatem Iudæis prædicabat; nam ex parte Christi, nihil defuit, unde illis meritò exprobrat: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si ergo veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Solùm ergo malitia Iudæorum in culpa fuit, quæ oculos illorum obcæcabat, & obturabat aures, *ut videntes non viderent, & audientes non intelligerent* (Luc: 8.) Sed hoc debet imputari improbitati docentium, & veritatem dicentium; *qui unâ manu ædificant, & alterâ destruunt,* (Eccl: 34.) unâ ad DEum auditores trahunt, & alterâ ab eo repellunt. *Multi enim loquuntur bona, sed ea non faciunt; detestãtur mala in aliis, seipsos autẽ negligunt in multis.* Tho: à Kẽ: *Unde dum cæcus cæco ducatũ præstat, ambo in foveã cadunt.* (Mat:15) *Nullum* (ait S. Gregorius,) *ab aliis majus præjudicium tolerat DEus, quàm à sacerdotibus; quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare, de se, exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.* Vide, an etiam te non afficiat hæc censura?

FERIA III.

Qui ex DEo est, verba DEi audit.

1. HAbet unaquæq; res, cibum sibi convenientem, adeoq; sapidum. Sic equo avena sapit; caro cruda leoni; homini panis. Iam attende, quali cibo, anima tua libenter vescitur? & inde agnosces, undenam illa sit? Nam si terrenis colloquiis libenter delectaris, filius es illius serpentis, cui dictum est à DEo: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Si autem verbo DEi cum gustu pasceris, si tibi sermones de cælo, de vita æterna sapiunt; signum est, quod sis Filius DEi, & hæres regni cælestis. Quanti æstimare debes tempus recreationi à Religione destinatum? quàm utiliter illud impendere? ibi enim pascere debes proximorum, animas, ut in vitam æternam saginentur; & pasci ab illis, ut augmentum & robur, ad vitam religiosè agendam, cavendaq; vitia accipias.

2. Dulce est cuiq;, de ea re, quam tenerè diligit, prolixè loqui & audire: Hinc illud apud Pœtam: *Navita de ventis, de bobus*

bus narrat arator; Enumerat miles vulnera, Pastor oves. Hinc peregrinus in aliena terra, libenter de sua Patria rumores audit, aut si in ea, infaustum aliquid accidat, mærorem inde ac tristitiam contrahit. Hinc sponsa ad sponsum suũ ait: (Can: 2.) *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Si libenter de DEo narrationes audis, apparet, quòd DEum diligas, & vicissim à DEo diligaris. Hinc libenter cum Samuele dicis. *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* (1. Reg: 3.) Et cum Psal: (Ps: 118) *Quã dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Si autem à veritate, auditũ avertis, & converteris ad fabulas, & mundanis avidè inhias nugis, evidens est, quòd mundum diligas; quòd cor tuum sit immersum terræ. Nã rectè *Augustinus ait: Talis quisq; est, qualis est illius dilectio: Si terram diligis, terra es; si cælum diligis, cælum es: Si DEum diligis; quid dicam? DEUS eris.* Iam vide, cum quali gustu auscultes lectionem, dum ad mensam prælegitur; Conciones & exhortationes, dum statis dicuntur temporibus; hinc enim statum animæ tuæ potes agnoscere.

3. Sicut hostis, dum arcem capit munitam, omnes ad eam occludit aditus, ne illam amittat; aut si miles Domino arcis inserviens, aliquâ parte in illam irrepit, continuò eum expellere conatur; ita cùm dæmon, alicujus occupavit animam, obstruit illi aures, ne per eas, verbum DEi ingrediatur, efficitq;, ut anima sit *aspis surda obturans aures suas, ne audiat vocem sapienter eam incantãtium*: (Psal: 57.) & ideo unam aurem ponit in terra, alteram verò caudâ obturat. Ita hi partim negotiis terrenis, partim arte dæmonis, ab audiendo verbo DEi avocantur. Et si aliquando audiunt, sic audiunt, quasi non audirent, quidquid eis dicitur de morte, judicio, inferno. Etiamsi *Giezi* posuerit baculum super puerum mortuum, tamen non revixit; (4. Reg: 4.) ita quamvis Concionatores ponant peccatori ante oculos, baculum iræ DEi, tamen ille non resipiscit, non auditur ex illius ore *vox Confessionis & laudis.* Non satis est verbum DEi audivisse, retinendum est in corde. nam *Beati qui audiunt verbum DEI & custodiunt illud.* (Luc: 11.)

FERIA IV.

Honorifico Patrem meum, & vos inhonorâstis me. Gloriam meam non quæro. Est qui &c.

1. ATroces calumnias acribus responsis non refellere, sed modestâ verborum æquanimitate sustinere, virtutis potiùs Divinæ opus est, quàm humanæ. Quàm immanis calumnia fuit, *Filio DEi* affingere & imponere, quòd fuerit *Samaritanus*, quòd habuerit *dæmonium*, & tamen quàm miti retunditur responso! *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum*; quòd utiq; dæmon non facit. *Vos autem inhonorâstis me calumniâ*; qui tamen sum DEus; atq; hoc facit dæmon. Profectò Christus hâc modestâ responsione, non unum é vulgo sese ostendit, sed sublimis prorsus animi ac ingenii Divini. Quàm longè absum ab hac tua patientia, mi JESU; vix verbum molestum audio, vix umbram mei adverto dishonoris, cùm subitò conturbor, excandesco, in verba indignationis erumpo. Qua profectò agendi patiendiq; ratione, vilem prodo indolem & abjectam virtutem præfero.

2. Quoties *soli DEo peccavi, & malum coram illo feci*; (Psal: 50.) quoties illi pro beneficiis, gratias non egi; quoties proximo, improbis moribus præbui scandalum; quoties bona aliorum opera in malam partem verti; quoties alienis talentis invidi; quoties ob humanos respectus, à tramite virtutis deviavi; quoties ob timorem, pudorem, teporem, id, quod futurum erat cum gustu Divino, prætermisi: toties DEum meum inhonoravi. Ah mi JESU! mori mihi priùs contingat, quàm à te posthac audire: *Tu autem inhonorâsti me.* Nam Tu innumeris ac infinitis modis me honorâsti; & in Creatione quidem, *Imagine tuâ*; in Redemptione verò, *sanguine tuo*; in Gubernatione & conservatione autem, *Curâ tuâ*; tandem in Baptismo, *Gratiâ tuâ justificante*; in Sacramento Pœnitentiæ, toties repetitâ ejusdem Gratiæ justificantis stolâ; ac demum in vocatione, tam sublimi Religionis statu, me insigniviisti ac decorâsti, amplissimèq; honorâsti. Quidni &

ego

ego spondeam sinceram tui honorificationem, ac strenuam promotionem tuæ gloriæ?

3. Omnia quidem DEus in potestatem dedit homini, juxta illud (Psal: 8.) *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* imò *sic DEUS dilexit mundum, ut ei, Filium suum Unigenitum daret.* (Ioan: 3.) Solam tamen gloriam excepit, eamq; sibi soli servavit, dicens: (Isaiæ 42.) *Gloriam meam alteri non dabo.* Tanti DEus facit Gloriam suam! Vult ergo, ut, sicut ipse in omnibus operibus suis, non alium finem habuit, nisi Gloriam suam; nam *omnia propter semetipsum operatus est Dominus;* (ad Cor: 12.) ita & nos in omnibus actionibus nostris, unicè intendamus & quæramus Gloriam DEi, eamq; illi, absit, ut furemur, rapiamus, denegemus, vel diminuamus; sed generosè dicamus cum Christo: *Ego non quæro gloriam meam.* (Ioan: 8.) Vel cum Psalmista: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* (Psal: 103.) Vel cum illo Deut: c. 24. *Totus labor mihi, tota utilitas proximo, tota gloria DEo.* Atq: hoc debet esse Lemma, omnis quidem hominis, præcipuè tamen Genuini *Societatis*, filii, quod *S. P. Ignatius* sibi præfixerat, *Ad M. D. Gloriam.* Quanta igitur felicitas mea, cui, ad Societatem, vocato & adscito, tantum DEus thesaurum concredidit! Sed jam vide ô anima mea, quâ fide, quâ integritate, illum quæras & tractes.

FERIA V.

Antequam Abraham fieret, ego sum. Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem.

1. Hic iterum Christus ostendit se esse verum DEum, dum immanibus appetitus injuriis, plura suis hostibus confert beneficia; aperiendo illis recondita mysteria. Si homo injuriâ afficiatur, satis est, quòd vindictam non exerceat, quòd contumeliam pro contumelia, pro contemptu contemptum non reddat: Sed ut doctrinam salutarem & beneficia largiatur; jam hoc, patientiam illius excedere videtur. Dicit enim: *Ab ingratis beneficia tolluntur.* Solius ergo Dei est, ut potè summé ac infinitè boni, ex aliorum malis, occasionem sumere, plura & plura conferendi

ferendi beneficia. Ille quippè *solus novit malum in bono vincere,* (ad Rom: 12.) nec permittere, ut sua bonitas vincatur à malo. Æmulare, quantum potes, ô anima mea, hanc DEi tui benignitatem; & non solùm, malum non redde pro malo, sed etiam pro injuria, beneficium & gratiam studè præstare. Nam omni quidem virtute, fidelem quemvis adeoq; Religiosũ ornari oportet, sed præcipuè patientiâ & mansuetudine, quâ omnibus, lenis & amabilis fiat; similis leni & mansueto *Iacob*; non feroci & agresti *Esau.* (Gen: 21.) Nam Christus Magister, hanc potissimùm virtutem à se discendam monet: (Matt: 11.) *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

2. Non dicit Christus: (Ioan. 8.) *Antequam Abraham fieret, ego sui,* sed: *Ego sum.* ut significaret, se illum esse, qui cùm apparuisset in Rubo Moysi, & is ex illo quæreret: *quod est nomen tuum?* respondit: *Ego sum qui sum.* (Exod: 3.) Quasi ulteriùs diceret: Si Abrahamum tanquàm Patrem vestrum honoratis, quia ab illo ducitis originem, multò magis me honorare debetis, qui sum Patris vestri Abrahæ DEus, *Principium primum, Conditor, Creator; qui à meipso sum,* (*DEus enim Ens à se*) à nemine dependeo, à me autem & Abraham & vos omnes dependetis. Existat in mundo aliquis Rex, multarum Provinciarum Dominus, qui postquam in illis regnavit annorum 3. millibus; adhuc tamen aliis 3. millibus annorum esset victurus, & regnaturus certò, haberetq; hujus tantæ suæ durationis firmissimas patentesq; rationes; quanto is honore à suis coleretur subditis? hinc forté illi Potentes, qui ante diluvium, pluribus annorum centenis vixerunt, honores Divinos, apud rudem vulgi posteritatem, adepti sunt. *Rex ille seculorum, immortalis est,* à parte antè, & à parte post æternus. *Semper idem ipse est & anni ejus non deficiunt.* (Psal: 101.) Semper verissimè dicit *Ego sum.* Quanto igitur honore, quantâ reverentiâ, à nobis vermiculis colendus?

3. Diem Passionis, Christus hîc appellat diem suum, quem tunc Abraham, Deo revelante vidit, cùm in eodem monte, in quo Christus fuit Crucifixus, immolaret Filium suum. Gavisus verò est, quia visâ Christi Passione & Cruce, vidit altare, super quod, posset homo, acceptum DEo Patri offerre sacrificium, à

quo

quo, omnibus operibus nostris participatur valor & meritum; nam antiqua Sacrificia, ex se, nihil habebant Deo gratum. Unde ajebat: (Ierem: 6) *Ut quid mihi thus de Saba offertis? holocausta vestra non sunt accepta.* Hinc Christus ad Patrem ait: *Sacrificium & oblationem noluisti, Corpus autem adaptàsti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulàsti; tunc dixi: Ecce venio.* (ad Hebr: 10.) Sacrificium ergo Christi, infinitè gratum Patri fuit, & adeò gratum, ut quidquid super idem altare, simul cum Christi Sacrificio, oblatum fuerit, acceptum illi sit futurum. Hoc altare expetebat Psalmista, super quod, mundus accepta Sacrificia Deo offerret: *Benignè fac Domine in bona voluntate Sion, ut ædificentur muri Ierusalem. Tunc acceptabis Sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum, vitulos.* (Psal: 50.)

FERIA VI.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum.

1. PRomptiores sumus ad malum, quàm ad bonum; paratiores ad nocendum, quàm ad benefaciendum. Si necessitas ursisset Iudæos, ut tollerent lapides, & ferrent eos ad construendum vel reparandum templum DEi, certè pedem non movissent, non se inclinâssent, nec manum porrexissent ad opus. Nunc autem, dum Christo est nocendum, dum innocens feriendus, ultrò se ad saxa proripiùnt. Petit *Aaron* à Iudæis, (*Exo:* 32.) inaures aureas, elenodia, monilia, ut vitulum conflatilẽ faciat, & continuò ejus imperatis obediunt, aurum & argentum in copia comportant, ut illa ad idolum conficiendum suppeditent. Cùm verò Prophetа diceret: *Tempus est domùs Domini ædificandæ*, illi ajunt: *Nondum venit hoc tempus, & ligna ac lapides nolebant in Domum Domini deferre.* (Aggæi 1.) Sic ad nugas, ad scurrilitates, ad bibendum, ludendum, iocandum, satis nobis temporis suppetit; noctes diesq; huic idolo impendimus & consecramus; jam verò ad orandum DEum, ad conscientiam discutiendam, ad invisendum infirmum, ad exercenda pietatis opera, deest tempus; horæ unius spatium longum & molestum videtur.

2. Barbara prorsus fuit Iudæorum ingratitudo. Christus illis

dat mollia & suavia responsa, illi autem duros reponunt lapides. Christus doctrinâ salutari, animas ipsorum pascit, illi autem aspera & nocentia saxa, in Corpus ejus jacere parant. Dæmonis planè ingenium, hi induerant: Siquidem ille, Christum famelicum, locò sapidorum ferculorum, lapidibus tractabat; ita hi, locò gratiarum actionis, Christo lapides apponunt. Exprobrat illis, hanc ingratitudinem Moyses dicens: *Hæccine reddis Domino tuo, populе stulte & insipiens* (Deut: 32.) Sed quid ego Iudæos incuso? cùm in me, similis reperiatur ingratitudo erga Christum. Ille namq; pro me non solùm, vitam suam periculo exposuit, sed etiam illam libenter tradidit; & ego illum *rursus peccatis meis Crucifixi & occidi*: (ad Hebr: 6.) Ille manus suas pro me obtulit ad crucifigendum, ego autem extendi manus meas ad illius manus perforandas. Laxavi pedes meos, ut currerent, contra eos, qui pro me confixi sunt. Cor meum aversatum est illius cor, quod me usq; ad mortem dilexit, & lanceâ pro me, vulneratum est.

3. Semper in deterius, depravata malitia proficit. In dura primò verba eruperunt contra Christum Iudæi. *Samaritanus es, Dæmonium habes.* Nunc jam prorumpunt etiam ad duriores lapides & saxa. Tanta aliquando debetur Personæ alicui reverentia, ut etiamsi illa lacessat injuriâ, non audeat lacessitus in eam insurgere: ùt quando Pater impetit filium, aut Rex suum subditum. Cui major debebatur reverentia quàm Christo? is non lacessebat, sed modestissimè Iudæos erudiebat, viamq; veritatis edocebat, & tamē ipsi tanquam phrenetici in eum insurgunt, & lapides corripiunt. Variis modis vult apud me, DEus conciliare sui reverentiam; tum mollibus, tum duris, tum solatia dando, tum afflictiones ac molestias permittendo. Estnè in me, debita hæc reverentia? An ego in faciem illi non recalcitro? an ad murmura, contra ipsum veluti ad lapides me non proripio? *Tibi soli peccavi & malum coram te feci.* (Psal: 50.)

SABBATO.

IESVS autem abscondit se, & exivit de templo.

1. Vide magnam Salvatoris patientiam & longanimitatem Po-

Poterat de illis adversariis vindictam statim sumere; poterat illos excæcare, sicut *Elizeus* (4. Reg: 6.) aut igne de cælo delapso consumere, sicut *Elias*; (4. Reg: 1.) aut *Sathanæ* possidendos tradere, sicut fecit *Paulus*; (1. ad Cor: 5.) aut repentinâ morte plectere, sicut *Ananiam & Saphiram Petrus*; (Acto: 5.) nihil horum. Cedit furiæ illorum, abscondit se, de templo exit. Planè hîc se ostendit filium David, cui cùm *Semei* malediceret. (2. Reg: 16.) & lapides contra eum mitteret, terramq; spargeret, ille, hoc patienter tulit, & *Abisai* Ducem volentem, illum occidere, prohibuit. (2. Reg: 20.) Tali patientiâ & longanimitate, etiam erga me nunc utitur DEus. Posset me toties propter peccata mea perdere, sed dissimulat propter pœnitentiam; ego insanio, & ille abscondit se à furore meo insano, recondit gladium in vaginam suam, prohibet Angelos, aliasq; creaturas, ne sumant de me vindictam. At ego quali patientiâ, erga proximum, in me, delinquentem utor?

2. Gravissima pœna est, si alicui DEus, faciem suam abscondat. Hoc testatur *Canticum Moysis*, in quo cùm recensuisset multa & magna beneficia, quæ DEus populo suo contulerat, tandem etiam enumeravit peccata, quibus Deum offenderat & ad iracundiam provocaverat. Quam verò DEus pœnam illis comminatur? Non aliam, nisi hanc: *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum.* (Deut: 31.) Sicut ergo, quando sol eclypsatur, totus orbis est in squallido luctu, & plurima nocumenta Universo inde proveniunt; Ita fit, quando DEus à peccatore abscondit faciem suam, quando illi subtrahit internas illustrationes, ac salutaria lumina, quibus illustratus videre possit miserum statum suum, ut ab eo recedat. *Ergo DEus misereatur nostri, & benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostrî.* (Psal: 66.) *Ostende mihi Domine faciem tuam,* (Exod: 33.) *Sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* (Can: 2.) *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me,* (Iob: 14.) quàm ut abscondas coram me faciẽ tuam. *Signatum est super me lumẽ vultûs tui Domine.* (Psal. 4.) Rogo igitur, ut non eclypsetur in me, tum in hac vita, per subtractionem donorum tuorum, tum in altera per carentiam visionis beatificæ. *Malo ut interficias me, quàm*

ut non videam faciem tuam. (2. Reg: 14.)

3. Quod alibi Christus verbis erat comminatus dicens: (Mat: 23:) *Relinquetur vobis domus vestra deserta;* hoc, modo, re ipsâ exequitur, dum se abscondit & *exit de Templo;* quasi diceret: *Curavimus Babylonem, curavimus Hierosolymam, & non est sanata. derelinquamus eam:* (Ierem: 51.) *Ab ingratis beneficia tollantur.* Solent illi, qui ex arcu jaculantur, paululum à meta recedere, ut fortiùs feriant ac potentiùs telum infigant, nam si de propè jacularentur, non adeo fortiter sagitta feriret. Similiter Psalmista de peccatoribus loquitur: quòd, *nisi conversi fuerint, DEus contra illos, arcum suum tetendit, & paravit illum, & posuit in eo, vasa mortis:* (Ps:7.) Ut ergo illos ex hoc arcu fortiùs feriat, & potentiùs vulneret, recedit ab eis, *Exit de templo,* ut deinde in eo, sagittas suas evibret, eosq; sanguine illorum inebriet. Non punit illos in hac vita, parcit illis, dat ipsis abundantiam rerum temporalium, habent prosperos successus in suis negotiis. Sed ad quid hoc? ut fortiùs deinde feriat & puniat, vel in fine vitæ, vel (quod calamitosius longè est) in altero seculo. *Non me derelinquas usquequaq;* (Psal: 118.) *Ne derelinquas me, cùm defecerit virtus mea.* (Psal: 70.) *Hic ure, hic seca, hic nihil mihi parcas, dummodò in æternum parcas,* S. Augustin: *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne auferas à me.* (Psal: 50.)

DOMINICA PALMARUM
SEU
HEBDOMADA SANCTA.

Septem modi Recolendæ Passionis Christi proponuntur.

DIE DOMINICA.

PRIMVS MODVS

Excitans in nobis Affectum COMPASSIONIS.

1. EXpende: Quisnam sit ille qui patitur? Est verus DEus &

Ho-

Homo. Ut ergo *DEUS, est Æternus, Immensus, Sapientissimus, Potentissimus, Optimus &c.* de quo scriptum est, (Psal. 47.) *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* Et (Psal: 144.) *Magnus Dominus, & magnæ virtus ejus, & magnitudinis ejus non est numerus.* Ut verò *Homo,* est è Regio stemmate, è purissima & Sanctissima *Virgine* natus, Spiritûs S. virtute conceptus, *Speciosus formâ præ filiis hominum,* (Psal:44.) *in quem desiderant Angeli prospicere,* (1. Petr: 1.) *Agnus innocens, absq; macula,* quo non alius fuit unquam Sanctior, castior, amabilior, humilior; in cujus anima residet plenitudo gratiæ, & omnium bonorum spiritualium, quæ, mente possunt concipi. 2. Est magnus ille amator Hominum, qui se totum ad benefaciendum nobis impenderat, cælestes doctrinas, monita salutis, innumeras sanitates tum animæ tum corporis, hominibus conferendo, adeoq; factus nobis *Pater, Magister, Medicus, Redemptor, Pastor, Sponsus* animarum nostrarum. qui se intimè in præcordia nostra in Sanctissimo *Eucharistiæ* Sacramento insinuat.

2. *Expende:* Quid patitur, in *Corpore, in Anima, in honore, in Fama,* in rebus externis? In Corpore, tenerrimæ complexionis & subtilissimæ educationis, patitur quoad omnes articulos & omnia membra, ita, ut verè impletum sit: (Isaiæ 1) *A planta pedis usq; ad verticem Capitis, non est in eo sanitas.* Hîc jam oculos defige in illa vulnera, livores, tumores, sanguinea foramina, lacerationes, luxationes. Vide caput, mille profundis vulneribus perforatum, faciem pugnis contusam, sputisq; fædatam, oculos lividos, labia tumefacta, emotos dentes, vellicatam barbam, evulsos crines, aures spinarum aculeis laceratas, & à capite abstractas, fractas nares, guttur fune discerptum, fauces felle & aceto potatas, humeros flagris & virgis laceratos, manus ac pedes clavis perforatos, latus lanceâ confossum, pectus disruptum, ventrem emarcidum, genua lassata, quassata crura, totum deniq; corpus vulneratum, lividum, exangve, emortuum. Percurre insuper omnes corporis sensus. *Oculi* cruciabantur visis subsannantium actibus & gestibus; & è contra lacrymis, ipsum amantium; sed & sputis erant deturpati, ac sanguine ex capite defluente, oppleti; nec non propriis lacrymis exesi. *Aures* erant exulceratæ ab horrendis blasphemiis, falsis testimoniis, indignissimis accu-

sationibus, ad crucem postulationibus, subsannationibus, illusionibus, derisionibus. *Odoratus* à carceris nocturni, & calvariæ graveolentia. *Gustus* à siti ardenti & oblato in solatium aceto cum felle mixto. *Tactus*, per totum corpus, à funibus, fustibus, flagris, spinis, clavis.

2. *In anima verò* patitur maximos internos dolores, mærores, pavores, tædia, anxietates; primò quidem ob acerbissimos corporis dolores, qui usq; ad animam ejusq; potentias penetrabant ac redundabant. Deinde ob illum doloris gladium, qui castissimum Virginis Matris suæ pectus configebat. Item ob Petri vicarii sui negationem; ob Iudæ proditoris desperationem & suspensionem, ob aliorum discipulorum fugam & incredulitatem, ob mulierum devotarum mærorem & lacrymas. Deniq; ob prævisam damnatorum multitudinem, & graviorem eorum condemnationem, propter ingratitudinem, tantò majorem, quantò plus pro illis patiebatur. Prodidit magnitudinem, internorum dolorum, sudor sanguineus, mæstissimam agoniam causans; quòd nec in martyribus, nec in ullo alio unquam contigit. Ipse enim omni consolationum generi, ostium clausit, & omnium generum pœnis, aditum patefecit, *ut copiosa esset nostra Redemptio.* (Ps:129) *In Honore*, passus est omne genus contumeliarum, irrisionum, illusionum, à latronibus, carnificibus, militibus, Pharisæis, Scribis, Principibus Sacerdotum, ab Herode, totâq; ipsius aulâ, sibi, inflictarum. *In Fama*, quia traductus fuit quoad virtutem; unde habitus pro *Samaritano*, possesso à dæmone, *seductore*, vorace, vini potatore, blasphemo, & reprobo. Deinde quoad *Sapientiam*; unde habitus fuit pro idiota sinè literis, furioso, stulto. Tandem quoad *miracula*; unde reputatus erat *Impostor*, *Magus*; & quod in *Beelzebub ejiceret dæmonia* (Ioan: 8.) unde tanquam latronum Princeps crucifixus est in medio latronum, in loco infami, die festivitatis. Tandem patitur *in Rebus externis*; ut vestibus, quibus erat spoliatus, partientibus sibi illas crucifixoribus, unde nudus erat Crucifixus. Deinde *in Amicis*, vel quia ab eis desertus fuit, vel quòd illorum vicem, præsertim Matris valde doleret.

3: His ita consideratis, varia institues colloquia, affectum Compassionis excitantia. *Inprimis ad Patrem æternum*, dicendo: ô

Pater

Pater æterne *respice in faciem Christi Filii tui*, sic deturpatam, & miserere mêi. Cur non compateris unico tuo; quare illum dereliquisti, in manibus tot inimicorum, ac tot ærumnarum. *Deinde ad ipsum Filium*, variis eum compellando titulis, e. g. O sol justitiæ, quomodo eclypsatus es? O pulcherrime flos, quomodo emarcuisti? ô aurum pretiosum, quomodo obscuratum es? *mutatus est color tuus optimus?* (Th:4.) ô Lumen oculorũ nostrorũ, quomodo es obtenebratum & extinctum? Doleo super te, Pater mi, frater mi, sponse mi, dulcis JESU, *Sicut doleri solet in morte unigeniti.* (Zach:10.) *Tum ad Beatissimã Virginem Mariã*, illis Ecclesiæ verbis: *Eia Mater fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam. Fac ut ardeat cor meum in amando Christum Deum ut sibi complaceam. Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas, cordi meo validè &c.* Tum ad Angelos, invitando illos, ut amarè fleant super Rege & capite suo. Tum ad cælos, solem, lunam, stellas, Elementa, volatilia, Animalia, hortando, ut condoleant Creatori suo. *Demũ ad Animam propriam, & omnia corporis membra*, ut lugeant super deformatis, afflictis, emortuis membris Christi.

FERIA II.

SECVNDVS MODVS

Excitans affectum Compunctionis de Peccatis nostris.

1. PErcurre breviter: Quidnam Christus passus fuerit in *Horto?* Quid in domo *Caiphæ?* Quid apud *Pilatum, Herodem*, ad Columnam, in Atrio, in Crucis baiulatione, in monte *Calvariæ?* Tum interroga: Quisnam horum Cruciatuum fuerit causa? quidnam Christum permoverit, ut pateretur talia? Audi ergo Patrem æternum, per Prophetam Isaiam, dicentem: c. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Audi eundem Prophetam in persona hominum loquentem (cap: 53.) *Posuit in eo Dominus, iniquitates omnium nostrum. Vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra.* Tu autem, id totum, quod Salvatorem perpeti vides, cogita propter tua ipsius scelera pertulisse. Nam

etsi

etsi pro omnibus mortuus est, æquè tamen pro te solo mortuus fuisset, si tu solus peccâsses, è pio multorum sensu.

2. Cùm itaq; meditaris, eum sudâsse sanguinem, reputa, illum scelera tua ex eo expressisse. Tua licentia nimia ligavit eum; tua superbia conspuit atq; despexit; tua luxuria flagellavit; tua avaritia spoliavit; tua gula, felle & aceto potavit; tua invidia ad Crucem postulavit; condemnavit, & in Crucem egit; tua ira, Iudæorum iram & furorem, contra illum acuit; tua acedia fatigavit. Unde per Prophetam queritur: *Laborare me fecisti in peccatis vestris.* (Mal. 2.) Tua deniq; peccata circumdederunt illum, veluti *canes multi, & veluti tauri pingues obsederunt eū.* (Ps: 21.) Cõverte hîc sermonem ad Patrem æternum: Deprecare illum, quòd ipsius Filium, peccatis tuis tam indignè tractaveris. Accusa stultitiam & malitiam tuam. Roga, ut in te potiùs convertatur furor ejus. Dole de commissis peccatis. Abominare, Detestare, Execrare illa, dic: *Miserere mei DEus &c.* (Psal: 50.) *Tibi soli peccavi & malum coram te feci*, quando in oculis tuis Christum crucifixi.

3. Imaginare, acsi videres: Christum spinis coronatum, arundinem in manibus vinctis tenentem, purpureo vestimento indutum, à *Pilato* præsentari ex suggestu Prætorii & dici: *Ecce Homo!* Quod dum audis, reputa Salvatorem tuum, in hac flebili figura, eadem verba, tibi dicentem & exprobrantem: *Ecce Homo!* quomodo me tractâsti? quomodo cruciâsti? hoc, tua fecit ingratitudo. Hoc audiens, converte sermonem ad Christum, lamentando & dolendo de tua ingratitudine; accusando tuam proterviam & pervicaciam, quàm sine intellectu fueris, quàm mente captus exstiteris, quando, ut tuæ brevissimæ & fædissimæ satisfaceres voluptati, ita malè Dominum tuum tractâsti; & dicas ad illum ex intimo corde: Heu *Domine IESU!* quomodo has manus, quas tu formâsti, hanc linguam, quam tu finxisti, hoc corpus, quod tu plasmâsti, hanc animam, quam tu mihi inspirâsti, potui in mei Creatoris offensam & contumeliam convertere? Deinde alloquere singula membra, & singulas potentias tuas, factâ collatione offensarum DEi, per illa commissarum, & beneficiorum ex membris Christi perceptorum, in hunc modum.

Heu

Heu oculi mei! quomodo vos potuistis resolvere, ad aspectus inhonestos? quando pro vobis oculi Christi, lacrymis & sanguine sunt perfusi. Heu lingua mea! quomodo te ad detractiones, contentiones, &c. convertisti? quando lingua Domini mei pro te toties precata est. Et sic ad aures, os, manus, caput, cor, pedes, & reliqua, prout devotio postulabit. *Anima Christi &c.*

FERIA III.

TERTIVS MODVS

Excitans affectum Imitationis, earum virtutum, quæ in Christo eluxerunt tempore Passionis.

1. AUdi S. Petrum dicentem: (1. Pet: 2.) *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Audi & ipsum Christum monentem: (Matt: 11.) *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* (Ioan: 13.)

2. Percurre singulos passionis Christi articulos, ita, ut in unoquoq;, illud tantùm consideres, quænam ibi virtus potissimùm exerceatur, & quomodo, & quousq;? Et cùm aliquam virtutem intueris, vide, an in te aliquid illius reperiatur; an verò contrarium vitium in te regnet. Quodsi adverteris, erubesce, horre peccatum illud, ad amorem illius virtutis accendere, illam instantissimé pete. Resolve te ad illius praxim, in tali occasione, loco, tempore. e. g. Dum Christum in Horto contemplaris; Intuere ipsius orationem, qualis sit, quàm fervens, quàm reverens, quàm prolixa: Et tua qualis? Intuere Resignationem heroicam in voluntatem Patris: Et in te qualis? Intuere animosam fortitudinem, eundo obviam hostibus: Et tua qualis? Intuere mansuetam suavitatem in alloquendo hostes: Et tua qualis? Idem de domo *Annæ, Caiphæ*, de Prætorio, de aula *Herodis*, de columna, de *Calvaria* &c.

2. Quia immensum pelagus virtutum Christi non potes cogitatione tuâ comprehendere, accipe illas considerandas & imi-

tandas, quæ ſtatui tuo magis congruunt, & quidem cum actibus earum propriis, opponendo eos, actibus vitiorum oppoſitorum in te reperibilium. e. g. Humilitatem, charitatem fraternam, Paupertatem, Caſtitatem, Obedientiam, Silentium, Patientiam, Miſericordiam, Abſtinentiam: Et applica illas ad Chriſtum Crucifixum, quomodo in eo relucent? Videbis ergo ibi *Humilitatem ſummam*, per quam, factus eſt *non Homo ſed vermis; opprobrium hominum & abjectio plebis.* (Pſal: 21.) Erubeſce igitur tuam ſuperbiam. Videbis *Charitatem* ſummam, cùm non tantùm pro amicis, ſed etiam pro inimicis, quorum tu primus es, mori dignatus eſt. Erubeſce, qui nec fratribus quidem exhibes debitam charitatem. Videbis *Paupertatem* ſummam, ſiquidem nudus in Cruce pendet, *non habet ubi caput reclinet.* (Luc: 9.) Erubeſce, in te, amorem tot commoditatum. Et ſic de aliis virtutibus.

FERIA IV.

QVARTVS MODVS.

Excitans affectum Gratiarum actionis, pro ſingulis beneficiis, in ſingulis Paſſionis articulis, nobis, exhibitis.

1. EXpende, Ingratitudinem eſſe tale vitium, quod exſiccat fontem miſericordiæ Divinæ; quia non eſt dignus donis accipiendis, qui non eſt gratus de acceptis. Cùm ergo beneficium Redemptionis ſuperet omnia alia Beneficia, ideo illud, majori gratiarum actione coli à nobis debet. Docent nos, iſtam gratitudinem 24 Seniores, qui ſtantes ante thronum Agni occiſi, deponunt de ſuis capitibus diademata, eaq; ad pedes Agni ſternentes, cum reverentia dicunt: (Apoc: 5.) *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere honorem, virtutem, & benedictionem.*

2. Percurre meditando præcipuos articulos Paſſionis Chriſti; ùt ſanguineum ſudorem, orationem, comprehenſionem, ante Annam & Caipham ſtatuitionem, flagellationem, ſpinarum Coronationem, ad mortem Crucis poſtulationem, Crucis bajulationem, Crucifixionem, fellis potationem, Agoniam, & poſt ſingulos articulos ſubjungas: *Gratias tibi ago Domine JESU Chriſte, quia*

pro me

pro me indignissimo peccatore, hoc vel hoc dignatus es pati: da mihi quoq; ut & gratus sim tuæ majestati, & possim ego quoq; aliquid pro tuo amore pati. Potes etiam illos Ecclesiæ actus subjungere: *Gloria in excelsis DEo pro me e. g. Sanguinem sudanti, Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi &c.* Potes insuper illis Cantici verbis uti: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite Angeli D. D. &c.* (*Dan: 3.*) Potes tandem cum Psalmista dicere: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me &c.* (Psal: 102.)

3. Potissimùm autem agendæ sunt Gratiæ, pro istis beneficiis. 1. Quia nos *Patri æterno reconciliavit,* (ad Rom: 5.) 2. Quia *animas nostras sibi desponsavit.* 3. Quia nos *Templum Spiritûs S. effecit,* 4. Quia nos *à peccatis in sanguine suo lavit.* (Apoc: 1.) 5. Quia in nobis, imaginem suam, peccatis deformatam reformavit. 6. Quia nos à potestate diaboli eruit. 7. Quia nobis cælum aperuit, 8. Quia nos Angelis coæquavit. 9. Quia nobis, jus ad regnum cæleste acquisivit. 10. Quia nobis in Passione sua, tribunal justitiæ, commutavit in tribunal misericordiæ, ubi remittuntur nobis debita, & opera nostra redduntur vitæ æternæ meritoria.

FERIA V.

QVINTVS MODVS.

Excitans affectum Gratulationis, mirabilium fructuum ex Passione Christi provenientium.

1. GRatulare & benedic DEo Patri, pro pretiosa Christi Filii sui Passione, quòd in ea eluxerit mundo, immensa ejus illa charitas, de qua ipse Christus ait: (Ioan: 3.) *Sic DEus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Quòd patuerint viscera misericordiæ illius, de quibus Canticum Zachariæ: (Luc: 1.) *Per viscera misericordiæ DEi nostri, in quibus visitavit nos, Oriens ex alto.* Quòd, qui antea solùm *in Iudæa notus erat DEus,* Ps: 75. nunc pæne in toto terrarum orbe agnoscatur, prædicetur, laudetur: & qui antea terribilis habebatur, nunc ab omnibus appelletur: *Pater misericordiarum, & DEus totius consolationis.* (2. Cor: 1.)

2. Gratulare Filio, quòd per Passionem suam exactissimè impleverit voluntatem Patris sui; quòd *copiosam nobis redemptionem sit operatus;* (Psal: 129.) quòd eximiam sibi laudem & gloriam conciliaverit; ut testatur D. Paulus: *Propter quod, DEus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU &c.* (ad Phil. 2.)

3. Gratulare & *Spiritui S.* quòd, cùm vix priùs locum inveniret in orbe, vel Personam, super quam requiesceret, post Passionem Christi, copiosè se *diffuderit,* & hucusq; *diffundit, per corda credentium,* (ad Rom: 7.) atq; mirabilia per Sanctos ac in Sanctis operatur.

4. Gratulare *Deiparæ Virgini,* quòd acerbissimi ejus dolores jam sint finiti; quodq; per hoc meruerit exaltari *super Choros Angelorum ad cælestia regna,* & considere ad dexteram glorioſissimi Filii sui, & *beata prædicari per omnes nationes.* (Luc: 1.)

5. Gratulare Angelicis Spiritibus, quòd per Passionem Christi, reparatum ac restauratum sit Sacratissimum illud Collegium, olim per Luciferum devastatum, quodq; impletæ sint illæ sedes, à quibus, qui ab initio superbiérant, detrusi sunt.

6. Gratulare & humano generi, quòd per Passionem Christi, ea recuperaverit, quæ per peccatum Adæ amiserat; quòd reserati sint illi cæli, & datum, esse æquales, Angelis Dei; ut ex illorum & nostro, fieret *unum Ovile & unus Pastor. Bonus ille Pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis,* (Ioan: 10.) *quiq; relictis in cælo 99.* venerat in has terras, *quærere Centesimam, quæ male perierat.* (Mat: 18.)

FERIA VI.

SEXTUS MODUS.

Excitans affectum Amoris Divini, erga SS. Trinitatem præcipuè erga Crucifixum.

1. EXpende, quòd nullâ aliâ re, magis conciliatur Amor, quàm Amore. Sicut enim hæc vocula *Ama,* est reciproca; nam eundem sensum reddit, eundo retrò, quem faciebat à fronte; ita, dum Amor ab amante tendit ad amatum, rursus ab eodem

eodem amato redit ad amantem, tanquam per reflexum. Percutit sol, radio suo bene limatum clypeum, hic vicissim, reflexum illum radium evibrat in solem, prout fert ejus capacitas. Ita fit in mutuò amantibus; ùt constat per experientiam.

2. Expende istum Amorem non consistere in verbis, sed in rebus; juxta illud: (Ioan: c. 1.) *Filioli mei, non diligamus verbô neq; linguâ, sed opere & veritate.* Huc etiam spectat illud Christi: *Si diligitis me, mandata mea servate.* (Ioan: 14.) Et rursus illud: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me.* (Ioan: 14.) Amor ergo consistit in rebus seu operibus, per quæ, amans communicat bona sua, amato.

3. Ut ergo in te accendas amorem DEi, expende, quomodo ille te amaverit? Vide inprimis, quomodo te amaverit Pater æternus? ita te amavit, *ut Filium suum unigenitum dederit;* (Io: 3.) & quidem ad mortem turpissimam & supplicia atrocissima ùt testatur ipse Filius: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* (Ioan: 3.) Et Apostolus clamat: (ad Rom: 8.) *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Vis agnoscere amoris hujus magnitudinem, perpende magnitudinem doni, & non dubitabis illum fuisse inæstimabilem. Deinde expende, quomodo te amaverit Filius? *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (Ioan: 15.) Quidsi illam ponat pro inimicis? Filius autem DEi, animam suam posuit, non solùm pro amicis, sed etiam pro inimicis; imò pro te inimicissimo, qui illum, in te, gravibus peccatis quotidie crucifigebas. Tibi, qui illum adeò indignè tractabas, *se dedit nascens socium, convescens in edulium, moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Hymnus Eccl: 1. Tandem cùm Spiritus S. sit *consubstantialis amor Patris & Filii,* quomodo dubitabis ipsum quoq; te dilexisse? ille cooperatus est ad Incarnationem Filii DEi; ille diffudit se in ora Apostolorum Evangelium prædicantium, & in corda hominum credentium; ille sanctificavit aquas baptismi, & in reliquis Sacramentis diffudit suam virtutem, sanctificando eos, qui illa digné percipiunt; ille deniq; postulat pro nobis, *gemitibus inenarrabilibus,* (ad Rom: 8.) ne Passio Christi sit in nobis vacua. Vide igitur, quàm verum sit, quod per Hieremiam

DEus dicit: cap: 31. *Charitate perpetua dilexi te, & ideo attraxi te, miserans tui.* Istæ sunt illæ *sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* (Psal: 119.) Exsuffla igitur in hos carbones, donec in te producant purissimam amoris Divini flammam; nihil enim gratius, tanto amori potes reddere, quàm ipsum amorem. Hoc à te exigit DEus dicens: (Prov: 23.) *Fili præbe mihi cor tuum.* Et *Diliges D. D. tuum ex toto corde.* (Luc: 10.)

4. Si ampliùs vis, amore isto accendi, intuere vulnera Domini tui; nam illa sunt veluti fornaces ardentissimæ ejaculantes flammam Divini, in te, amoris. *Respice in Faciem Christi tui,* (Ps: 83.) & videbis, illam esse, veluti magnetem, qui cor tuum, licet ferreum, & durum ac frigidum in sui amorem trahit. *Pedes* illius ideo sunt clavis affixi, ut intelligas, quia te non fugient, nec te repellent à se, si accesseris. *Brachia* illius ideo sunt extensa, quia parata sunt ad tui amplexum. *Caput* ideo *inclinatum*, ut ab illo accipias osculum pacis. *Latus* ideo lanceâ apertum, ut habeas patens ostium, per quod ad cor suum possis intrare. Quid aliud potuit facere Dominus, ut te, in amorem sui attraheret, & non fecit? quidq; aliud à te exspectat, præter amorem? *Concalescat* igitur *intra te cor tuum, & in meditatione tua exardescat iste ignis amoris Divini.* (Psal: 38.) Ab aliis quidem Christus debitis te liberavit, sed hoc tributum tibi reservavit perpetuò, ut in altari cordis tui, semper ardeat ignis Amoris Divini, de quo, ipse dixit: (Luc: 12:) *Ignem veni mittere, in terram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Porro pabulum istius ignis sunt, Crux, lancea, clavi, arundo, spinæ, flagella, & alia Passionis Dominicæ insignia.

SABBATO.

SEPTIMVS MODVS.

Excitans affectum Gaudii de magnis commodis, ex: Passione Christi manantibus.

1. GAude & exulta, quia per pretiosam Christi passionem, è servitute diaboli es redemptus, Deo reconciliatus, liberatus ab ignominia culpæ, à morte æterna ereptus.

2. Gaude & exulta, cùm videas, ita te à DEo tuo diligi, ut *animam suam pro te*, cùm esses ipsius inimicus, *posuerit*, quo nullum majus Amoris argumentum potest ostendi. Quis enim non gaudeat? Si viderit, se ita à suo Rege diligi, ut is paratus sit pro illo mori. Ecce *Rex* ille *Regum & Dominus Dominantium*, (Apoc: 19.) ita te dilexit, ut vitam suam pro te posuerit.

3. Gaude & exulta, quòd ille plùs te amaverit, quàm tu temetipsum amaveris. Tu enim te fædâsti, perdidisti, diabolo vendidisti; ille autem te, suo sanguine mundavit, salvavit, eliberavit.

4. Gaude & exulta, quòd pro te plenissimè justitiæ Divinæ satisfecit, illaq; debita supra condignum exsolvit, quæ tu per temetipsum nunquam exsolvere potuisses.

5. Gaude & exulta, quia ille, qui futurus erat tuus severissimus Iudex, factus est tuus *apud Patrem advocatus*, (1. Ioan: 2.) cui semper ostendit vulnera, ut illum moveat ad condonanda tibi peccata.

6. Gaude, quia per Passionem reliquit tibi Sacramenta, quæ sunt efficaciissima pharmaca contra omnes infirmitates tuas.

7. Gaude, quia (ut ait D. Paulus ad Hebr: 12.) *Sanguis Christi fortius pro te clamat ad cælum, quàm Sanguis Abel justi.* Nam iste clamat vindictam, ille autem semper implorat misericordiam.

8. Gaude & exulta, quia lacrymæ illius, factæ sunt tuæ; illius jejunia, flagella, vulnera, passio, mors deniq;, facta sunt tua; ita tamen tua, *ut sequi debeas vestigia ejus*: *& sicut ille ambulavit, ita & tu debeas ambulare.* 1. Io. 2. *ut si compatiaris, possis & conregnare.* (2. Ti: 2.)

9. Gaude & exulta, quòd in Passione, immensus erga te, SS. Trinitatis amor eluxerit, quando *Pater*, ut te salvaret, dedit Filium suum. *Filius*, ut te à cruciatu inferni & morte æterna eriperet, exposuit se doloribus immensis, & morti acerbissimæ. *Spiritus S.* te per Sacramenta sanctificavit, & adoptavit in *Filium æterni Patris.*

10. Colloquium fiat cum singulis Personis SS. Trinitatis, per affectus gaudii & exultationis plenos. In fine, (Psal: 99.) *Iubilate DEo omnis terra* Item *Gloria in excelsis DEo.* Item *Benedic anima mea Domino &c.* (Psal: 102.) & Psal: 103:

DOMI-

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

1. COntemplare magnificam, Sanctiſſimi Corporis, CHRISTI Domini gloriam; & vide, quomodo pulcherrimus ille *flos radicis IESSE,* (Iſaiæ 11.) qui in Incarnatione floruit, in Paſſione expalluit, in morte exaruit, jam in Reſurrectione incipit de novo florere, recipiendo priſtinam pulchritudinem, & totum mundum, odore ſuavitatis replendo, immo veſtiendo majori pulchritudine ac ſplendore. Vide etiam *leonem fortiſsimum de tribu Iuda,* (Apoc: 5.) qui, poſtquam requieviſſet in caverna, neq; auſus quiſquam eſſet illum excitare, ſeipſum ſuſcitat, foras egreditur, totuſq; terribilis, glorioſo ſuo clamore proſternit infernum, & tremore concutit terram. Deniq; vide anima mea, Sponſum tuum, qui rediens ab umbra, in qua, in meridie fervidæ ſuæ charitatis requieverat, vocat te, ac dulcibus invitat verbis: *Surge propera amica mea & veni,* (Can: 2.) *jam hyems* antiquæ prævaricationis *tranſiit, imber* perſecutionis & tribulationum *receſſit, flores* cæleſtium gratiarum *apparuerunt in terra noſtra.* (Can: 2.) Accede igitur ad eum; adora, age gratias, ſtringe, ama.

2. Intuere, ad ſepulchrum Chriſti, Sanctas Matronas; nempe MARIAM Magdalene, Iacobi, & Salome, quæ valde mané ibant cum aromatibus ad monumentum, quibus Chriſtum ungere volebant. Magdalene cum unguento doloris, Iacobi cum unguento Devotionis, Salome cum unguento pietatis. *Prima* deſignat ſtatum incipientium, *Secunda* proficientium, *Tertia* perfectorum. Itaq; ô anima mea, ſequere has pias mulieres, & vade ad monumentum conſcientiæ; ibi enim fortè JESUS jacet, quem tu defectibus tuis conſpuiſti, ſceleribus flagellâſti, ac demum occidiſti. Quodſi ita eſt, compara tibi, unguentum doloris, *recogitando præteritos annos tuos in amaritudine animæ tuæ.* (Iſaiæ 38.) Æmulare Matronas iſtas; quòd, ſicut illæ, ſummo manè ibant ad monumentum, ita tu, primitias diei, immo cujusvis operis, conſecra DEo tuo; ſic enim Chriſtum certiſſimò invenies, juxta illud (Prov: 8.)

(Prov: 8.) *Qui manè vigilant ad me, invenient me.* Noli metuere difficultates pœnitentiæ; quia sicut piis mulieribus, Angelus revolvit lapidem ab ostio monumenti, ita tibi Gratia Divina præstò aderit, quæ omnem difficultatem reddet facilem ac suavem. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* (ad Phil: 4.)

3. Expendam, quòd, sicut Christus Resurgens à mortuis, reliquit conditiones & qualitates corporis mortalis, & vestivit se dotibus corporis glorioſi, nempè *Claritate Impassibilitate, Agilitate, & Subtilitate*; Ita nobis, si verè volumus resurgere cum Christo, non sufficit reliquisse mundum, & quòd simus exuti operibus hominis veteris, sed debemus vestiri de novo, *& in novitate vitæ ambulare,* (ad Rom: 6.) Ac primò debemus habere claritatem, hoc est, lucere proximo, exemplo Sanctæ conversationis. Deinde debemus esse impassibiles per mortificationem sensuum & affectuum nostrorum. Tandem debemus esse prompti ad opera servitii Divini. Deniq; subtilitas nobis est necessaria, imitando Angelicam puritatem, per corporis & cordis munditiem, & jugem mentis ad DEum, in oratione affectibusq; ejaculatoriis, elevationem.

FERIA II.

PASCHÆ.

Christus resurgens apparet Beatissimæ Matri.

M. INtuere latentem in obscuro cubiculo, & planè cum Filio suo, sepultam Beatissimam Virginem; nam ante ipsius oculos continuò versabantur crudeles illi cruciatus, diraq; vulnera, & deformata mortui Filii figura, virgineum illius pectus vehementer concutiebat, continuisq; vigiliis & lacrymis cosumebatur. Interim tamen, quia spe de Resurrectione Filii erat plenissima, piis & maternis gemitibus invocabat Filium. Sicut enim charitate, omnes excedebat, ita & desiderio videndi Filium, & suspiriis in hanc rem, ex imo pectore, ductis, omnes superabat. Vocabat ergò Filium dicens: *Revertere dilecte mi,* (Can: 2.) *revertere dilecte votorum meorum.* (Pro: 31.) *Exurge gloria mea, exurge Psalterium & cythara.* (Psal: 56.) Hæc autem dicens, rigabat ora

lacrymis,& gemebat: *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum.* (Gen: 49.) Dixit *Iacob* de Filio suo *Iuda*, ex cujus tribu, ortus est Christus. Sicut enim dormiens leo, rugitu matris leænæ, suscitari solet à somno, ita clamoribus & gemitibus Matris, suscitatus fuit Christus. Hæc enim Virgo, quæ suis clamoribus è cælo, Filium DEi deduxit, suis etiam clamoribus ex inferno revocavit.

2. Postquam Samson in ore leonis, à se discerpti, reperit favum mellis, continuò illum detulit suæ Matri. Ita Christus,postquam mortem omnium nostrûm, morte suâ prostravit, reperit in illa, ineffabilem dulcedinem per sui corporis glorificationem: Ergo Matri suæ Sanctissimæ communicat hunc favum dicens: *Vadam ad montem myrrhæ. & ad collem thuris.* Porro Beatissima Mater fuit hujusmodi *Mons myrrhæ, & collis thuris*; (Can: 4.) ibi enim fuit amaritudo doloris tanquam myrrhæ, & fragrantia orationis, tanquam thuris. Sicut ergo sol oriens primùm in cacumine altissimi montis apparet, ita Christus primùm illi manifestatur, de qua (Psal: 67.) *Mons DEi mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est Deo,habitare in eo.* Si Christus ait: (10:14.) *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*; cui priùs Christus erat manifestandus? nisi ei, quæ illum plùs omnibus diligebat?

3. Contemplare magnitudinem gaudii, quòd, hoc temporis momento, occupaverat pectus Virginis; sicut enim dum columba, ramùm olivæ attulit ad arcam *Noë*, cessavit diluvium, omnisq; tempestas abscessit & rediit desiderata serenitas; ita cùm Christus redivivus cum olea pacis ac salutationis venit, ad MARIAM, cessavit diluvium afflictionis, lacrymæ doloris conversæ sunt in lacrymas lætitiæ, ac depulsâ omni tristitiâ, anima illa plenè serenata fuit. Nam, si Magnus ille Patriarcha *Iacob*, tantùm gavisus, postquam intellexit, filium suum, quem ùt mortuum luxerat,vivere ac regnare in terra Ægypti; (*Gen: 45.*) Quantum putabimus fuisse Beatissimæ Matris gaudium? quando vidit Filium, quem paulò antè defunctum, brachiis suis, complexa fuerat, revixisse, & factum esse cæli terræq; Dominum: quando vidit restitutum esse pristino candori, gratiosissimum illum vultum,

tum, divinoſq; illos oculos, quibus ab ipſo ſæpiſſimè aſpiciebatur, ſplendere ſicut ſidera: quando audivit ſuaviſſimam ejus vocem & ſalutationem, quâ non jam *Mulier*, ſed *Mater* appellabatur: quando denìq; ſensit ſe, illis ſacratis manibus antea in cruce expanſis amplexari, & vultum à lacrymis detergi. Credibile eſt, illam tunc ita fuiſſe locutam ad Filium: *Secundùm multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* (Pſal: 93.) atq; hæc proloquens non ſatiabatur aſpectu & ſuavibus oſculis, ſacrorum illorum vulnerum, in manibus, pedibus & latere exiſtentiũ. *Anima mea liquefacta eſt, ùt dilectus locutus eſt.* Can: 5.

FERIA III.

Chriſtus redivivus ut à SS. mulieribus annuntietur Apoſtolis, jubet Angelus.

1. MAgnum quidem amorem, Sanctæ Mulieres declarârunt erga Chriſtum, dum ſummo manè ſurgentes venerunt ad ſepulchrum cum pretioſis aromatibus: Quia tamen ille amor erat adhuc ſenſualis; nimirum, ut illum viderent, ungerent, tangerent, ideo non invenerunt ipſum JESUM, ſeu vivum jam, ſeu mortuum, ſed locò illius, Angelum duntaxat, ſupra lapidem ab oſtio monumenti revolutum, ſedentem, qui eas terruit, ſimulq; redarguit: *Quid quæritis viventem cum mortuis?* (Luc: 24) at poſtea ſolatus eſt: *Nolite timere; ſcio enim quòd JESUM Crucifixum quæritis. Surrexit, non eſt hic. Venite, videte locum, ubi poſitus erat Dominus.* (Mar: 16.) Examinandæ ſunt intentiones noſtræ, quidnam per opera noſtra quærimus? ipſumné JESUM? an verò commoditates & ſenſualitates noſtras? Si Sanctæ mulieres, puro ac ſpirituali amore, JESUM quæſiviſſent, certè illum ſtatim viventem jam & glorioſum inveniſſent; ſi etiam nos, intentionibus noſtris, ſolum DEum quæreremus, proculdubiò eum ſtatim poſt mortem intueremur.

2. Non merebantur quidem Apoſtoli, tam lætum de Reſurrectione Chriſti nuntium; ſiquidem illum turpiter deſeruerant; tamen Chriſtus non attendit, quod illorum poſtularent merita,

sed quid, suus erga illos eximius amor vellet? Injungit ergo Sanctis mulieribus, nomine Christi, Angelus, ut eant ad Apostolos, eisq; annuntient Christum redivivum. *Euntes citò, dicite discipulis ejus, quia surrexit.* (Mat: 28.) DEus etiam immerentes amat, etiam indignis beneficia sua largitur, etiam ingratos, gratiâ & favore suo prosequitur. Hoc,me, licet ex omni parte, amore tuo indignum solatur Domine, & erigit spem meam, ne penitùs ob peccatorum gravitatem & multitudinem animo concidam. Ergo *non intres in judicium cum servo tuo, sed fac mecum secundùm misericordiam tuam.* Psal: 142.

3. Paruerunt monito Angelico, Sanctæ mulieres, & regressæ annuntiaverunt Apostolis, quod illis fuerat injunctum. Nihilominus verba illarum, visa sunt discipulis quasi somnia. & quamvis ea, quæ per mulieres dicebantur, omnino cum illis concordabant, quæ de se ante Passionem prædixerat Dominus, tamen illis non adhibuerunt fidem. Quoties ego inspirationes Divinas ùt vanas reijcio quoties monita meorum superiorum, tanquam inutilia transgredior; quoties scrupulos & justos remorsus conscientiæ tanquam deliria reputo! toties incredulitatem Apostolorum imitor. Et tamen DEus per illa, me manuducit; unde illis tanquam voci Divinæ obsequendum. Nam nisi ipsis, morem gessero, procul dubio à veritate & à DEo aberrabo.

FERIA IV.

Christus resurgens apparet Petro. Ioan: 21

1. QVamvis reliqui Apostoli ita erant in sua incredulitate obstinati, ut testimonia piarum mulierum de Christo redivivo, Angelicis etiam oraculis ac visionibus firmata, reputarent pro deliriis; illorum tamen exemplo non abducuntur Petrus & Ioannes: nam aliis domi delitescentibus, illi, se, ad monumentum expediunt, ut probent veritatem accepti à mulieribus nuntii. Non attendunt, quid agant alii, sed quid sibi prudenter agendum sit? Sicut nulla Communitas ita est Sancta, ut aliquos malos non habeat; ita nulla est ita depravata, ut non habeat aliquos admistos probos ac justos. Putabat *Elias*, quód impia Iezabel

zabel omnes Prophetas & veros Dei cultores deleverit, & tamen in regno Israël, servavit sibi DEus 7. millia virorum, qui non curvaverunt genua ante *Baal* (3. Reg: 19.) *In urbe Sodomorum* inventus est justus *Loth*; (Gen: 13.) in terra *Hus* gentili, timens Deum *Iob*; in *Ninive Civitate* grandi, & propter nimia scelera, ad subversionem, Decreto Divino destinata, reperti sunt multi innocentes, nescientes inter dextram & sinistram. Ionæ 4.

2. Ambo quidem simul *Petrus* & *Ioannes* ab initio currebant ad monumentum, sed postea Ioannes prævenit Petrum, neq; tamen ausus est intrare in monumentum prior. Quo utroq; agendi modo honoravit Ioannes dignitatem capitis in Petro, præveniendo quidem tanquam Minister ad explorandum, & aditum parandum Petro, non intrando verò ante Petrum in monumentum, ut ei primas quoad hoc deferret. Non considerat in Petro, quòd ter Christum negaverit, ipse autem usq; ad supremum agonem adstiterit Christo; neq; se Petro præfert, quòd sibi, & non illi, Christus dederit potestatem recumbendi in pectore suo; quòd sibi & non illi, Christus agonizans, Matrem suam in Matrem commendaverit; solam in eo Prælati dignitatem attendit. Hinc autem disco, quid debeam superiori meo? licèt aliàs defectuoso; imò quid cuivis proximo? Si in illis, prout debeo, Christum considerem.

3. Postquam Petrus & Ioannes lustrârunt monumentum, secesserunt ab invicem, ut meditarentur & apud se expenderent, quidnam sibi vellent ea, quæ viderant. Interim Christus redivivus, non Ioanni sed Petro seorsim degenti apparet, Mirum valde! Ioannes constanter ad Crucem permansit, Petrus autem fugit & ter abnegavit; & tamen Christus, hunc præfert illi. Alia sunt judicia DEi, alia hominum! Qui in æstimatione hominum, sunt priores, in lance Dei, sunt posteriores; & è contra. Ostendit hîc Christus, quantùm æstimet lacrymas pœnitentium, propter quas, Peccatores maximos, præfert justis, & propter unam ovem perditam, paratus est 99. oves in caula contentas deserere. (*Matt: 18:*) Peccavit Petrus, sed flevit amarè, pœnitentiam pro delicto suo egit, ad vocem sanctarum mulierum, ad monumentum cum magna fide & spe ivit; generosâ resolutione se-

pulchrum intravit, proinde priùs illi Christus apparuit. Ut discam, quantum in misericordia DEi debeam sperare? quâ benignitate, peccatores contritos accipere? qua charitate, injurias, proximo remittere.

FERIA V.

Christus resurgens apparet Magdalenæ. Ioan: 20.

1. POstquam Sanctæ mulieres, secundò adiêrunt Christi sepulchrum, neq; tamen illum invenerunt. Reliquis à sepulchro abeuntibus, remansit sola *Magdalena* foriſq; plorans inclinavit se & prospexit in monumentum: Ecce verò ibi videt duos Angelos, candidis vestibus, coopertos, in monumento sedentes, qui ei dixerunt. (Ioan: 20.) *Mulier quid ploras? quem quæris?* Dixit eis: *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Unde hæc duo colligo. Inprimis, ut sentiam spirituales consolationes, & lumina cælestia obtineam, non obiter mihi transigendum esse orationis tempus, sed cum attentione & protracto affectu in ea perstandum. Deinde, optimam & unicam esse causam, ob quam meritò flere debeam, amissum per peccata JESUM. Si enim *Magdalena* plorat, quia illi insciæ ac invitæ ablatus est Dominus, quantò magis mihi flendum, cui scienti & volenti, indomitæ passiones & effrenati affectus, iræ, cupiditatis, concupiscentiæ, vindictæ, eripiunt Dominum.

2. Persistenti adhuc ad tumulum & ploranti *Magdalenæ*, apparet primò Christus in specie Hortulani, sensim eam disponendo ad videndam propriam speciem: Cui illa: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* (Ioan. 20:) Quanta vis amoris ex ore Magdalenæ hîc erumpit! Unum hortulanum, vili veste indûtum, appellat Dominum; ut hoc titulo honorifico, blandiatur illi, quatenus per eum, compos votorum suorum evadat. Non exprimit, quemnam quærat in individuo, sed in abstracto & indeterminatè dicit: *Si tu sustulisti eum;* quasi verò quivis obvius deberet mentem ejus assequi. Scit quantus fuerit Iudæorum contra Dominum furor, & tamen abiq; ullo periculi metu, resolvit se ad illum etiam palàm portandum & tol-

lendum.

lendum. Scit imbecillitatem virium suarum, quòd essent impares, portãdo viro staturæ magnæ, mortuo ejus corpori, & tamẽ se offert ad ferendum tantum onus. Quis verò illam reddit ita generosam, audacem, fortem, ac robustam? nisi amor intensus. Iam patet causa, cur in me adeò parum sit hujusmodi generosarum resolutionum? quia scilicet in me, parum est Amoris DEi.

3. Sic adhuc solicitæ & ad sepulchrum *Magdalenæ* perstanti, tandem Christus redivivus in propria specie apparet, ac dicit: *MARIA.* protinùs illa reponit: *Rabboni.* Brevis compellatio mutua, sed magnos complectitur affectus. Nam, quando illam Christus, nomine proprio appellat, exprimit suavissimam suam benignitatem, affabilitatem, familiaritatem, quando verò Magdalena appellat illum Rabboni, indicat suam, erga illum, reverentiam, humilitatem, amorem, candorem. Quia verò illa, more solito, accidit ad pedes JESU, eosq; amplexata & osculata est, prohibet illam JESUS dicens: *Noli me tangere.* Ut in ea, temperaret fervorem amoris, qui reverentiam penè exuerat. Nam est quidem amandus DEus, sed simul honorandus ac reverendus. Sicut ergo debeo esse familiaris DEo, per intimam conjunctionem; ita debeo erga illum esse reverens, per internam animi compositionem, & situm corporis exteriorem.

FERIA VI.

Christus resurgens apparet aliis Sanctis mulieribus. Matt: 28.

1. Sicut agens naturale e. g. ignis, antequam in materia, producat formam substantialem sibi similem, priùs eam, ad hoc, per formas accidentales disponit; tum ubi sufficienter disposita fuerit, jam facilè formam ultimam, in illam inducit. Ita Christus redivivus, antequam sanctis mulieribus impertiret præsentiam suam, priùs eas voluit ad hoc disponi, per ardens desiderium; hoc enim est fundamentum & radix, omnis profectûs spiritualis: deinde per laborem & fatigationem iteratò susceptam in eundo ad sepulchrum, notabili spatio, à civitate, dissitum,

tum, per toties repetitos humilitatis & amoris actus. Postquam verò illas ita disposítas advertit, non differt ampliùs conspectum sûi, sed protinùs eum clementer indulget, suavissimâ, eas compellando, salutatione, *Avete.* Quamvis DEus videatur deserere ac negligere hominem, eiq; sua differre solatia, si tamen homo constanter pulset ad ostium DEi, aderit illi proculdubio *adjutor in opportunitatibus, & in tempore opportuno manum ei suam aperiet.* (Psal: 9.) Si ad videndum & salutandum Christum, tanta in Sanctis Matronis requiritur præparatio, quanta in me, requiretur ad illum recipiendum, & in Sacrosancta Eucharistia, manducandum atq; tractandum!

2. Prohibuerat quidem Christus *Magdalenam,* à suorum contactu pedum, dum sola cum illo versaretur; at illam, unà cum aliis Sanctis matronis, quas assecuta fuerat, ac de viso à se, Christo informaverat, jam non prohibet, sed ad suavissimum pedum suorum osculum, clementer admittit. Quantos illæ tunc affectus elicuerunt, gaudii, exultationis, gratulationis, gratiarum actionis! faciliùs est cogitare quàm dicere. Sæpè nobis DEus intuitu piorum sodalium, cum quibus conversamur, ampliora confert beneficia, quæ non contulisset, si illorum consortio non uteremur. *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum.* (Psal: 132.) Si conversandum cum alio sexu; præstò sit præsentia testium, nostros intuentium actus, ut sit securitas & conscientiæ & famæ.

3. Quid verò Christus Sanctis injungit alloquio suo mulieribus? *Nolite,* inquit, *timere; sed ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilèám, ibi me videbunt.* (Mat: 28.) Vide magnam horum verborum suavitatem, quam erga illas, & erga discipulos declarat. Erga illas quidem, abigendo ab eis timorem; impertiendo verò pacem, securitatem, gaudium, lætitiam. Nam DEus plura dat, quàm dicit; plura rebus largitur, quàm exprimat verbis. Erga discipulos verò, appellando illos Fratres, & tam lætum, illis, ferendo nuntium, à quibus tamen, tam graviter fuit offensus. Tali suavitate, & mihi erga illos, utendum, qui me aliquando injuriâ affecerunt. Eligit autem Christus Galilèám, ad se, manifestandum; quia illa regio remota erat à tumultu & inquié-

inquiétudine. Nam, ut fruar liberiore DEI alloquio, recedendum mihi est à strepitu mundanorum negotiorum, à tumultu passionum & cupiditatum.

SABBATO.

Christus redivivus apparet duobus discipulis euntibus in Emmaus. Luc: 24.

1. INtuebor illos discipulos tristes, loquentes de Christo, quibus, se, Christus associavit ob 4. causas. 1. quia erant afflicti, de DEo verò scriptum est: quòd *propè sit iis, qui tribulato sunt corde.* Ps: 33. 2. quia loquebātur de ipso; ubi enim *duo vel tres cōgregati fuerint in nomine meo, ego sum in medio eorum.* (Matt: 18.) 3. ut tanquam oves errantes reduceret ad ovile suum. 4. ut ostenderet se esse verum amicum, qui non deserit in tempore necessitatis; cùm scriptum sit: (Psal: 9.) illum esse, *refugium pauperi, & adiutorem in opportunitatibus.* O quoties Bone Domine, dum te peccatis offenderem, succurristi mihi! velut bonus amicus ex una parte, blandè me exhortando; ex altera verò, juvando; jam noxias auferendo occasiones; jam timore, retrahendo à malo; jam invitando, amore ad bonum; donec tandem ruptâ cordis mei, duritie *traxisti me, ad te, funiculis charitatis tuæ.* Oseæ 11.

2. Audiam Christum dicentem: *Qui sunt hi sermones &c.* Ideo verò quæsivit, ut daret illis occasionem ad aperiendam suam infirmitatem, quæ non erat alia, nisi ignorantia scripturarum. Deinde ut, sicut crescebat in eis dolor, dum explicarent causam mœroris; ita postmodùm ipso cognito, tantò majori replerentur solatio. Deinde *finxit se longiùs ire*; non quòd omnino abire vellet, sed ut illum invitarent, ad secum manendum, adeoq; per istam charitatem mererentur ab ipso illuminari, & ampliorem consolationem accipere. Ardebat cor illorum, dum illis *Dominus loquebatur in via*; sed iste ignis fuit in pectoribus illorum occultus, tunc verò foras erupit, cùm illi dicerent: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* Tandem illos appellat *stultos & tardos corde ad credendum*; non ex indignatione, sed ex charitatis officio.

Deniq; dicit: *Nonne sic oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Oportebat inquam ob necessitatem satisfactionis, ob utilitatem Redemptionis, ob vim sui, in nos, amoris, ob vim imitationis. Si ergo Christum nonnisi per crucem oportuit intrare in gloriam suam, quomodo ego potero sine Cruce, sine mortificatione, intrare in alienam?

3. Discutiam facta. Inprimis duo isti homines privatim Hierosolymâ discesserunt, quæ interpretatur *Visio pacis*, & dubii mæstiq; in *Emmaus*, quæ, *populus abjectus* interpretatur, abiêrunt. Væ illi animæ, quæ suâ culpâ perdit JESUM, & gratiâ ipsius privatur! quia subitò interiorem perdit pacem, ac tota redditur tenebris plena, *deleturq; de libro viventium, & cum justis non scribitur.* (Psal: 68.) Quando verò ab aliqua occupamur tristitia, vel spirituali tædio, optimum remedium est, loqui aliquid aut cogitare de DEo, instar horum duorum discipulorum, qui loquendo adinvicem spiritualia, & mente ruminando, consolationem adepti sunt. Deniq; Christus non solùm à nobis desiderari, sed etiam cogi vult; ut intelligamus, nullam virtutem, nos posse desiderando consequi, nisi etiam viriliter contra difficultates pugnemus; *Nam Regnum cælorum vim patitur.* Matt: 11.

DOMINICA
IN ALBIS.

Christus resurgens apparet discipulis congregatis, absente Thoma. Lucæ 24.

1. ASpice domunculam, in qua latitant Apostoli, propter metum Iudæorum; deinde intuere ipsos Apostolos multùm dolentes; crebra suspiria, & gemitus ex imo pectore ducentes; complicatas manus vel supra caput tollentes, vel ante pectus tenentes; uberes lacrymas ex oculis fundentes. Ecce verò Christus redivivus, novâ circumfulgens luce, in medio illorum apparet, & stat veluti sol in medio stellarum, eas illuminans; veluti Dux in medio militum, eos animans; ve-

luti

luti Præceptor in medio discipulorum, eos docens; tanquam Pastor in medio ovium, eas congregans; tanquam cor in medio membrorum, ea vivificans; tanquam arbor vitæ in medio paradisi, inter electas arbores; tanquam candelabrum in medio Domûs fulgens, & omnem pellens caliginem; tanquam columna in medio sui novi ædificii, illud sustentans; tanquam pulcherrimus flos campi, in medio liliorum, ea adornans; tanquam Princeps Pacis in medio subditorum, eos consolans.

2. Audi verba Christi, ad Apostolos, loquentis: *Pax vobis.* Quid aliud, *DEus pacis & dilectionis* (2. Cor: 13.) dare poterat, quàm Pacem? qui, sanguine suo, omnia tam in cælo, quàm in terra pacificavit. *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum.* (Luc: 24.) Videte manus, quibus fideliter pro vobis pugnavi: ergo etiam vos libenter propter me, omnes tolerate molestias. Videte pedes, quibus propter vos firmiter steti in acie: ergo & vos propter me, ambulate vias duras, circuite orbem, & quidquid calcaverit pes vester, nomini meo subijcite; viam mandatorum meorum currite perseveranter; *sic currite, ut comprehendatis.* 1. Cor: 9. Videte latus meum apertum, & vulneratum cor; agnoscite, quantum vos amaverim! Ideo cicatrices vulnerum reliqui in manibus, pedibus, latereq; meo, ne vestrî memoriam unquam deponam, juxta illud Prophetæ: (Isaiæ 49.) *In manibus meis descripsi te.* Noli & tu ô anima mea oblivisci stigmatum Salvatoris tui; venerare transfossum latus; adora transfixas manus; osculare pedes vulneratos; & huic spectaculo, quamdiu potes, inhære. Si verò te, aliqua, in servitio DEi, terret difficultas, intuere illa vulnera nuper dolorifera, nunc illustria, & spera, tuas etiam molestias in gloriam tibi cessuras.

3. Expende hic facta Christi, & ex illis, salutaria documenta sume. Vespere Christus, venit ad discipulos; quia vult, ut simus constanter perseverantes in servitio DEI, usq; ad supremum vitæ nostræ exitum: nam *qui perseveraverit usq; ad finem, hic salvus erit.* (Mat: 10.) 2. Per clausas fores intravit ad discipulos; quia nisi portæ sensuum nostrorum diligenter fuerint obseratæ, non potest spiritualis consolatio intrare in animam: 3. Intravit ad congregatos; vult enim nos esse invicem vinculo mutuæ charitatis

tatis colligatos, juxta illud Apostoli: (2. Cor: 13.) *Pacem habete adinvicem, & Deus pacis erit vobiscum.* 4. Intravit ad timore consternatos. Quia, ut gratia DEi habitet in nobis, debet nos ad illam disponere timor Domini, juxta illud Scripturæ: (Eccl: 2.) *Timor Domini expellit peccatum.* 5. Stetit in medio, ut designaret suam Resurrectionem; nam ante illam, cùm portaret onus peccatorum nostrorum, modò jacens in præsepio, modò sedens lassus ad puteum, modò in faciem prostratus, in montibus orans, modò profundè inclinatus, clamans ad Patrem, modò sub onere crucis depressus, modò ascendens ad Calvariam, modò in ipsa Cruce, inclinato capite, in manus Patris, Spiritum commendans, describitur. Omnis hic situs corporis designat onus peccatorum nostrorum, quo premebatur. Nunc autem excusso onere per Resurrectionem rectè stetisse dicitur. Ergo & me, ejusdem suæ Resurrectionis virtute, stare in bono faciat

FERIA II.

Christus manducat cum Apostolis, & reliquias cibi, dat eis. Lucæ 24.

1. JAm quidem glorioſum Christi Corpus, non egebat ullo cibo; quia tamen Christus vidit tale medium fore utile, ad expellendam, è cordibus Apostolorum, incredulitatem, & inserendam, de sua resurrectione, fidem, etiam illud adhibet, dum illos adhuc non credentes, & præ gaudio mirantes interrogat: An *habeant aliquid ad manducandum?* cùmq; illi obtulissent *partem Piscis assi, & favum mellis, manducavit coram illis*: (Luc: 24.) Non contentus, quòd per Angelos, per mulieres, per Petrum, per duos discipulos in Emmaus euntes, Resurrectionem suam annuntiaverit; quód seipsum stiterit, & benignè allocutus fuerit Non uno remedio circa salutem animarum laborandum est; sed varia adhibenda. Si unum non proficit, alia & alia tentanda sunt. Porrò has industrias excogitare debet zelus animarum, & sincerum studium lucrandi salutem, tum suam, tum alienam.

2. Non crudum aliquid præbent Christo Apostoli, sed Piscem assum,

assum, & igne bene subactum. Obvius quidem erat is cibus, sed tamen exactè paratus. Cogita Christum etiam à te petere ut ei præbeas aliquid ad manducandum. Sed quidnam illud? *Fili* inquit, *præbe mihi cor tuum.* (Prov: 23.) Ut ergo Christo, cibus iste sapiat, necesse est, ut assetur, ut ex illo, per ignem charitatis, omnis extrahatur cruditas, ut studio mortificationis internæ & externæ subigatur. *Meus cibus est*, ait Christus, *ut faciam voluntatem Patris.* (Ioan: 4.) Ordinarias actiones in religione obire, est cibum Christo parare & præbere. Sed quamvis ordinariæ sint, non ordinario tamen & vulgari fervore sunt peragendæ, at igneo quodam, & *S. Ignatii* spiritui, conformi. Pro condimento addiderunt Apostoli favum mellis; ut intelligam, quòd, si Christo apponere volo cibum sapidum in meis quotidianis actionibus, debeo illis addere mel puræ intentionis; ut scilicet eas, purè ad gustum placitumq; DEi mei, instituam: alioquin non poterunt illi sapere.

3. Sumens reliquias dedit eis. Quàm sapidæ esse debebant Apostolis, illæ ciborum reliquiæ? Si enim *Manna*, quia Angelicis manibus conficiebatur, varios & gratos ab illis acquirebat sapores; multò magis illæ reliquiæ à Christi manibus, à quibus contrectabantur, simulq; sacrabantur. Quidquid tibi molestiæ obvenire potest in cibo, potu, habitatione, vestitu, conversatione, &c. reliquiæ sunt, de mensa Christi, superfluæ. Vis scire, ad qualem mensam, Christus, dum esset in hac vita, sedit? qualia ei sunt fercula appositа? En Propheta innuit, dum dicit: (Thr: 3.) *Saturatus est opprobriis.* Et ipsemet apud Psalm: de se ait: (Psal: 68.) *Dederunt in escam meam, fel, & in siti mea, potaverunt me, aceto.* Opprobria ergo, fel, acetum, fercula fuerunt, quibus Christus abundè vescebatur. Dum igitur aliquam in te permittit molestiam seu difficultatem, reliquias, de mensa sua, tibi porrigit. Sume cum gratiarum actione; sapiant tibi valde; siquidem illis Christus, gratum indidit saporem, fercula talia cum gustu, propter te, manducando.

FERIA III.

Christus resurgens, Apostolis Scripturas aperit, & dat Spiritum S. Lucæ 24.

1. PRo ultima coronide argumentorum, quibus, Christus probat Apostolis passionem ac Resurrectionem suam, adducit testimonia Scripturarum, & concludit: *Necesse fuit impleri omnia, quæ scripta sunt in Prophetis & Psalmis de me.* (Luc: 24:) Quoniam sic scriptum est: *Oportebat Christum pati.* ac si diceret: Nolite putare, quòd Passio & mors mea, casu aliquo & cæco fato acciderit? Minimè verò. Omnia hæc sunt peracta ex decreto DEi per Prophetas & scripturas revelato. Quæ autem DEus decernit, illa necesse est impleri; quia decretum DEi est efficax, infallibile, infrustrabile; *subest enim illi posse.* (Sap: 12.) Hinc autem etiam tu intellige, quidquid adversi tibi contingit, non casu, sed ex Dei ordinatione id evenire. Noli ergo contradicere; noli tuum opponere velle, aut nolle; quia, velis, nolis, necesse est id adimpleri. At nonné melius est, ut ex necessitate facias virtutem? conformando te in omnibus Dei voluntati, tanquam ultimæ Regulæ.

2. Postquam Christus Passionem ac Resurrectionem suam, certissimis stabilivit documentis, tandem illius fructum profert. Dicit enim Apostolis: (Ioan: 20.) *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos.* Quæ verba utiq; practica fuerunt & efficacia; quasi illis diceret: Sicut Pater meus misit me in mundum, non in majestate, splendoribus, pompis, honoribus, sed in contemptu, humilitate, Paupertate, dolore, nuditate; non ad acquirenda regna terrena, & obtinenda bona temporalia, sed ad quærendas animas, ad faciendam voluntatem Patris, ad viam veritatis docendam; tali & ego modo, ob talem finem, vos in mundum expedio; & ad hoc, vos meos legatos & Apostolos creo. Et tu simili gaudes vocatione; admissus enim es ad curandam non solùm animæ tuæ, sed etiam proximorum tuorum salutem; quanto igitur spiritu, id facere debes, quantas perpeti molestias, quas fortia-

fortiter superare difficultates? Sed nonnè id mereretur dignitas Dei, nonnè id exigit pretium unius animæ? Confer tuos circa salutem proximorum labores, cum fatigationibus Christi, & invenies, te aut nullum aut delicatum esse operarium in vinea ejus. Æmulare in posterum, *meliora charismata*, & zelum Dei in te accende.

3. Pergit Christus in sua erga mundum, beneficentia, & fructum suæ Passionis illi applicat. *Insufflavit in Apostolos, & dixit eis: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* (Ioan: 20) Insufflavit ideo, tum ut ostenderet Spiritum S. non solùm à Patre, sed etiam à se procedere; sicut procedit halitus ab homine. Tum ut doceret: quòd sicut olim DEus per halitum sui oris, in primum hominem Adamum, *inspiravit spiraculum vitæ*, dando illi animam, & vigorem naturalem; ita nunc Christus per Spiritum S. dat Apostolis, ac in eis, toti mundo, vitam vigoremq; supernaturalem. Quando verò dedit Apostolis, eorumq; in Ecclesia successoribus, Potestatem remittendi peccata, magnum profectò manibus illorum thesaurum concredidit. Nam si Rex, ministro suæ domus daret claves à suo thesauro, ut, quoties vellet, acciperet ex illo tantum, quantum requiritur ad redimendum à supplicio servum, quid is mereretur ob vexatum, à se, furto, thesaurum Regium; nonnè ista beneficentia Regis esset appretianda multumq; æstimanda? Quantò major est clementia Dei nostri! qui suis ministris dat potestatem dimittendi peccata, contra suum honorem, admissa. Duos enim thesauros DEus habet, Honoris & Misericordiæ. Dum homo peccat, lædit honorem Dei; dum verò pœnitenti, Sacerdos, peccatum condonat, de thesauro misericordiæ Divinæ, litrum, pro illo redimendo à pœnis æternis, depromit Age gratias pro hoc thesauro; appretia illum; prudenter dispensa; utere illo cum fiducia ad tuas necessitates.

FERIA IV.

Christus resurgens apparet discipulis in præsentia Thomæ. Ioan 20.

1. Si-

1. Sicut grandium arborum, ita magnorum virorum, graves plerumq; sunt casus. Quantus vir erat *Thomas Apostolus?* quanto zelo præditus? quo succensus resolvebat se ad mortem, cum Christo subeundam, alios q; ad id, animabat dicens: (Io: 11.) *Eamus & nos & moriamur cum illo.* Sed quàm gravis ejus casus! Asserunt discipuli ex Emmaus reduces, se vidisse Dominum; ille, hoc negat. Asserunt idem Sanctæ Matronæ; ille reputat pro delirio. Asserit Petrus Caput Apostolorum; ille tamen refragatur. Asserit tota discipulorum communitas, imò fortè ipsa Beatissima Mater; ille tamen dicit: (Ioan: 20.) *Non credam, nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus; non credam! non credam!* Quanta duritia cordis! quanta incredulitas! quanta in suo sensu obstinatio! quanta pervicacia intellectûs! quanta superbia, judicium suum, omnium præponens judicio! quanta præsumptio, modum suæ conversionis præscribens! Continuos 8. dies, in tam profundo infidelitatis barathro, Thomas delituit, ac delituisset diutiùs, nisi ei, misericordia Dei subvenisset. Quantus quantus unquam fueris, *noli altum sapere; sed time; ne qui stas, cadas;* (ad Rom: 11.) atq; judicium tuum, cui debes submitte. Potes tuis viribus prolabi in peccatum, & de uno in aliud gravius præcipitari, atq; ibi hærere; sed resurgere ab eo non potes, nisi speciali adiutus Dei auxilio, quod gratuitò DEus, licèt cum aliqua nostra dispositione, largitur.

2. Quamdiu Thomas non erat unà cum aliis Apostolis, sed vagabatur per plateas & vicos civitatis, tamdiu fuit afflictus, & graviter tentatus, ac incredulitati succumbens. Sed postquam ad Sanctos Sodales rediit, atq; cum illis, in obserata domo, manere cæpit, ecce verò meruit à Christo visitari, & consolationem accipere. Venit enim Pastor ad ovem errantem; Venit medicus ad ægrotum; venit vita ad mortuum; stetit in medio, pacemq; obtulit. Quamdiu & nos vagamur per creaturas, peccandiq; occasiones; quamdiu sensuum portas non obseramus; neq; custodimus cor nostrum; nec ad illos, qui nobis possunt bene consulere, recurrimus; tamdiu tentationibus obruimur, & peccatis reddimur obnoxii. Cavendæ igitur occasiones, custo-

diendi

diendi sensus, consulendus Confessarius; solus JESUS, pro centro omnium nostrarum actionum, habendus; atq; tunc primùm plena animæ pace fruemur.

3. Quamvis Christus ad omnes Apostolos venerit, tamen ad unum Thomam convertitur; ut ostendat, se, propter illum solum, venisse, ac ipsius intuitu, etiam aliis, præsentiam suam elargitum esse. Aderant ibi digniores; aderat Petrus Caput Ecclesiæ; aderat Ioannes singulariter dilectus, & pectore, Matreq; Christi donatus; tamen illos Dominus non alloquitur, sed solum Thomam; quia non attendebat ad illorum dignitatem, sed ad Thomæ indigentiam ac necessitatem. Quanta benignitas & clementia DEi nostri! Cùm tibi in communitate DEus bene facit, non ad tua attendit merita; quæ enim sunt illa? Sed ad unius alteriusvè, quem DEus plurimi æstimat, ob occultam ipsius pietatem, vel etiam futuram aliquando, quam ipse prævidet ex illo secuturam utilitatem. Si offensam ab aliquo pateris, debes sicut Christus ad Thomam, ad illum, hilari vultu & affectu benevolo converti, ac benignè illum affari, viscerāq; sinceræ charitatis, illi pandere. Hæc enim est characteristica filiorum Dei.

FERIA V.

Christus vulnera sua, Thomæ palpanda præbet.

Ioan: 20.

1. QVàm dulce fuit certamen inter JESUM & Thomam. IESUS ergo Thomam aggreditur, & dicit: (Ioan: 20,) *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus sed fidelis.* Ubi Christus ineffabilem Thomæ declarat charitatem; quia aliis Apostolis videnda duntaxat præbuit vulnera sua, illi verò etiam intro tangenda; innuens illi ulteriùs, quòd, si opus esset, paratus esset, iterum eadem vulnera, propter ejus salutem perpeti, & quidem ita pro illo uno, atq; pro omnibus prorsus hominibus. Deinde ostendit se esse DEum, & præsentem fuisse, cùm Thomas protestaretur de modo suæ circa Resurrectionem certificationis. Si Tho-

mas id cogitâsset, profectò cautiùs fuisset locutus, non tam audacter, præsumptuosè & arroganter. Huic tamen oleo, bonus noster Samaritanus, vinum admiscet, dum tantæ benignitati, quâ, in omnibus, Thomæ condescendit, addit admonitionem : *Noli esse incredulus, sed fidelis.* (Ioan: 20.) En universale antidotum contra omnia peccata ! Cogitare præsentem adesse DEum ! En modus tractandi delinquentes, ut suaviter, veritas tamen illis dicatur.

2. Thomas verò, postquam misit manum in illas Amoris ardentissimi fornaces, postquam illas amabiles cavernas lustravit, igne vehementi intùs exardescens, prorupit in illa verba : *Dominus meus, & DEus meus.* (Ioan: 20.) Subitò, ùt tetigit Divinum Corpus, *ex quo virtus exibat persanans omnes,* (Lucæ 6.) curatus est à sua infirmitate. Ingens lux erupit ex illis Divinitatis fenestris, quæ tenebras infidelitatis dispulit, & lumen fidei in corde Thomæ accendit. Pauca verba protulit ; quia timor & amor, plura eum loqui prohibuerunt : Timor quidem ob delictum suum ; amor verò, ob tantam Christi, erga se, benignitatem, cùm grandem mereretur indignationem. Timorem ergo declarat, dum Christum appellat *Dominum* ; amorem verò, dum illum confitetur *DEum.* Agnosce & tu practicè Dominum tuum ; timendo illum etiam minimo peccato offendere, & dolendo pro præteritis ejus offensis. Agnosce Deum tuum, amando illum ex toto corde tuo. Nonné tibi ô anima mea, par obvenit felicitas, dum tibi, in Sacra hostia existens, permittit intrare in easdem cavernas maceriæ divinæ, & requiescere in dulcibus hujus vivæ petræ fissuris.

3. Concludens Amoris Pacta Christus dixit Thomæ : *Quia vidisti me Thoma, credidisti ; beati, qui non viderunt & crediderunt.* (Io: 20.) Illi facilè serviunt Christo, quibus dat spirituales consolationes: at servire illi sine consolatione, sicut res majoris est momenti ac difficultatis, ita etiam majoris est meriti, & amplioris in cælo præmii. Magis *Iob* placebat DEo, dum desertus ab omnibus, *sedens in sterquilinio, saniem testa raderet,* (Iob: 2.) & tamen Deum benediceret ; quàm, cùm plurimis affluens divitiis & honoribus, serviret Deo suo. Magis DEus delectabatur *Davide,* cùm pulsus è

thro-

throno, fugeret coram *Absalone*, & recogitaret, atq; se resolveret. Quodsi dixerit mihi: *Non places: præsto sum.*; (1. Reg: 29.) quàm cùm glorioſis potiretur victoriis, & ſubjectos populos regeret. Qui tunc ſervit Deo, cùm illi omnia proſpera eveniunt, quaſi impenſis ac ſtipendiis Dei propriis, hoc facit; ſed qui, illi tunc ſervit, cùm patitur deſolationes & afflictiones; ille, propriis quaſi impenſis id præſtat. *Facile eſt, ſecundo vento navigare*; ſed adverſante vento id agere; hoc eſt artis.

FERIA VI.

Chriſtus redivivus apparet diſcipulis ad mare Tiberiadis.

1. POſtquam Duce Petro, ad piſcandum, ſe contulerunt Apoſtoli; Tum ut evitarent otium; Tum, ut neceſſarium ſibi victum providerent: etiamſi totam noctem labori illi impenderint, nihil tamen lucrati ſunt; Tum quia noctu id fecerunt; Tum quia ſine Chriſto. Qui verſatur in nocte peccati, etiamſi multa bona agere videatur, nihil meriti in ordine ad vitam æternam lucratur. Qui ſine Chriſto laborat, fruſtra id agit; quia ille dixit: (Ioan: 15.) *Sine me nihil poteſtis facere*; Et 1. Corint: 3. Apoſtolus ait: *Neq; qui plantat, eſt aliquid; neq; qui rigat; ſed qui incrementum dat DEus.* Quamdiu in hac mortali vita ſumus, tamdiu verſamur in mari. Qui ergo in hoc mari captat honores, voluptates, commoditates, fatebitur in fine vitæ, ſe nihil cepiſſe; quia ſine Chriſto laborabat; non Chriſtum ſed amorem proprium quærebat; non propter JESUM, ſed propter eſum æſtuabat. Vis ut labores tui, coram Deo, ſint pretioſi, fructuoſi, meritorii? cura, ut fiant in gratia Dei, ex recta intentione placendi DEo.

2. Cùm negotium Piſcationis non ſuccederet Apoſtolis, credibile eſt, illos tunc ſibi commemorâſſe, quomodo eis Chriſtus aliàs in ſimili caſu ſubveniſſet, dediſſetq; labori proventum, & deſiderâſſe ipſius præſentiam. Ecce verò deſiderium Pauperum exaudivit Dominus; ſtetit in littore, benignè compellavit, iuſſit rete mitti ad dexteram navigii; quod cùm feciſſent, ceperunt.

runt piſcium copioſam multitudinem ; ita ut eam extrahere non poſſent, donec ſocios vocarent in ſubſidium. (*Luc: 5.*) Idem mihi faciendum, quando labor non ſuccedit, neq; illi optatus fructus correſpondet, debeo agnoſcere infirmitatem meam ; aſpirare ad Chriſtum, ejuſq; opem & auxilium implorare. *Exſpecta Dominum, viriliter age ; & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* (Pſal: 26.) Non ſiniſtram vitæ præſentis, ſed dexteram alterius vitæ æternæ debeo attendere, atq; pro ea laborare ; tunc enim DEus copiosè benedicet labori meo.

3. Ex collato tanto beneficio, primus Ioannes agnovit Dominum. Tum quia ille ſpeciali prærogativâ Virginalis caſtitatis pollebat : Scriptum autem eſt : (Matt: 5.) *Beati mundo corde, quoniam ipſi DEum videbunt.* Tum quia ſpecialiùs præ aliis diligebatur à Chriſto ; hæc autem dilectio non erat fruſtranea, ſed fæcunda : unde debuit aliquid in Ioanne operari. Cura habere cor mundum, & eſſe objectum congruum dilectionis Chriſti. Indicavit hoc myſterium Ioannes Petro ; quia ſæpe à rudioribus & ſubditis accipiunt lumen, ad agendum, Sapientes & Prælati. Petrus autem ubi cognovit Chriſtum, ſtatim ſe ad illum proripuit ; non exſpectavit navigii motum ; ultrò ſe miſit in mare. Erubeſce tuam tepiditatem. Quàm multa bona agenda tu cognoſcis, & tamen quàm lentè, quàm tardè ad opus te confers ! Ergo, rumpe moras ; quantocyus ad virtutem evola.

SABBATO

Chriſtus redivivus Petro committit ſuas oves, Ioan: 21.

1. ANtequam Chriſtus commiſiſſet Petro, ſuas oves, ter illum interrogavit de ipſius erga ſe amore ; Petrus quoq; ter illi reſpondit. Tum quia primus honor eſt apud DEum, Amare Deum ; cæterorum autem honorum & Prælaturarum magnitudines ſunt minores & poſteriores. Tum quia multus labor manet Prælatum ; non poteſt ergo ille tolerari, niſi adſit amor ; hic enim alleviat onera regiminis. Tum quia ter Petrus Chriſtum negaverat, ter itaq; illum erat Confeſſurus ; ut trinam pec-

cati

cati culpam, trina vivæ fidei, ardentisq; charitatis testificatione aboleret. Tum quia expedit Prælatum, esse præditum magnâ charitate, affabilitatis gratiâ, & obedientiâ; & ideo Christus his verbis quærit: *Simon Ioannis diligis me.* (Ioan. 1.) Simon namq; significat obedientiam, Ioannes gratiam. Sine his virtutibus, nec animam meam bene possum regere.

2. Etiamsi Christus interrogando Petrum, illis verbis: *Simon Ioannis diligis me,* adderet: *Plùs his,* tamen Petrus non addit hæc verba: *Plùs his;* imò contristatus, quòd illum tertiò interrogâsset, subjunxit: *Tu scis, quia amo te.* Venit quippe illi in memoriam præsumptio, quâ se audebat præferre, in ultima cæna aliis, *Etiamsi omnes scandalizati fuerint in te, ego certè nunquam scandalizabor;* (Matt: 26.) recordatus quoq; simul est suæ fragilitatis & lapsûs, per quem, confusa fuit sua præsumptio, ac proinde cautè nunc respondet, nec audet se, aliis anteponere. Noli te aliis præferre; nam Deus ordinariè confundit præsumptionem. Recole occasiones, in quibus aliquando es prolapsus, & memor fragilitatis propriæ, non ingeras te in similes.

3. Conferendo Christus Prælaturam Petro, ter illi dixit: *Pasce.* Quia vult subditos à Prælato juvari, oratione, doctrinâ exemplo. Vult eos pasci, Sacramentis, vitæ probitate, beneficiis: Vnde severè minatur per Ezechielem illis Pastoribus, qui seipsos pascunt, & non oves. Ideò verò postquam bis dixit: *Pasce agnos meos,* ad tertium Petri responsum, subjunxit: *Pasce oves meas.* Tum quia non solùm communes fideles, sed etiam reliquos minores Pastores, tanquam matres, illius curæ committebat, Tum quia voluit eum monere, quòd ipsum non Dominum, sed vicarium suum constitueret: ac proinde vellet, ut solicitè, oves sibi creditas, tanquam Christi proprias curaret. Mira profectò hîc elucet Charitas Christi erga nos; quando inde vult probatã esse charitatẽ Pastoris erga ipsũ, si bene pascat oves ipsius; quãdo tunc putat se verè amari, si nobis bene prospiciatur.

DOMINICA II.

POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus. Ioan: 10.

1. QVamvis in Christo multæ & valde magnæ reperiantur dotes, e. g. *Sapientia, Potentia, Æternitas, Immensitas &c.* tamen ille de nulla alia gloriatur, nisi de *Bonitate.* Non enim dicit: *Ego sum Pastor Sapientissimus, Potentissimus, Æternus, Immensus &c.* esto id verissimè dixisset; sed solùm: *Ego sum Pastor bonus;* atq; hoc titulo veluti proprio & amabilissimo gaudet. Quia per hunc titulum tacitè docet de sua Divinitate; nullum enim Divinitatis documentum evidentius est, quàm Beneficentia. Hinc Ecclesia dicit de DEo: *DEus, cui proprium est misereri semper & parcere.* Deinde admonet: inter qualitates, in Prælato, requisitas, maximè necessariam esse vitæ probitatem, quâ præluceat omnibus, qui sunt in ejus Ovili, & quàm plurimos trahat ad imitationem sui, & agnitionem DEi.

2. Insignia Pastoris sunt, melotes, seu pellis ovina, baculus, pera, Fistula, Sibilus, Canes lupis terribiles, & ovibus amici. Hæc omnia, excellenti quodam modo reperiuntur in Christo. Nam alii Pastores, ovinam pellem induunt ac portant, ut in illo, suam similitudinem agnoscentes Oves, magis illum ament, eiq; facilius obsequantur. Christus autem non solùm pellem, sed etiam naturam suarum Ovium defert, *habitu inventus ut homo.* Pro baculo verò habet Crucem Sanctissimam, cui congruit illud *Iacob Patriarchæ* dictum: *In baculo isto transivi Iordanem & ecce nunc cum duabus turmis regredior.* (Gen: 32.) Item illud Psalmi 22. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Hæc enim virga, hic Christi baculus, mirum in modum consolatur oves: hoc enim diriguntur, hoc defenduntur, hoc ab incursibus luporum proteguntur, hoc in caulam cælestem inducuntur.

3. Habet Pastor noster Peram, imò plures Peras, medicamentis refertas, id est Sacramenta, quibus, Ovium morbis medetur.

Porro

Porro fistula Pastoris nostri, quâ ovium aures demulcet, sunt Eloquia Scripturarum, verba Divina, Conciones, Exhortationes; Sibilus autem, quo ad se vocat oves, sunt inspirationes internæ, & salutaria consilia. Tandem generosi Canes, sunt Confessarii, Concionatores, Conversatores, qui latratu suo, hoc est, piis admonitionibus, spiritualibus documentis, cælestibus consiliis, lupos tartareos terrent ac fugant. Agnosce ô anima mea, hæc propria tui Pastoris insignia; ama & venerare hanc illius pulcherrimam speciem, ac in ea multùm delectare; confide in ipsius præsidio & protectione; Utere liberaliter pastorali ejus curâ.

FERIA II.

Bonus Pastor, animam suam dat, pro ovibus suis. Ioan: 10.

I. QVanta in bono Pastore, erga oves proprias, requiratur charitas? in his verbis assignatur mensura. Magnam quidem erga proximum exercet charitatem, qui pro juvandis ejus necessitatibus non parcit pecuniæ; sed adhuc majorem, qui labores & incommoda varia, ejus causâ tolerat; longè autem majorem, qui etiam honori & famæ renuntiat. Quodsi etiam vitam & sanguinem, pro ipsius salute, profundat, jam hîc maximum amorem, proximo declarat. *Quia majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam, ponat quis pro amicis suis.* (Ioan: 15.) Hoc totum Christus abundè præstitit; quot ille ærumnas, quot labores, quot incommoda, nostrî causâ subiit! quot infamias, quot probra & calumnias pertulit! his omnibus non contentus, per dolores acerbissimos, per mortem atrocissimam, vitam pro nobis profudit, animamq; dilectam posuit, ut nos, oves suas, è potestate diaboli erueret, & vitæ æternæ faceret participes. Redama sic amantem; age gratias pro tanto amoris excessu; confundere, ac erubescens conclude: Si pro salute proximi, nihil incommodi, nihil laboris, nihil periculi subire vis, quomodo pro illa, animam tuam poneres? Resolve te ad heroicos, pro animabus

mabus proximorum labores: alioquin frustra præmium, bono Pastori promissum speras, si saltem affectivè cum ipso non laborabis.

2. Tunc etiam Christus, animam suam dedit, pro ovibus suis, quando nobis in Sanctissimo *Eucharistiæ* Sacramento, seipsum præbuit immolandum & manducandum. Per quod, se Pastorem verè bonum probavit. Quis enim alius Pastor, oves suas, propriâ carne pascit? quis proprio sanguine potat? quis animâ suâ vivificat? nisi hic noster Pastor. *Similis factus pellicano solitudinis*, (Psal: 101.) qui proprios pullos, mortifero serpentis veneno infectos, proprio sanat & pascit cruore. Tanto olim amore, servi Iob, prosequebantur Dominum suum, ut vellent etiam carnibus ejus saturari: hoc illis non concessum, sed mihi liberaliter indultum. Quare igitur ardentissimo, erga illum amore non inflammor? *O Divinitas Christi inflamma me! O anima Christi sanctifica me! ô Corpus Christi salva me! ô Sanguis Christi inebria me! Pie Pellicane* JESU *Domine, me immundum munda, infirmum sana, mortuum vivifica tuo sanguine, cujus una stilla, salvum facere totum mundum quit ab omni scelere.* S. Thom: Aquinas.

3. Si Christus, per hoc, se probavit bonum Pastorem, quia in Sacramento animam suam dedit pro ovibus suis, & ita sub speciebus Eucharisticis abscõdit majestatem suam, ut simplex panis appareat, ut ibi nec videat corporaliter, nec audiat, nec loquatur, nec tangat, ut totus lateat in tota hostia, & totus in qualibet parte hostiæ: etiam prælatus tunc sese bonum probabit Pastorem, si totam dignitatem suam in subditorum utilitatem convertat, si sit quasi unus ex illis, si illorum defectus, præsertim contra se, admissos æquanimiter toleret, ac benignè dissimulet, si singulos ita amet atq; omnes, & omnes tanquam singulos. Deniq;, ut invidiam ex honore, quem gerit, emanare solitam, apud subditos evitet, gerat se, quoad multa, mortuo modo, videndo quasi non videat, audiendo quasi non audiat, puniendo quasi non puniat, manducando & bibendo, quasi non manducet, nec bibat, lepeliat se in cubiculo, non jactet ulla bona opera, estò illa faciat, sit una cum illis anima, unus Spiritus.

FERIA III.

Mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit, & lupus rapit &c.

1. Est quidem unusquisq; homo, Pastor; magnum enim habet, à Domino DEo, concreditum sibi gregem, Potentiarum, sensuum, operationumq; innumerarum, tam internarum, quàm externarum, ut illum, Domino suo, fideliter custodiat & conservet: Sed quo quisq; animo & corde, supra istum gregem, vigilet, indicat lupus, bestia insidians & rapax. Hic enim prodit, an aliquis sit Pastor bonus, fidelis, verax? an verò mercenarius, conductitius, fallax? Quamdiu omnia è voto fluunt, quamdiu nulla insurgit adversitas, nulla se offert periculosa occasio, nulla tentatio insidiatur, omnes videntur Pastores, gregem suum custodientes, & in integro conservantes. Sed veniat lupus; instet adversitas; pulset tentatio; tunc se uniuscujusq; prodit indoles. Nam qui sincerè, fideliterq; servit DEo, perstat in custodia sui gregis, sensuum, cupiditatum, passionum, cogitationum. Qui autem mercenarius est, qui non servit DEo nisi propter oculum, propter mercedem, propter metum, ille dimittit oves, permittit vagari suos sensus, consentit lupo, diabolus illum per aures, per oculos, per linguam, per manus, facilè ad se trahit, & in æternam ducit perditionem. O anima mea, *leva oculos tuos in montes, unde veniet auxilium tibi. Auxilium tuum à Domino qui fecit cœlum & terram. Non det in commotionem pedem tuum, neq; dormitet, qui custodit te. Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israël. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam. Per diem sol non uret, neq; luna per noctem; Dominus custodit te ab omni malo. Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc, nunc, & usq; in seculum.* Psal. 120.

2. Gravi eum DEus notat censurâ, cui dicit: *Mercenarius es.* Nam ille est mercenarius, qui temporalem duntaxat mercedem quærit, qui propter oculum humanum & metum laborat. Is profectò in domo Patris non manebit in æternum, quia indolem

filii non habet; ac proinde non habebit partem cum Patre, neq; erit heres Regni Cælestis. Si ergo temporalibus lucris inhias; si vanam captas gloriam; si honore terreno plurimùm delectaris; mercenarius es: recipis jam temporalem mercedem; noli sperare æternam, in domo DEi Patrisfamilias, mansionem. Quales fuerunt Pharisæi, qui omnia ideo faciebant, ut *viderentur ab hominibus: & ideo receperunt mercedem in vita sua.* (Matt: 6.) *Si dignus fueris agere aliquid, quod DEo placeat, & aliam adhuc, præter hoc ipsum, mercedem requiris, verè nescis, quantum boni sit, placere DEo.* S. Chrysostomus. O DEus meus, *quid mihi est in cælo, & à te quid voluì super terram, præter te.* (Psal: 72.) *DEus cordis mei, & pars mea DEus in æternum:* (Psal: 72.) *Nullam aliam mercedem requiro, præter Te, tuumq; beneplacitum.* S. Thomas Aquinas.

3. Quando me DEus ad S. Religionem vocavit; speciali me Pastoris titulo insignivit ac decoravit. Tot enim oves, fidei meæ, custodiendas commisit, quot Regulas, quot constitutiones, quot ordinationes, quot Sanctas consuetudines, ante meos oculos posuit. Si ergo illas fideliter ac integrè servo, nec ab aliis violari permitto, Boni Pastoris fungor officio; & Princeps Pastorum, pro hac fideli custodia, reddet mihi debitum præmium in tempore suo. Si autem illas ad oculum tantùm servo, propter respectum & metum humanum, ut videar & habear pro Religioso, ut aliquâ temporali prærogativâ potiar; jam infamem mercenarii notam defero. Quodsi adhuc illas passim frango, nec oculos etiam humanos caveo, sed malo meo exemplo, alios corrumpo, & ad violanda Religiosa instituta perduco, jam lupus rapax & oves dispergens evado; jam de me ille sarcasmus verificatur: *O præclarum ovium custodem (ut ajunt) lupum.* O Princeps Pastorum, *qui es factus forma gregis,* (1. Petri: 5.) tribue mihi profundam Regularum mearum intelligentiam, largire tenerrimum illarum amorem, dona serium, illas observandi, zelum. Nondum quidem pro servandis illis usq; ad sanguinem hostibus animæ meæ restiti, sed abhinc libens, etiam vitam, pro illarum incolumitate, impendam: millies potiùs moriar, quàm ut aliquam deliberatè transgrediar, dummodò mihi, specialis tua assistat Gratia.

FE-

FERIA IV.

Cognosco oves meas.

1. HOc verbum, *Cognosco*, dum in S. Scriptura tribuitur DEo, significat, *Diligere, Benefacere, Curare.* Hinc S. Paulus 2. ad Timot: 2. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* id est agnoscit suos, benefacit eis, curat eos. Hoc significat illud (Matt: 11.) *Amen dico vobis. nescio vos.* id est, non agnosco vos pro meis, nolo vobis benefacere. Dum ergo Christus dicitur cognoscere oves suas, significatur, quòd eas diligat, eis benefaciat, eas curet, illis auxilio sit. Quia ergo semper est in actuali cognitione nostrî, ita, ut nunquam eam deponat, semper quoq; est in actuali, erga nos, beneficentia, cura, providentia, solicitudine; ita, ut singulis momentis, nova & nova, ab eo, percipiamus beneficia. Quantùm ergo illi sumus obstricti, ut ei, pro tanta cura, gratias referamus, illum perpetuò amemus, laudemus, glorificemus, illius oculos, adeo nostris commodis, intentos revereamur.

2. Magnum est solatium ovi, si videat Pastorem sibi invigilantem, & in sûi custodia excubantem; jam enim securè pabulo suo frugitur, jam liberè subsilit, plaudit, & amænè balat. Quodsi ei periculum à lupo vel tempestate immineat, habet quo refugiat, scilicet in sinum & gremium sui Pastoris; hic enim illam defendet, proteget, in suam reducet caulam. O anima mea, quantum est & tuum solatium, si inquacunq; difficultate, tentatione, necessitate, verè credas & recogites: Cognoscit me Pastor meus, habet ille, supra me vigiles oculos; non deponit ille custodiam mei; *Dominus est solicitus mei, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ, ibi me collocavit.* (Psal: 39.) Ita mecum agit, sicut agendum novit; tam sapienter & providè me gubernat, quàm res postulat; hinc me plenè in manus providentiæ ipsius resigno; illius beneficentiæ confido; *in manibus ejus sortes meæ;* (Psal: 30.) in sinu ejus *securè dormiam & requiescam.* Psal: 4.

3. Solent Pastores, certis notis & characteribus, signare suas oves, ex quibus, illas dignoscant à non suis; unde jam illarum

peculiarem gerunt curam, fructus earum percipiunt, & ad ovile suum, eas admittunt, ibiq; fovent, curant, protegunt; possuntq; verè dicere: *Cognosco oves meas.* Etiam Christus signat oves suas. Notæ autem seu stemmata, quibus eas insignit, est inprimis *Character baptismalis, & Gratia justificans,* deinde *Virtutes Theologicæ* ovibus in baptismo infusæ, *Fides, Spes, Charitas,* de qua postrema Christus ait: (Ioan: 16.) *In hoc cognoscent, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem servaveritis.* Character etiam Christi est Humilitas & mansuetudo; hanc enim formam vult nobis Christus potissimùm imprimi, dicens: (Matt: 11.) *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Horum autem omnium, fons & radix est abæterna Dei cognitio, seu Prædestinatio; hinc enim provenit vocatio ad baptismum & fidem, justificatio, virtutum ad salutem necessariarum, certa series & concatenatio; juxta illud Apostoli, (Rom: 8.) *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; & quos justificavit, hos & glorificavit.* Hæc ergo æterna Dei cognitio, est decretum & Prædestinatio, finis ultimi, ad quem, DEus vult perducere oves suas, per media proportionata & congrua, quæ non sunt alia, nisi actus virtutum, seu bona opera, cum specialibus auxiliis Divinis præstita & exhibita. O Primum Principium A quo, felicitatis meæ, te adoro! O media per Quæ, vos amplector! ô ultime finis ad Quem, quando te attingam!

FERIA V.

Et cognoscunt me meæ, & vocem meam audiunt.

1. NOtat & miratur Aristoteles, Taurum ferocem obedire parvulo puero, qui eum pascit, ejusq; gerit curam; & quia illum tanquam suum Pastorem agnoscit, subditur illi; vadit, quò puer impellit; etiamsi virgâ illum percutiat, non recalcitrat, cornu non impetit; etiamsi loro vel fune, caput aut collum tauri obliget, non refragatur, sed pacatè illi paret. Reliquos autem homines, tanquam inimicos impetit & persequitur. Quia nimirum experientiâ comperit, parvulum puerum, eum ducere & reducere ad pascua, & aquas. Quantopere convenit, ut

etiam

etiam nos, agnoscamus Pastorem nostrum Christum, eiq; obtemperemus; ita, ut etiamsi aliqua dura, & sensui repugnantia imperet, tamen prompté exequamur; hoc enim signo probabimus, nos, illius esse oves proprias, illum verò nostrum Pastorem.

2. Amos 3. dicitur: *Quomodo si eruat Pastor duo crura, aut extremum auriculæ de ore leonis, sic eruentur filii Israël.* Ubi S. *Hieronymus* notat, liberandos de populo Israél, dici auriculam & crura. Quia licet videaris à dæmone devoratus, noli adhuc desperare de tua salute; habeto tantùm aurem, quâ vocem Divinam audias; habeto boni desiderii pedes, quibus, Pastorem tuum, te vocantem sequaris, & viam mandatorum Divinorum ingrediaris, poteris adhuc erui de ore leonis infernalis, & salutem æternam consequi. Alioquin, si vocem ejus non audierimus, timendum nobis est, ne nos penitùs deserat, dicatq; illud (Zachar: 11.) *Non pascam vos ultra; quod moritur, moriatur; quod succiditur, succidatur.* Et illud (Hier: 15.) *Ejice illos à facie mea, & egrediantur. Quodsi dixerint, ad te: Quò egrediemur? Qui ad mortem, ad mortem! qui ad gladium, ad gladium.* Securus eris, dum in manibus Pastoris fueris; quodsi ab eo recesseris, in fauces luporum incides, ubi miserè peribis. Ergo necesse est, ut ad illum semper refugias.

3. Non solùm oculis, sed etiam auribus, cognoscunt oves Pastorem suum, dum vocem ejus audiunt. Sicut ergo, cum oves dispersæ sunt, solet Pastor, fastigium montis conscendere, & inde clamans voce magnâ, vocare oves suas, quæ suum agnoscentes Pastorem, accedunt ad illum, eiq; obsequuntur. Ita Christus, ut dispersas colligeret oves, & filios Dei dispersos in unum congregaret, ascendit montem *Calvariæ*, & in crucis fastigio positus, clamavit voce magnâ, donec raucæ fierent fauces ejus, donec spiritum emitteret. Summus profectò ille fuit clamor, quem é Cruce Christus dedit; supremam, in suas oves ostendens & ex imis visceribus promens charitatem. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* (Psal: 94) Etiamsi ovis carpat herbas, si tamen audiat vocem Pastoris, pastum dimittit, ut eum sequatur; ita & justi faciunt. Carpebat Magdalena herbas veneno infectas ac mortiferas; vocat eam Christus, relinquit illa herbas, accedit ad Christum; quia ovis erat Christi. Edebat

mortiferas herbas Matthæus; vocatus à Chriſto, eum ſequitur. Similiter Saulus vocatus ait: *Quid me vis facere.* (Acto: 9.) *Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes* vocati ab illo, *continuò relictis omnibus, ſecuti ſunt illum;* (Matt: 4.) Quia oves ejus erant. O anima mea, jam à multo tempore, herbis mortiferis paſceris! vocat te DEus, ut eum ſequaris? ſi non audis, ſi non ſequeris, non es de ovibus Chriſti.

FERIA VI.

Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet &c.

1. ANtequam Filius DEi, melotem carnis humanæ induit, habuit in cælo ampliſſimum ovile, ex innumera Angelorum multitudine, conflatum, à qvibus poſtquam refractarios & petulantes hædos ſegregavit, in plurima pace & opulentia, reliquas oves, ſuum ibi Paſtorem cognoſcentes, ac debitos ei venerationis, nec non gratiarum actionis fructus impendentes, rexit feliciſſimè. Numerus autem Angelorum in cæleſti ovili contentorum, tanto excedit intervallo, numerum hominum, quanta eſt proportio numeri 99. ad 1. Sed bonus & magnanimus Paſtor non contentus illis ovibus, dicit: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex iſto cæleſti ovili, & illas, oportet me, huc adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile.* (Ioan 10.) Sub me uno Paſtore. Ergo ille Paſtor, *relictis 99. ovibus, venit quærere ovem quæ perierat:* (Matt: 18.) Unde, qui in cælo erat Paſtor Angelorum, nunc efficitur Paſtor hominum. O Paſtor optime, quàm perverſum gregem nunc cuſtodire vis? Facilè, & ſine ullo labore, Angelos regebas in cælo, uno ſibilo eos in tuo prædio continens, ſed nunc ſi homines paſcere vis, multo labore & ſudore, opus tibi erit, nocte & die, æſtu ureris & gelu, fugiet ſomnus ab oculis tuis, clamabis aliquando & dices: *Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ:* (Pſ: 68.) inobediens eſt grex, difficilè audiet vocem tuam. Sed Paſtor dicit: Etiamſi in hoc munere, vita mihi ſit profundenda, tamen Paſtorem agam. Felices oves, quæ hunc ſequuntur Paſtorem.

rem. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ, ibi me collocavit.* (Psal: 22.) *Nos autem populus ejus & oves pascuæ ejus.* Ps. 94.

2. Prædixerat olim Isaias talem futurum gregem: (cap: 11.) *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Nunquam talis grex visus est in terris, donec Filius DEi factus parvulus, illum conjungeret. Id autem tunc perfecit, quando Iudæos & Gentes, Divites & pauperes, sapientes & insipientes, nobiles & ignobiles, in eodem constituit ovili, ac perpetuam, inter eos, pacem firmavit, ut sibi non noceant. Quid enim sunt illi crudeles Nerones, Decii, Valeriani? nisi feroces leones, pardi, lupi? inter hos, misit Pastor Apostolos, eorumq; Successores Martyres, dicens: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* (Luc. 10.) Quid verò factum? Non leones, pardi & lupi superârunt oves, sed oves vicerunt illas feras, humilitate, mansuetudine, patientiâ, longanimitate; & ita oves retulerunt triumphum ex leonibus & lupis, eosq; ad ovile Christi adduxerunt, atq; jam unà cum illis, vocem sui Pastoris audiunt.

3. Quod olim Christus fecit cum Gentilibus, eos ex leonibus & lupis oves faciendo, & ad suum ovile adducendo, hoc modò facit cum peccatoribus, reducendo illos in viam veritatis, si cum Psalmista illum orent: (Psal: 118.) *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum Domine.* Egredienti *Davidi* cum suis militibus, occurrit *Semei*, & per jugum montis gradiens, maledicebat Davidi, lapides in eum proijciens, & terram spargens. (2. *Reg:* 16.) Non potuit hoc *Abisai* sustinere, volebatq; occidere Semei, sed eum David prohibuit. Quoties peccator contra Deum Regem suum insurgit, quoties peccata, veluti maledicta & saxa, in eum iacit? Angeli quidem parati sunt ad vindicandum, *sunt gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis;* (Psal: 149.) parati ad colligendum zizania, ut ea mittant in ignem. Cùm verò dicunt: (Matt: 13.) *Vis, imus, & colligimus ea,* impedimento illis est Christus, & ait: *Non.* Hoc admirans *Augustinus* exclamat: *Ego te offendebam, & tu me defendebas; Ego à te fugiebam, & tu me insequebaris; ego errabam, & tu me quærebas; ego non eram ex ovili tuo, & tu me ex lupo feciſti agnum, & humeris*

tuis

tuis impoſitum reduxiſti ad caulam tuam; quia te, nimius amor tuus, erga me ſtimulabat.

SABBATO

Et illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Paſtor.

1. NUlla neceſſitate compellitur, nulla quoq; allicitur utilitate DEus, ad quærendos, ac in ſuum ovile adducendos Gentiles, vel quoſcunq; Peccatores; nam æque benè DEo eſt abſq; illis, atq; erit cum illis; cùm nullam ei addant intrinſecam felicitatem. Quia tamen illum, infinita ejus charitas & miſericordia ad id movet, ideo dicit: *Et illas oportet me adducere.* Scatet enormi ſcabie filiolus, omnes ab illo abhorrent, & oculos avertunt, ſola Mater illi adſtat, ejus ulcera intuetur ſine horrore, oblinit, fovet, inungit; quia illam, maternus amor impellit. Alius filius laborat phreneſi, Matrem interdum percutit, imò vulnerat; mater tamen ignoſcit, diſſimulat, compatitur, remedia, ad depellendam phreneſim, inquirit, adhibet, applicat; quia maternus amor ita jubet. Ita ſe gerit DEus erga peccatores! alii, eos deſpiciunt, oderunt, perſequuntur, ſolus DEus, eſtò ab illis offendatur, eos curat, quærit, adducit; quia charitas illum neceſſitat. O inſenſate! o phrenetice! quouſq; tantum tui amatorem non redamabis?

2. Si Chriſtus recolens, ſe habere alias oves, quæ non ſunt ex ejus ovili, dicit: oportere, ut eas adducat. Et mihi ſæpè recolendum, an non habeam, aliquas oves, quæ non ſint ex ovili Chriſti. Et certè mei inconditi mores, indomitæ paſſiones, ſenſus ad exteriora effuſi, lingua in loquacitatem prona, oculus vagus, voluntas proterva, nonné ſunt hujuſmodi oves? Ergo illas, oportet me, adducere, imò pridem oportebat adduxiſſe, ad leges modeſtiæ, ad amuſſim regularum, ad normam diſciplinæ religioſæ, ut in me ſit unum Chriſti ovile, ut in me, omnibus affectibus, unus præſideat Paſtor, tanquam ſummus arbiter.

3. Sicut omnes circuli lineæ ad centrum unum collimant, ita omnes

omnes oves, in ovili Chriſti contentæ, ad unum Paſtorem collimare debent. Tunc verò collimabunt, cùm erunt inter ſe, mutuo charitatis nexu, conjunctæ; quod Chriſtus innuit dicens: *Et erit unum ovile, & unus Paſtor.* Sed quomodo illas, unum charitatis vinculum connectet? Si meminerint, ſe eſſe unius Paſtoris oves, unius capitis membra, unius Patris filios. *Si ſerviant ei humero, uno* (Soph:3.) Si de illis verificetur: *Et erat multitudinis credentium cor unum & anima una.* Acto: 4.

DOMINICA III.

POST PASCHA.

Modicum & jam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me. Ioan: 16.

1. VErè modicum quid, ſunt Euchariſticæ Panis & vini ſpecies, quæ tamen ita Chriſtum abſcondunt, ut à nobis videri non poſſit. Nam hoc Sacramentum eſt nubecula parva, quæ tamen grandem continet & profundit pluviam. Eſt illa nubes, de qua Propheta prædixerat: *Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem levem;* Iſ:19. atq; hæc *nubes*, eſt *latibulum ejus*, (Iob: 22.) ratione cujus dicitur *DEus abſconditus.* (Iſaiæ 45.) Involverat olim DEus majeſtatem ſuam, tenellis parvuli unius infantis membris, & hæc ipſa membra, modicis contexerat pannis; ſed hîc & majeſtatem Divinam, & ipſa, humani Corporis membra, minutioribus abſcondit involucris: Scilicet ſacramentalibus panis & vini exuviis. At licet ipſum hîc non videam oculis corporis, opus tamen eſt, ut eum intuear oculis mentis. Caligat quidem hîc ſenſus exterior, nec illum attingere poteſt, verùm obtutus fidei interior, neceſſe eſt, exacuatur ad ipſum contemplandum. *Guſtate, inquit Propheta* Pſ:33. *& videte quàm ſuavis eſt Dominus.* Priùs eſt guſtandus, quàm videndus. Vis illum videre, guſta; vis guſtare, ut tibi ſapiat, excitet in te fides, famem, deſiderium, reverentiam, amorem; ſi ita guſtaveris, videbis, *quàm ſuavis eſt Dominus. JESU, quem velatum nunc aſpicio, oro fiat illud, quod tam ſitio, ut te re-*

velata cernens facie, viſu ſim beatus tuæ gloriæ. S. Thom: Aquì:

2. Tempus paſſionis eſt hoc modicum, per quod Apoſtoli Chriſtum non viderunt; quia illum, ab oculis eorum, abſconderat umbra mortis. Sed quare ô Domine, tot catenas, tot flagella, tot ſpinas, clavos, lanceam, Crucem, appellas modicum? Nunquid iſta, graviſſimos tibi dolores non intulerunt? nunquid atrociſſimam mortem non inflixerunt? nunquid dilectam animam ac vitam, toto mundo pretioſiorem, non eripuerunt? ita ſanè. Sed ſicut *Iacob Patriarchæ*, duriſſimi labores, quos annis 14. in domo *Laban* tolerabat, *videbantur pauci dies, præ amoris magnitudine*, quo, erga ſuam *Rachelem*, flagrabat; (*Gen: 29.*) ita Chriſto, præ amoris magnitudine, quo ferebatur erga Patrem æternum, & ſalutem humanam, horrenda illa ſupplicia & cruciatus atroces, videbantur quid modicum. Menſura hïc amorem tuum, erga DEum; ſiquidem tibi, leves moleſtiæ, videntur graviſſimæ.

3. Modicum ſunt omnia mundana; quia nihil fuerunt, & quamvis modò ſint, tamen mox non erunt, ac in ſuum redibunt nihilum. Percurre mente, omnes mundi pompas, voluptates, honores, divitias, quid iſta omnia ſunt? niſì modicum, umbra, nihil, comparativè ad DEum æternum, immenſum, ſapientiſſimum, ditiſſimum, beneficentiſſimum, majeſtuoſiſſimum, amabiliſſimum! *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* (Eccl: 12.) *Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens*, ait Pſalmiſta. (Pſal: 36.) Et tamen ſi hæc modica ita æſtimas, prout defactò æſtimari merentur, ſi illa, propter DEum contemnis, DEus, tibi, ſe dabit in præmium; ſi autem iſta modica admiraris, appretias, amas, ſi propter illa, à Deo, te vel leviter avertis, & veniales culpas ac leves defectus admittis, Deus ſe tibi negabit, propter illa, ſaltem ad tempus; Deum non videbis, & arceberis à complexu dulciſſimi Sponſi tui. Omnia igitur terrena, ſi deſint, non ſunt ſolicitè quærenda; vel ſi DEus illa adimat, aut deneget, non eſt dolendum; imò gaudendum, & agendæ gratiæ, eò, quòd impedimenta, ad citiùs ac pleniùs obtinendum ſummum Bonum, tollantur.

FERIA II.

Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.

1. Or-

1. ORdinariè DEus, poſt bona opera, permittit afflictiones, in homines juſtos. Obtulerat *Iob* holocauſta pro filiis, ne fortè inter convivandum peccâſſent; (Iob: 1.) optima Patris oratio pro filiis; & tamen mediâ die, poſt oblatum ſacrificium, domus corruit, & filii pereunt. Venit *Tobias* à ſepultura mortui, nec ob id comederat eâ die, & tunc cæcitatem, in illum, DEus permittit. (Iob: 2.) Redeunt ex Hieruſalem *MARIA* & *Ioſeph*, poſt celebratum ibi devotiſſimè feſtum, & tunc amittunt Dominum JESUm. (Luc: 2.) Similiter Apoſtolis evenit, poſtquam relictis omnibus, Dominum ſecuti ſunt; poſtquam magnos in virtutibus feciſſent progreſſus; ecce verò Chriſtus illis prædicit: *Plorabitis & flebitis vos.* Quòd malè agens flagelletur, quid mirum? *digna factis recipit*, ut ait juſtus latro. (Luc: 23.) Sed quòd etiam benefacientes patiantur, quænam æquitas? Hæc juſtorum eſt probatio: ideo cum illis, DEus ita agit, ut eis poſtea duplum reddat. Sicut *Iob*, *Tobiæ*, *MARIÆ* & *Ioſeph*, deniq; *Apoſtolis* fecit. Si ergo, cùm bene egiſti, mala experiris, ne doleas, citò tibi aderit remedium à Deo. Priùs DEus ſuos probare ſolet, poſtea ſolari.

2 Amantibus Deum nihil dulcius, quàm pati. Tum quia in nulla re poſſunt magis oſtendere amorem ſuum, erga Deum, quàm dura, pro eo, patiendo, ac difficilia agendo. Tum quia vident Chriſtum, tanta, pro ſe, paſſum; ut ergo eum imitentur, & vicem pro vice reddant, pati cum eo, & pro eo, quàm plurima ſitiunt, dicuntq; cum S. Ignatio.: *Amor meus crucifixus eſt* & cum S. Xaverio: *Amplius Domine amplius.* Tum quia Iuſtis, tribulatio eſt evidens argumentum prædeſtinationis & electionis ad gloriam, juxta illud: (2. Cor: 4.) *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ onus, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Tum quia, ait S. Gregorius: *Mala, quæ nos hic premunt, citius ad DEum ire compellunt.* Si curſor habeat in via, prata amæna, luſus, convivia &c. facilè illorum delectatione attrahitur, & præpeditur à termino; quodſi nihil tale ipſi occurrat, expeditè iter ſuum conficit. Tum quia tribulationes, aut culpas perpetratas in juſtis tollunt, aut ne perpetrentur, impediunt: unde pulchri ſemper in conſpectu DEi comparent.

3. Produnt hiſtoriæ, duos fuiſſe Philoſophos, è diametro ſibi oppo-

oppositos *Heraclitum & Democritum.* Ille quocunq; se vertebat, quidquid agebat, videbat, audiebat, plorabat; Hic verò ad quoscunq; eventus seu prosperos seu adversos, ridebat. Simile videtur ingenium justorum hominum & mundanorum. De illis enim dicit (Psal:125.) *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua.* Et Ps:136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur tùi Sion.* De mundanis autem ait Iob: (cap: 21.) *Non est virga DEi super illos. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, infantes eorum exultant lusibus, tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos &c.* Sed, *quidquid agis, prudenter agas, & respice finem. Si finis bonus est, fiet laudabile totum. Si finis malus est, fiet culpabile totum.* Vita justorum est comædia, cujus principium & progressus tristes, sed lætus exitus. E contra verò vita mundanorum, est tragædia, cujus initia & progressus amæni, sed finis funestus. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Ut patet in Evangelico *Epulone, & Lazaro.* (Luc: 12.) Elige sortem alterutram; nam una tenenda est. *Elegi abjectus esse in domo DEi mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Psal: 83.

FERIA III.

Tristitia vestra vertetur in gaudium.

1. SIcut mundani & justi homines, quamdiu versantur in via, oppositè vivunt; Nam illi continuò gaudent, & *cùm malè fecerint, exultant in rebus pessimis* Pro:2; hi verò perpetuò ferè tribulãtur & affliguntur: ita, dum in termino consistunt, multò magis opponuntur sibi. Nam illorum lætitia convertitur in æternum luctum, in lamentationes & væ: juxta illud: (Iob: 21.) *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et Prov: 14. *Extrema illorum gaudii, luctus occupat;* horum verò tristitia vertitur in gaudium sempiternum. Nam illis dicitur: (Matt: 5.) *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* Et (Matt: 25.) *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Iustus enim est, (ùt Ps: ait 1.) Similis arbori vivæ, bene radicatæ, *plantatæ secùs decursus aquarum,* quæ estò in hyeme, foliis & floribus nudatur, in vere tamen iis ornatur; & denuò reflorescit. Impius autem comparatur

ratur arbori eradicatæ, bis mortuæ; nam spoliatur in perpetuum lætitiâ, sine spe recipiendi eam; quia ab eo longè recessit DEus.

2. Hâc nos astutiâ persæpè dæmon fallit; quia non ostendit nobis, totum virtutis vel peccati statum, sed solum initium & frontem, finem autem abscondit: Nam ostendit quidem tristitiam virtutis, quæ ab initio solet evenire; *Omne enim principium grave*, sed non ostendit, quòd hæc tristitia pariet ineffabile gaudium, non solùm in altera, sed etiam in præsenti vita; nam secura mens est quasi juge convivium (*Prov: 15.*) Similiter ostendit lætitiam & gaudium peccati, sed non ostendit, quantos deinde angores & cruciatus ferat, tum in præsenti, tum in altera vita; non admonet nos: quia *momentaneum est, quod delectat; æternum, quod cruciat.* Si enim totum utriusq; rei statum nobis ostenderet, proculdubio nos non deciperet. E contrà Christus facit, utpotè *summa veritas, quæ nos nec fallere, nec ipsa falli potest. Plorabitis & flebitis vos, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* (Ioan: 16.) Et (Lucæ 6.) *Væ vobis, qui nunc ridetis, quia plorabitis & flebitis. Væ vobis, qui habetis consolationem vestram &c.*

3. Non ad id, quod, initio rerum est, attendi debet, sed quod in fine. Nam antequam aliquis emat domum, non est contentus, quòd ianuam ejus inspiciat, sed uniuersam priùs perambulat ac perlustrat, tum demum de illa emenda init contractum. Ne ergo solam inspicias peccati ianuam, quæ pulchra est. *Vidit mulier lignum, quòd esset pulchrum visu, aspectuq; delectabile*, & nihil amplius considerans, decepta est, & *comedit.* (Gen: 3.) Si intùs fuisset ingressa, vidisset ruinam, fæditatem, & monstrositatem peccati, atq; sic abstinuisset. *Favus distillans labia meretricis, sed novissima ejus amara, ut absynthium.* (Prov: 5.) Aureum calicem propinat voluptas, sed mortifero veneno plenum, quem cùm gustaveris, cogeris exclamare: *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior.* (1. Reg: 14.) Noli etiam attendere solam virtutis ac pœnitentiæ frontem, quæ hispida, tristis & incompta est; intuere totam ejus formam & pulchritudinem, tum proculdubio, amore ipsius capieris. Si Apostoli, Sanctiq; Martyres attendissent ad solam acerbitatem dolorum, & infamiam ignominiarum, absterriti fuissent

à calice suæ passionis; sed quia considerabant finem, quia hoc totum vertetur in gaudium, *fortes facti sunt in bello;* (ad Hebr: 11.) *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine* JESU *contumeliam pati.* Acto: 5.

FERIA IV.

Dicebant ergo: Quid est hoc? quod dicit modicum. Nescimus quid loquitur!

1. QUamdiu *Ioseph Patriarcha*, duriùs fratres suos tractabat, variis eos modis vexando ac tentando, (*Gen*: 43.) tamdiu illi ignorabant eum esse Fratrem suum, & nesciebant, quo fine, aspera & cruda ipsis verba diceret: Sed non diu hæc duravit probatio; quia non poterat se ultra prohibere *Ioseph*, elevavitq; vocem suam cum fletu, & ait: (*Gen*: 44.) *Ego sum Ioseph frater vester*; & amplexatus est, & osculatus est eos. Ita nunc evenit Apostolis; quando illis Christus loquebatur, de modico suæ Passionis, quo, illum non erant visuri, ideoq; privandi erant ipsius aspectu & solatio, quod ex ejus conversatione capiebant, imò gravi dolore affligendi, non intelligebant hunc sermonem, & dicebant: *Quid est hoc, quod dicit nobis modicum? nescimus quid loquitur?* Sed exspectate tantisper Apostoli; nolite putare, hanc tempestatem diu duraturam; resplendebit brevi sol, redibit serenitas; Non poterit se Christus continere, quin vobis brevi ostendat vulnera sui corporis redivivi, & aperiat viscera infinitæ charitatis suæ. Idem cuivis justo evenire solet. Non intelligit fortè, dum illum DEus aliquâ premit afflictione, quo fine id faciat? putatq; hoc diu duraturum; sed brevi intelliget, quando in illum DEus *loquetur pacem suam*; (Psal: 84.) quando vultum suum super eum illuminabit. *DEus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Psal: 66.

2. Estò vita nostra, & omnia, quæ in ea visuntur, sint quid modicum: Estò id nobis persæpe Scriptura Divina inculcet, dum dicit: (Iacob: 4.) *Quid est vita nostra, nisi vapor ad modicum parens.* Et Sapien: 2. *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ.* Et Iacob Pha-

Pharaoni dicit: (Gen: 47.) *Dies peregrinationis meæ 130. anni, parvi & mali.* Et Iob: cap: 9. *Dies mei velociores cursore fugerunt & non viderunt bonum; pertransiérunt sicut naves poma portantes, & sicut aquila volans ad escam;* tamen hoc videmur non intelligere; videmur nescire, quid Scriptura Sancta? quid nobis DEus per eam loquitur? Audimus toties Christum in Evangelio monentem: (Lucæ 12.) *Estote parati, quia quà horà non putatis, Filius hominis veniet.* Et (Luc: 13.) *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Contendite intrare per angustam portam;* (Luc:13 tamen non intelligimus, ac dicimus practicè: *Nescimus quid loquitur? Quid est hoc, quod dicit nobis modicum?* Videmur nobis in firma petra consistere, putamus mortem longè abesse, sed verè properamus ad illam, velociùs, quàm *navis pertransiens*, quàm *aquila ad prædam cutissimè volans.* Nihil hîc relinquemus præter brevem famæ odorem, vel gratum, vel fætidum; imò fortè nullum nostri vestigium remanebit; & tamen non intelligimus hæc. *Domine aperi nobis sensum, ut intelligamus Scripturas, Doce nos veritatem.*

3. Fugiens aliquis leonem, se, persequentem, abdit se in caverna terræ, in qua, reperiens arbusculam è visceribus terræ enatam, insistit & adhæret illi; sed ecce novus eum terror invadit; nam radices illius arbusculæ, duo mures, albus & niger, perpetuò arrodunt, ex angulis autem cavernæ exerunt capita, 4 serpentes, qui, fugitivo, aculeis suis morsus intentant, subtùs autem videt horrendam abyssum, in cujus fundo excubat draco terribilis, igneas flammas ore evomens. Nihilominus ille fugitivus miser, advertens aliquot guttas mellis, ex ramo arbusculæ stillantes, oblitus totius periculi, guttas illas mellis lambit, & securé exultat, subsilit, triumphat, quasi omnia essent tuta & salva. Quis hujusmodi, miserum non dicet insanum, & mentis inopem? Genuina Imago hæc est fugitivæ nostræ vitæ, fugimus omnes mortem, tanquam leonem, interea arbusculæ corporis nostri insistimus; & quamvis eam continuò nox & dies arrodant, quamvis 4. Elementa, ex quibus compositi sumus, veluti 4. angues, aculeos nobis intentent, quamvis subtus habeamus altum inferni puteum, & horribilem dæmonem nobis inhiantem, nihilominus modicâ voluptatis mundanæ stillâ capti, ita illâ oblectamur, exultamus,

tamus, plaudimus, quaſi jam eſſemus extra omne periculum, poſiti. Et quamvis nos Chriſtus de iſto modico admoneat, quamvis quotidiana experientia clamet, tamen nos dicimus: *Quid eſt hoc, quod dicit modicum? Neſcimus, quid loquitur?* Quia nimirum modicas mundi pompas, delicias, divitias, honores, tanquam grandia aliqua æſtimamus; cæleſtia verò ac æterna bona, flocci pendere aſſuevimus, ac proinde ab aſſuetudine æſtimandi, recedere non poſſumus, vel potiùs nolumus.

FERIA V.

Non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Ioan: 16.

1. QUamdiu animam in hoc mortali corpore gerimus, tamdiu fætum in utero portamus, veluti gravida mater. Sicut ergo fætui prodeundum eſt in lucem, ut deinde augmentum capiendo creſcat, & liberiore fruatur aurâ; ita quoq; animæ egrediendum eſt de corpore ad publicam lucem, in qua cum ſuis operibus appareat coram DEo Iudice, ejuſq; aſſeſſoribus Angelis. Nam *Spectaculum facti ſumus, mundo & Angelis & hominibus.* (1.Cor:4.) Sed ulteriùs, ſicut quamvis, dum paritur fætus, utriq; graves accidunt dolores & anguſtiæ, Matri quidem parienti (ad hoc enim per Dei ſententiam damnata eſt, ut in *dolore pariat;* Gen: 3.) proli verò propter novum eſſendi modum, & auram aſperam. Unde ſtatim plorat, dolorem ſuum lamentis prodens: poſtquam tamen partus feliciter in lucem prodiit, utriq; fit gaudium; & matri, quia *Natus eſt homo in mundum;* & proli, quia deinde ſuccreſcit, novaq; in dies incrementa ſumit; ita quamvis in morte, tanta fiet corpori anguſtia, quanta nunquam antè, & anima, tantis premetur doloribus, quanti vix cogitari poſſunt, ob peccata præterita, ob metum Iudicis & ſupplicii, tamen poſtquam anima ex metu illo emerſerit, & venerit ad illam lucem, de qua, Eccleſia pro defunctis: *Lux æterna luceat eis Domine, cum Sanctis tuis in æternum, quia pius es.* ô quanto tunc gaudio anima perfundetur! quantâ lætitiâ exultabit! Quodſi ambo in Reſurrectione veni-

ent ad

ent ad sûi amplexum, & stringent se, indissolubili unionis vinculo, jam tunc plenè verificabitur edictum Christi: *Non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum;* (Ioan: 16.) Novus homo, *configuratus corpori claritatis Christi;* ad Phil: 2. in mundum non hunc sublunarem, infinitis varietatibus, & molestiis subjectum, sed illum cælestem, in quo *non erit ultra mors, neq; luctus neq; clamor,* sed omnia bona in æternum. Apoc: 21.

2. Advertit *Isaias Propheta* aliquem partum funestum, ex quo non gaudium, sed luctus ac tristitia oriri solet; dicit enim ille cap: 59. *Conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt; qui comederit de ovis eorum, morietur; & quod confotum est, erumpet in Regulum.* Quidnam iste conceptus? quid infelix partus denotat? nisi *Conceperunt dolorem,* id est, decreverunt peccare; peccatum enim causaliter est dolor; quia cùm sit contra rationem, & contra naturam, necesse est, ut dolorem ingeneret. *Et pepererunt iniquitatem,* id est, opere impleverunt peccatum, & ad effectum deduxerunt suum propositum. Qualis verò proles inde sequitur? *Ova, inquit, aspidum ruperunt.* Ova illa sunt alba & pulchra exteriùs, sed interiùs plena sunt lethali veneno; nihil inde erumpet, nisi aspis, serpens venenatissimus! Qui tale ovum rumpit, vel comedit, ab illo perit miserrimè. Huic similis est peccati delectatio; exteriùs pulchra, blanda, mellita, sed intùs, fæditate, amaritudine, veneno, plena. *Ne ergo intuearis vinum, quando flavescit; nam suaviter influit, sed in novissimo mordebit ut coluber;* Pro: 23. Stillam mellis propinat voluptas, sed absinthij & amaritudinis mare integrum; *fel draconum, & venenum aspidum sub labiis ejus* Deuto: 32.

3. Antequam aliquis, mundo Civili & Politico, nascatur; antequam è statu humili & abjecta conditione evadens, fiat Homo; quot labores, molestias, solicitudines, debet subire! Mercator per mare, per terras, per inhospita saxa, per ignes currit ad extremos fines, Garamanthas & Indos, ut potiatur divitiis, & homo evadat. Miles, quot vigilias, excubias, tempestates, inedias, pericula, vulnera, sustinere debet! antequam officium sublime vel nobilitatem nanciscatur! Et quando jam statum alicujus consistentiæ acquirit, suâq; fruitur quiete, obliviscitur laborum

omnium ac ærumnarum, putatq; ſe beatum, ſi compos alicujus honoris, vel prædii evadat. Quodſi poſt longos annos, quos in negotiatione vel militia poſuit, nihil plus lucretur, niſi faſcē lignorum, quibus comburatur, quis lamentandam & funeſtam ſortem ejus non reputabit? Ut ergo cæleſti mundo naſcamur, ut fiamus Homines æternùm beati, ut potiamur quiete perpetuâ, & luce, honore, voluptate, jucunditate perenni, multæ moleſtiæ, dolores, labores, ſunt perferendi, ac devorandi; nam *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* (Matt: 11.) *Contendite intrare per anguſtam portam.* (Luc: 13.) Horum enim omnium non ſolùm obliviſcemur, ſed etiam inenarrabilem, ex illorum memoria, voluptatem ac lætitiam capiemus.

FERIA VI.

Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Ioan: 16.

1. EX his verbis colligitur, quomodo ſe DEus cum juſtis amiciſq; ſuis gerat; jam enim ſe illis abſcondit, jam manifeſtat; jam eos affligit, jam conſolatur. Vita hominis juſti eſt inſtar tabulæ luſoriæ, in qua non omnia ſpatia ſunt alba, nec omnia nigra, ſed partim alba, partim nigra, alternâq; viciſſitudine, ſibi, permiſta; ita juſto nunc proſperitas, nunc adverſitas; nunc lætitia, nunc mæror obvenire ſolet. Sicut enim viciſſitudo temporis eſt neceſſaria ad producendos ac percipiendos terræ fructus, unde ſibi ſuccedunt dies & nox, æſtas & hyems; ita ad proferendos animæ fructus, multùm conducit, ſpiritualis receſſus & acceſſus ſolis juſtitiæ, prout teſtatur Iob cap: 17. *Viſitas illum diluculo, & ſubitò probas illum.* Unde S. Hieronymus ad Marcellam exulem ait: *Ver amæniſsimum antecedere ſolet rigida & ſæva hyems, & quò magis mare intumuerit, ſævumq; fuerit, eò poſtea ſit tranquillius.*

2. Dum Sponſa eſſet poſita in afflictione ob ſponſi abſentiam, ita ſeipſam ſolatur: (Cant: 2.) *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Quaſi dicat: Quamvis meus

meus sponsus videatur longè recessisse, propè tamen adest. En, jam apparet, jam absconditur; non semper durus & opacus paries aufert illius præsentiam; sunt vacuæ fenestræ, per quas etiam præbet sui conspectum. Vicissitudo rerum mihi contingentium, cancelli sunt, in quibus, licèt sint aliqua obstacula, quominus totus semper videatur sponsus, vacua tamen & libera intercedunt spatia, per quæ videri, ac me solari potest. Unde Iob: 35. *Ubi est DEus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte.* Sicut enim homines, ut rigorem tristitiamq; noctis leniant, amæna concinunt carmina; ita DEus dat in nocte carmina, quia cùm suos tribulaverit, continuò illos solatur; etsi parum recesserit, citò revertitur.

3. Maximam DEus amicorum suorum gerit curam; & si aliquando eos deserit, redit statim, illosq; solatur. Hinc (Isaias 51.) *Consolabitur DEus Sion, & consolabitur omnes ruinas ejus, & ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Dum ergo es in afflictione, ne deficias animo; modicum *exspecta, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine tantisper Dominum,* (Psal: 26.) Nam quia *Saul* jussus est exspectare 7. dies, solatium auxiliumq; DEi, & non exspectavit, tota inde ipsius perditio ortum habet. (*1. Reg: 10.*) Quia *Israël* non exspectavit 40. dies, donec *Moyses* rediret à colloquio Dei, (*Exod*: 24.) Sed fecerunt sibi vitulos, ideo multa illorum millia gladio ceciderunt. *Exod*: 32.

SABBATO

Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Ioan: 16.

1. DUplex gaudium erat in cordibus Apostolorum. Unum, ex adventu Spiritûs S. quem post Ascensionem Christi acceperunt. & hoc *gaudium* vocat illorum *Proprium*, dum ait: *Gaudium vestrum*, nec posse illud ab eis tolli. Quando enim illares, à qua gaudiû proficiscitur, non potest tolli, etiam ipsum gaudium auferri non potest. Res mundanæ, uti sunt divitiæ, possessiones, honores, amici & his similia, quia facilè tolli possunt, per furem, latronem, ignem, infamiam, detractionem, mortem,

ideo & gaudium, quod in eis fundatur, facilè est auferibile, nec est propriè nostrum. Cùm ergo Spiritus S. non potuerit ab Apostolis auferri, ideo nec fundatum in illo gaudium. Si ergo mundani homines, pro suis divitiis, honoribus, possessionibus, tanquam araneæ pro suis telis, tantoperè laborant, quantoperè mihi curandum cor mundum? ut sit habitaculum Spiritûs Sancti; ut sim compos stabilis gaudii.

2. Alterum gaudium habent Apostoli, de æterna beatitudine, & beata æternitate; atq; hoc non potest ab illis auferri; quia fundatur in *visione DEi inamissibili ac indefectibili.* de quo (Psal: 147.) *Lauda Hierusalem Dominum. lauda DEum tuum Sion. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.* id est, occlusit omnes fores, nec aditum reliquit, quo possit malum in te intrare. Æternitas bonorum omnium in beatitudine contentorum, maximum, beato, confert gaudium quovis momento; quia sicut damnatus, dum videt perpetuò, æternitatem malorum sibi impendentium, quovis momento, ex illa apprehensione, toto æternitatis pondere premitur; ita beatus, quovis momento, ex reflexione supra perennitatem omnium bonorum possidendorum, exultat lætitiâ inenarrabili, & immensâ.

3. Quanta benignitas ac liberalitas DEi nostri! qui propter laborem & dolorem exiguum, dat æternum & nunquam amissibile præmium atq; gaudium. Si DEus commutaret manus, & laborem doloremq; faceret æternum, præmium verò ac gaudium breve, hoc esset planè difficile. Atq; id Peccatores sibi eligunt, brevi tempore delectari & gaudere, & in æternum cruciari & dolere. Sed cùm DEus non ita ordinaverit; nam parvo & transeunti labori, infinitam & inamissibilem designavit requiem, patet natura illius clementissima, & pientissimum ingenium, cujus non est, affligere & torquere, sed benefacere & solari.

DOMINICA IV.
POST PASCHA.

Vado ad eum qui misit me. Ioan: 16.

1. MAgnum, in terras, Legatum DEus Pater miserat, Filium su-

um ſuum, ut pacem æternam inter cælum & terram, componeret; ut eſſet *mediator DEi & hominum*; ut pretium ac litrum Redemptionis noſtræ, vitâ & ſanguine ſuo perſolveret. Ergo ille, confecto feliciter negotio, revertitur ad Patrem, qui eum miſit. Ita planè convenit, ut homo, ſiquidem à DEo miſſus eſt in mundum per creationem, redeat ad authorem ſuum, per voluntatis ejus impletionem; nam ad eum quiſq; vadit, cujus nutum & juſſa obſervat. Sicut enim flumina, quæ de mari exeunt, ad mare cum fænore aquarum revertuntur; & ſicut radii ſolares, qui directé à ſole in terram proiiciuntur, reflexo gradu ad ſolem redeunt; ita homo, ſiquidem à manu & voluntate Dei exivit, conſentaneum eſt, ut ad eandem ejus manum & voluntatem, per ſubmiſſam mandatorum ejus obſervantiam redeat. Mirabatur *S. Borgias*, quòd falcones aliæq; feroces volucres, è manu venatoris ad capiendam prædam emiſſæ, rurſus ad manum ſui Domini, quæ illas cicuravit, redeant; & homo etiamſi à Domino DEo creatus, multiſq; ſit auctus beneficiis, tamen ad illum non tendit; imò efferaſcens, longè abſcedit & aufugit. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* S. Auguſt: Tu enim es, *primum Principium, & ultimus finis, Alpha & Omega.* Apoc: 1.

2. Non dicit Chriſtus: *Vadam*, in futuro; ſed in præſenti *vado*, ut oſtenderet, ſe nunquam à ſuo curſu ac tendentia in Deum ceſſaſſe, ſed perpetuò, & omnibus actionibus in Deum, ejuſq; voluntatem perrexiſſe; Nosq; admoneret, iter noſtrum ad Deum non eſſe procraſtinandum, ſed continuò peragendum. Non dicas ergo, poſt annum, aut cùm ſenuero, ibo ad eum, qui me miſit; *hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* (Pſal: 94.) Et (Eccl: 5.) *Ne differas de die in diem converti ad Dominum, ſubitò enim veniet ira ejus.* Et Horatius in Thyeſte. *Nemo tam Divos habuit faventes, craſtinum ut poſſet ſibi polliceri.* Longanimis quidem eſt DEus, & multùm patiens in exſpectando peccatores ut convertantur; ſed non eſt abutendum patientiâ ipſius. Quia nulli ſecretum ſuum conſilium aperuit, quouſq; te exſpectabit. Aliis enim longum tempus indulget ad correctionem, aliis autem modicum & breve. Quis illi dicet: Cur ita facis?

3. Quibus viis Christus vadit ad Patrem suum cælestem, innuit Propheta dicens: (Psal: 24.) *Universæ viæ Domini, misericordia & veritas.* Ivit ergo per viam misericordiæ; nam omnibus etiam pessimis quibusq; aperuit sinum suæ misericordiæ, cæcis, claudis, leprosis, publicanis, meretricibus. Ivit per viam veritatis; docendo mundum veritatem; scilicet bona temporalia, ac transitoria, flocci esse facienda, bona verò cælestia ac æterna, in magno habenda pretio. Ivit etiam per viam Paupertatis voluntariæ; hac enim viâ fuit in mundum ingressus, hinc natus est in omni rerum egestate, in stabulo, inter jumenta. Qualis autem fuit in vitam ipsius ingressus, talis fuit & progressus, ac tandem talis ex hac vita egressus. Ivit per viam humilitatis & obedientiæ; nam *Humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis.* (ad Phil: 2.) Ivit deniq; viâ charitatis, juxta illud Apostoli (ad Eph: 2.) *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos.* Et. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* (*Apoc: 1.*) Tandem ivit per viam Passionis, & Patientiæ; nam *sicut Ovis ad occisionem ductus est, & coram tondente se, obmutuit,* (Isa: 53.) *Domine, notas mihi fecisti vias vitæ,* quibus mihi est insistendum, si venire volo ad Patrem; *Sequar te.*

FERIA II.

Nemo ex vobis interrogat: Quò vadis?

1. SIcum Apostolis Christus expostulat, quòd eum non interrogent: *Quò vadis?* dum ad Patrem, ad cælum, ad possessionem gloriæ suæ iret; quantò magis nobiscum expostulare potest! quòd eum, cùm ad nos in S. Eucharistia vadit, non interrogemus: *Domine quò vadis?* Ah! quò vadis? dum ad me vadis? Ad tuum proditorem, ad servum perduellem, ad locum plenum fætoris, squalloris, sordium! ad unam cloacam, immunditiâ, gulositate, curiositate, negligentiâ redundantem! Sed hoc me magis confundit, dum quæro & recogito: *Unde vadis?* Quia vadis de sinu Patris, de throno gloriæ tuæ, de adorationibus & præconiis Angelorum. Verùm, an sinus meus nobilior est Paterno? an cor meum conveniens tibi thronus? an tepor meus

glori-

glorificatio tua? an ego te puriùs & ardentiùs adoro ac laudo, quàm Angeli? Minimè verò. Sed jam extremè confundor, dum quæro & apprehendo: *Ad quid vadis?* Nimirum, ut me dites pauperem, sanes infirmum, mæstum soleris, confractum solides, erigas jacentem, sustineas ruentem, visites hospitem, ex misero facias beatum. Da ergo mihi Domine, intimè penetrare, non solùm *Quò vadis*, sed etiam, *Unde* & *Ad quid vadis*, dum ad me in *Sacrosancta Eucharistia* vadis? ut pro tanta dignatione, glorificem amem, laudem, tuam magnificentiam, bonitatem, pietatem, quæ sit benedicta in æternum.

2. Plurimum ad æternam salutem conducit, sæpè interrogare seipsum: *Quò vadis?* ad cælumnè? an ad infernum? ad vitamnè? an vero ad mortem? ad salutemnè, an ad perniciem? Si quis interroget intellectum, subtilia magis quàm utilia quærentem; voluntatem falsa bona amantem, & vera negligentem; oculum curiosè huc & illuc evagantem; linguam aliis detrahentem, obmurmurantem, invidentem, vana & futilia proferentem; *quò vadis?* Si deniq; opus quodlibet suum interroget ac examinet: *Quò vadis?* ad gloriamnè, & gustum DEi? an verò ad tuum commodum? tuam jactationem? tuum honorem? Porrò ad id maximè confert *Examen* tum *Generale*, tum *Particulare*; cujus nobis ipsemet DEus insigne præbuit exemplum. Cùm enim ille, in creatione mundi, omnia sua consummâsset opera, tandem ad illa respiciens, & supra ea, se reflectens, *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* (Gen: 1.) Quod etiam Psalmista usitatum sibi fuisse profitetur dicens: (*Psal. 6.*) *Lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis, stratum meum rigabo.* id est, reflectendo me supra actus diei præteritæ, antequam somnum capiam, deflebo errata mea...

3. Magna inde animæ damna proveniunt, quòd homo vitam suam temporalem non interroget: *Quò vadis?* Nam si illi responderet: Ad morbum, ad mortem eamq; vicinam, ad sepulchrum, ad putredinem, ad vermes; procul dubio ille meliùs sibi consuleret, atq; suas actiones corrigeret. Unde Hieremias ait: (*Thren. 1.*) *Sordes ejus in pedibus ejus, & non est recordata finis sui*: Quia fæditas actionum Peccatoris, inde vel maximè ortum habet, quòd non re-

cor-

cordetur finis sui. Proinde *Moyses* id cuivis optat dicens: (Deut: 32.) *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.* Hoc certè faciebat David dicens. (Psal: 118.) *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos*; id est, reflexi me, supra vitam meam, & agnovi me errare, ac proinde converti pedes meos in viam Dei. *Naaman Syrus* sanatus à lepra, abstulit secum 12. cophinos de terra Israél, ne idola coleret. (4. *Reg*: 5.) Vis tu idola tua famam, sensualitatem, garrulitatem, non colere; memoriâ tene pulverem, in quem reverteris. Cinis exustæ viperæ, medelam confert, morsui ejusdem viperæ. Momordit animam tuam Caro tua; vis præsentaneum huic vulneri adhibere remedium? volve profundâ consideratione, cinerem, in quem illa convertetur, & sanitatem recuperabis. *Memorare novissima tua, & in æternũ non peccabis.* (Eccl: 7.)

FERIA III.

Quia hæc dixi vobis, tristitia implevit cor vestrum.

1. AMissio bonorum temporalium, justum non conturbat. Est enim ille veluti arbor magna, altissimas habens radices, quam àér non solùm non commovet, sed etiam magìs radicat: licét interim folia ejus tollat. Est veluti domus supra firmam petram ædificata, quam proinde nec flumina, nec venti diruere possunt. *Non conturbabit justum quidquid ei acciderit.* (Prov: 12.) Et (Psal: 1.) *Non sic, impii, non sic; sed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Rupes à tempestate & procella maris, fiunt immobiles, ligna verò & stramen, huc & illuc jactantur pro libitu. Eodem igne aurum quidem purgatur, palea verò consumitur. *Tanquam aurum in fornace probat DEus electos suos.* (Sap: 3.) Sicut probabat 3. pueros in fornace *Babylonica* (Dan: 3.) Sicut *Iob*, *Tobiam*, *Davidem* &c. Sed cùm agitur de amissione bonorum spiritualium, ac cælestium, tunc verò justi vehementer turbantur, tunc illorum corda, inconsolabilis replet tristitia, tunc dolenter dicunt: (Psal: 41.) *Fuerunt mihi lacrymæ meæ, panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est DEus tuus?* Atq; hoc evenit SS. Apostolis: Multa illi incommoda patiebantur sequendo Christum; æstu urebantur & gelu, premebantur fame, siti, insomniis, calu-

mniis,

mniis, odiis; duriora adhuc illis comminabatur Christus, vincula, carceres, gladios, cruces, ignes, horrendas à fratribus & consaguineis persecutiones, & tamen Apostoli videbantur hæc omnia non sentire, nec apprehendere; hinc erant veluti *Rubus ille ardens, sed incombustus.* (Exod: 3.) At postquam illis Christus apertè dixit: *Vado ad eum, qui misit me. Modicum & non videbitis me,* ingens tristitia implevit cor illorum; non partem cordis, sed totum cor occupavit. Utinam & ego, ex toto corde meo doleam, quòd aliquando Deum meum per peccatum amiserim! Utinam posthac potiùs velim omnibus bonis privari, & mala omnia perpeti, quàm gratiâ DEi spoliari!

2. Non est mirum, Apostolos vehementi tristitiâ fuisse correptos. Quò enim majus est bonum, eò graviorem dolorem creat ipsius absentia. In uno Christo, Apostoli omnia bona habebant; dum ergo illum amittunt, necesse est, ut tristentur. Summa profecto, qualis in vita mortali haberi potest, illorum erat beatitudo; quia ei convivebant, ejusq; lateri semper adhærebant, ejus faciem perpetuò intuebantur, vocemq; audiebant, quem fide certissimâ, & tot experimentis miraculorum, Deum verum esse credebant, summoq; amore prosequebantur. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, & beatæ aures, quæ audiunt, quæ vos auditis. Multi enim Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt &c.* (Matt: 13.) *Si de Salomone Regina Sabina* protulit: (3. Reg: 10.) *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam;* multò magis id verificatum de Apostolis, qui coram Christo adstabant, & audiebant Sapientiam ejus. *Et ecce plusquam Salomon hic!* (Matt: 12.) Viderunt quidem illum & Pharisæi sed oculis duntaxat corporis, non animi; Apostoli verò & oculis corporis, aspiciebant illam oris ejus pulchritudinē, de qua (*Ps:* 44.) *Speciosus formâ præ filiis hominum;* & oculis mentis, summam ipsius Divinitatem spectabant. Quanta mea quoq; felicitas, quia eidem Christo in *S. Eucharistia* recondito commaneo, ejusq; lateri adhæreo, eum quoties volo, adire possum, & apud ipsum habere audientiam. Verè *non fecit DEus taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis* (Psal: 147. Et Deut: 4.) *Quæ sub sole natio est tàm grandis, quæ habeat Deos ita sibi appropinquantes, sicut DEus noster adest nobis*

3. Dum Sacerdos *Heli* tristem accepit nuntium, de cæsis multis de populo Isrâél millibus, tacitus dissimulavit; dum deinde audiit, duos filios suos *Ophni* & *Phinees* cæsos esse in illo prælio, tacuit; sed postquam inaudiit, Arcam DEi captam esse, tunc nimio dolore correptus concidit, & mortuus est. (*1. Reg: 4.*) Hoc enim summè ac unicè dolendum, quòd DEum per peccatum amiseris. Sicut enim solus DEus, cor hominis, vero implet gaudio, ita ejus abscessus, verâ & irremediabili tristitiâ deberet implere: nisi stolidi sensibus pueri effici velimus. Puer enim dum ei pomum aufertur, vel domus lutea dissipatur, dolet, plorat, lamentatur; dum verò illi eripitur hereditas, minimè dolet; quia puer est: non apprehendit verum suum damnum. Mira prorsus hominis stultitia! dolere multùm de amissione rerum temporalium, & non dolere, cùm ab eo DEus tollitur. Si nôsses, quid amiseris, dum Deum perdidisti, præ mœrore perires; *deficeret in dolore vita tua, & anni tui in gemitibus;* (Psal: 30.) Sed quia id vivè non agnoscis, ideo non studes continuò illum recuperare, sed in stoliditate tua persistis. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* (Ps: 12.) *Ostende mihi faciem tuam, nam facies tua decora.* Can: 2.

FERIA IV.

Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiêro, Paracletus non veniet ad vos.

1. ETiamsi expediebat ipsimet Christo, ut post tot labores, fatigationes, Passionem, mortemq; suam, abiret ad requiem, consolationem, & gloriam cælestem sibi debitam; Siquidem illum ad hoc invitat Psalmista: (Psal: 131.) *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ:* Nam Corpus Christi, in quo, tanquam in arca, Sanctitas Divinitatis asservabatur, merebatur sursum elevari, & considere in altissimo throno majestatis; tamen Christus non dicit: *Expedit mihi,* sed *Expedit vobis.* Ut ostenderet, se totum, seu in carne passibili, seu gloriosa versaretur, ad hoc fuisse intentum, ut nobis benè esset, ut nostris commodis ac utilitatibus prospiceret; juxta illud Ecclesiæ pro Festo

sto Corporis Christi: *Nobis datus, nobis natus, ex intacta Virgine.* Hinc rectè Christus assimilatur Ovi, *Tanquam Ovis ad occisionem ducetur.* (*Isaiæ 53.*) Sicut enim ovis, & viva & mortua prodest homini; nam illius & lana, & cutis, & lac, & caro, & ossa, sunt homini proficua; secùs, quàm multorum aliorum animalium; ita Christus seu vivus seu mortuus, per omnia nostris prospiciebat emolumentis. Siquidem ergo Christus, totum se, bono meo impendit, & omnia propter meum operatur commodum, nonnè conveniens est, ut & ego omnes meas ad illum referam actiones; Ut promovendæ ipsius gloriæ, planè oblitus mêi, unicè studeam; Ut eum, uno oculorum meorum, uno crine intentionum mearum respiciam.

2. Tenerrimo quidem affectu Apostoli Christum prosequebantur; sed quia amor ille non erat omnino spiritualis, sed sensualis & humanus: Nam fundabatur potissimum in aspectabili corporis Christi figura; videbant enim faciem ejus, de qua (Psal: 44.) *Speciosus formâ præ filiis hominum;* audiebant gratiosam illius vocem; de qua Sponsa. (Can. 2.) *Vox tua dulcis;* auscultabant suavissimam ex ore ipsius promanantem facundiam; de qua etiam hostes testati sunt: (Ioan: 7.) *Nunquam sic locutus est homo*: ideoq; illum diligebant. Unde tali amore Christum prosequendo, seipsos amabant; quia suam oblectationem sensualem, in hoc attendebant; ideo expediebat Christum ab eis discedere, & subtrahere ipsorum oculis, corpoream ejus præsentiam, ut sensim amor ille depuraretur, & transiret in plenè spiritualem, atq; sic perficeretur viva erga Divinitatem Christi fides, spes firmaretur, corroboraretur charitas. Vult enim Christus, ut amore ita purè spirituali diligatur, ne misceatur cum amore sensuali & proprio; atq; ne ita impediat Spiritum Sanctum. O quot in me regnant inordinati affectus! quomodo ergo in me non impedient Spiritum S.? Si festuca impedit oculum, ne videat claritatem solis, trabs quomodo non impediet? Si guttæ, decidentis pluviæ, suffocant ignem, flumina illum quomodo non obruent? O ignis! qui nunquam extingueris, accende me; O amor! qui nunquam vinceris, posside me; heredita-

in me. *O lux beatissima reple cordis intima tuorum fidelium.* Eccl: pro festo Pentecostes.

3. Terrenæ consolationes, magno sunt impedimento consolationi Spiritûs S. Unde Bernard. (*Serm: 3.*) de Ascens D: *Mens occupata carnalibus desideriis, gratiam Spiritûs S. non sperat.* Si ergo illam Apostoli non potuerunt accipere, cum humano erga carnem Christi affectu, quomodo illam accipiet? qui sterquilinio carnis suæ adhærens, terrenas in ea seminat oblectationes? quid enim inde *metet*, juxta Apostolum, *nisi corruptionem.* (ad Gal: 6.) Erras vehementer, si putes, balsamum illud, & spiritualem dulcedinem, misceri posse cum hoc lethali veneno. Si ergo plenè delectari desideras in Deo, dic cum Psalmista (Psal: 76.) *Renuit consolari anima mea;* scilicet in creatura. Tunc fiet quod sequitur: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* dicas cum eodem. *Quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terram* (Psal: 72.) Quia (ut ait S. Paulus: (1. Cor: 10.) *Non potestis mensæ Dei participes esse & mensæ dæmoniorum. Non datur manna, nisi cùm farina Ægypti defecerit* (Ex: 125.) *Avis, quæ simul natat & volat, immunda & inepta pro sacrificio judicatur.* (Lev: 11.) Si in rerum natura, DEus ùt *Author naturæ*, non patitur vacuum, minùs illud patietur incorde, ùt *Author gratiæ.* unde si terrenas oblectationes ejeceris ex corde, protinus Deus tibi cælestes immittet, ut illud repleat. Confringe hunc serpentem, ut possis esse liber & expeditus ad amandum Deum.

FERIA V.

Arguet mundum de peccato; quia non crediderunt in me.

1. QUòd per hoc peccatum, de quo Spiritus S. mundum arguet, intelligatur peccatum infidelitatis; patet ex contextu verborum Christi: *Quia non crediderunt in me.* Porrò diversa sunt ista, *Credere Christo, Credere Christum, Credere in Christum.* Credere *Christo*, est ipsius dictis assentiri propter summam ejus authoritatem in dicendo. Credere autem *Christum*, est assentiri Existentiæ Christi tanquam veri Dei. Tandem credere in Christum,

stum, est in illum tendere tanquam in finem ultimum. Estò itaq; ego credam Christo; estò etiam credam Cristum; tamen videndum mihi est, an credam in Christum? An nimirum in illum non solùm actu fidei & spei, sed etiam actu dilectionis ita ferar, ut illum præferam omnibus rebus creatis? an ad illum tanquam ad ultimum finem, pura intentione ordinem omnes meas actiones? O quot illæ sunt! quæ ab hoc fine aberrant! adeoq; sum obnoxius arguitioni Spiritûs S.

2. Utiq; Spiritum S. appellat Christus *Paracletum* seu *Consolatorem.* Quomodo ergo nunc de illo dicit: *Quia arguet mundum de peccato.* Si arguet, ergo non consolabitur, sed contristabit? Orat Psalmista: (Psal: 6.) *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.* Et *Iob* optabat in inferno abscondi ab arguitione Dei: (cap: 14.) *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno abscondas me, donec pertranseat furor tuus.* Multi, quos severus Regis vultus de aliquo delicto redarguit, à mærore, ac demiq; à violenta morte consumpti sunt. Sed quomodo Apostolus dicit: (2. Cor: 7.) *Contristavi vos per epistolam, & gaudeo, quia contristati estis sed ad pœnitentiam.* Ita dum Spiritûs S. arguit mundum de peccato, illa arguitio est causaliter consolatio & gaudium; siquidem eo fine Spiritus S. arguit, ut contristet ad pœnitentiam, quæ deinde gerat conscientiam bonam, pacatam, tranquillam! quæ est mater genuina gaudii & consolationis spiritualis, juxta illud: (Prov: 15.) *Secura mens juge convivium.* O Spiritus Diviniſſime, argue me de peccatis, & ante, ut ab illis abstineam; & post, ut pro illis doleam; ut sic illorum veniam, aput te, reperiam.

3. Non unum duntaxat peccatum Spiritus S. in mundo reperit; sed illorum myriades; nam *mundus in maligno erat positus,* (1. Ioan: 5.) id est, in malo igne iræ & concupiscentiæ. Unde Spiritus S. descendit in igne, ut suis extingueret ignibus ignes. Omnia enim vitia inundaverant, adulteria, furta, homicidia, perjuria; ideoq; animæ hominum, magno agmine ruebant in infernum. Et tamen non dicitur: quia Spiritus S. arguet mundum de peccatis, sed duntaxat de peccato. Quia nimirum omnium horum vitiorum, unicus erat fons & origo, Infidelitas, seu defectus veræ fidei: quæ tamen debuerat florere ac vigere, in-

Chriſtum, propter tot miracula, quæ ille patraverat. Si regnaret in me viva in Deum fides, quàm multi à me defectus abeſſent. Habet quiſq; ſuos nævos, quos ſingulariter patitur; nam *rari ſunt viſi, qui caruere niſi.* Laborat unuſquiſq; ſpeciali vitio, ad quod inclinat illum perverſa naturæ corruptæ propenſio, ex qua veluti è radice pullulat germen improbum variarum imperfectionum. Nam velis, nolis, manebit intra fines tuos *Iebuſæus*, cum quo principaliter & continuò bellandum eſt. Si ergo aliquis conetur ſe cum auxilio Dei, de tali peccato arguere, illudq; penitùs tollere ac extirpare, profectò in eo operatur virtus Spiritûs S., magnaq; ipſius elucet activitas. O ſi vel unum peccatum, quod magis & frequentiùs in nobis regnat, per annum extirparemus, quàm citò Sancti evaderemus! Porrò *hoc unum eſt neceſſarium*: (Luc: 11.) nam ſic faciliùs peccata vincuntur.

FERIA VI.

Arguet mundum de juſtitia, & de judicio.

1. MAgna fuit juſtitia, Chriſti humiliatio, de qua, ipſemet ad Ioannem nolentem ſe baptizare loquitur: (Mat: 3.) *Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Certè Chriſtus abunde implevit omnem juſtitiam; quia *jota unum aut unus apex non tranſivit de lege, donec omnia fierent*: (Matt: 5.) Omnes ergo Chriſti actiones, in humilitate, fundatæ, fuerunt juſtitiæ; omnes quoq; virorum juſtorum virtutes, juſtitiæ ſunt, quas nobis Deus veluti viva ſpecula poſuit ante oculos, ut ea intuentes, vitam noſtram, juxta illarum exemplar, inſtituamus, moresq; noſtros cõponamus. Debemus ergo nunc ſæpiùs hæc ſpecula intueri, & nosipſos arguere, ſi quid maculoſum, & vivæ illi Regulæ à Chriſto & Sanctis Viris, propoſitæ adverterimus difforme. Nam ad illos imitandos & in nobis ad amuſſim exprimendos, tantum virium à Spiritu S. habemus, quantum & illi habuêre: alioquin DEus, cùm *accipiet tempus, juſtitias noſtras judicabit*: (Pſal: 74.) & inveniet forté illas, ſordidas ac fætidas, *tanquam pannum menſtruatæ.* Iſaiæ 64.

2. Atrocem injuriam Chriſto inflixit mundus; quia peſſimum de-

de illo formabat judicium, reputando illum malefactorem. Dicebat enim: (Ioan: 18.) *Nisi hic esset malefactor.* Et (Ioan: 8.) *Non est hic homo à Deo.* Et Ibidem: *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Hinc etiam illum inter latrones medium, quasi illorum antesignanum crucifixerunt, juxta illud Prophetæ: (Isaiæ 53.) *Et cum sceleratis reputatus est.* ac proinde mundus graviter deliquit contra justitiam. Quia ergo Spiritus S. ostendit Christum, fuisse justum & sanctum, ideo de hac justitia, per enormes calumnias, à mundo violata, redarguit mundum. In quovis fratre, & proximo, Christus mihi considerandus est, & honor tam interior quàm exterior, proportionatè deferendus. Si ergo vel temerè aliquem judico, vel aliquem ei dishonorem facio, delinquo contra justitiam, de qua me Spiritus S. redarguet.

3. Gratia habitualis, quæ nos facit filios Dei adoptivos, amicos, sponsas, heredes Regni cælestis, est justitia, quam veluti palmites derivamus à Christo, tanquam à vite; de quo (*Psal. 69.*) *Revelavit in conspectu Gentium Iustitiam suam.* Dum ergo aliquis per peccatum grave, perdit hanc justitiam, arguet illum severissimè Spiritus S. de hoc pretioso talento culpâ suâ, deperdito. Similiter si quis negligat continuum ejusdem justitiæ augmentum per actus virtutum meritorios facere, severæ Spiritûs S. arguitioni debebit subjacere; nam per hoc, irreparabilem incurrit jacturam, nimirum majoris in cælo gloriæ in æternum alioquin duraturæ. Siquidem nonnisi *juxta mensuram hujus justitiæ* in hac vita comparatæ, dabitur nobis *gloria æterna* tanquam *Corona justitiæ.* 2. Timot: 4.

SABBATO.

Docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso.

1. Mirum, quomodo Spiritus S. non loquatur à semetipso, siquidem est verus DEus? At etiam Filius, etiamsi verus DEus sit, idem de se asserit. (Ioan 7.) *Ego à meipso non loquor.* Ergo sicut Filius non loquitur à semetipso, ita nec Spiritûs S.?

ita

ita planè. Sed tamen hoc ipsum quomodo? Quia sicut Filius, totum suum esse accepit à Patre, ita Spiritus S. à Patre & Filio; nam ei Pater & Filius per identicam quidem communicationem dant esse veri Dei; per Activam verò spirationem, dant esse Spiritûs S. Unde ulteriùs interna illa locutio, quâ Spiritûs S. erudiebat Apostolos, non soli illi debebat attribui, sed simul Patri & Filio. O si vivâ memoriâ tenerem! quia nihil à meipso habeo, sed omnia à Deo (nam omne meum esse, posse, operari ab illo dependet)! quàm ferventer ad illum tanquam ad primum ultimumq; fontem, & adjutorem in opportunitatibus recurrerem! quàm humiliter ac demissè de me sentirem! nec me aliis in quoquam præferrem!

2. Ille non à semetipso loquitur, qui ea loquitur, quæ sunt scripta in lege & Prophetis. Quia ergo Christus ita loquebatur; nam citabat pro confirmatione dictorum suorum Legem & Prophetas, dicens: (Ioan: 10.) *Scriptum est in Lege vestra.* Et (Mat: 7.) *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis.* Et *Bene dixit Isaias:* Et *Dixit Dominus Domino meo &c.* Et *Apostolis post Resurrectionem aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas.* (Luc: 24.) Quia item Spiritus S. ea docuit Apostolos, quæ illis Christus jam intimaverat, ideo & hic & ille, à semetipso non est locutus. Utinam & ego ex spiritu meo privato, nihil loquar! nihil agam! nisi ex Regularum & instituti mei Spiritu, de quo, à supremo Ecclesiæ oraculo, pronuntiatum est: *Digitus Dei hic est.* Paulus III.

3. Valde cavendum ab illis, qui loquuntur à semetipsis, & non conformiter ad legem Christi Evangelicam; de quibus Psalmista: (Psal: 118.) *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Unde qui dicit: Amplam esse viam ad cælum; qui suadet: magnum esse in mundo, captandos esse honores, divitias, voluptates, sumendam esse vindictam, honorem proprium etiam per nefas tuendum; narrat fabulationes; à semetipso loquitur; non ex mente Spiritûs S. non juxta sensum Christi & Evangelii, ac proinde *averte à talibus aures tuas, ne audiant vanitatem.* Psal: 118.

DOMINICA V.
POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.
Ioan: 16.

1. Quamdiu Christus cum suis discipulis in terra degebat, tamdiu in illo habebant omnia simul; sicut etiã in Patria erit illis omnia. Ita erat hic illis, Pater, Mater, Magister, Medicus, Provisor, Defensor, ac deniq; uniuersa. Unde, quando nunc ab eis parat discedere, possunt dicere illi, quod Parentes dicebant (Tobiæ 10.) *Omnia in te uno simul habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Discessurus ergo ab eis, dat eis donum orationis, in qua similiter omnia habeant. Ne enim dicant: Quando nobis deerat panis, quando contra nos oriebatur tempestas, quando premebamur tristitiâ, quando linguæ carpebant nos &c. recurrebamus ad Christum, & in eo, contra omnia mala, præsentissimum inveniebamus remedium: Non ergo dimittamus eum. Ne igitur hoc dicerent, prævenit illorum solicitudinem & ait: (Ioan: 16.) *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* acsi diceret: Licèt ego recedam, tamen locò mêi relinquo vobis orationem, in qua similiter omnia simul habeatis. Recedit Prælatus ab Ecclesia, sed ne ovibus ejus desint ad salutem necessaria, in locum sûi relinquit Vicarium, cui committit plenam potestatem administrandi Sacramenta. Recedit Christus, & loco sûi orationem relinquit. Iam vide, in quanto, apud te, pretio debeat esse oratio hæc? Siquidem id potes de ea dicere, quod Sapiens de sua Sapientia. (cap: 7.) *Omnia bona venerunt mihi pariter cum illa.* Abest à te Christus, si absit & oratio; quid boni habebis? quò confugies?

2. Discessurus è terra in paradysum *Elias*, ajebat *Elizeo*: (4 Re: 3.) *Postula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Petiit ille spiritum duplicem, quem locò Magistri accepit. Similiter Christus discedens in cælum, duplicem spiritum sûi vicarium, reliquit

Apostolis; nimirum *Spiritum S. Paracletum, & Spiritum Orationis.* Isti duo Spiritus sunt sibi germani, & per omnia similes. *Os meum aperui* (inquit Psaltes, *Psal: 118.*) *Et attraxi Spiritum.* Si os tuum aperias ad orationem coram Deo fundendam, procul dubio attrahes, in te, Spiritum S. Vis nôsse an in te resideat Spiritus S.? inde agnosces, si habueris Spiritum Orationis. Si isto spiritu cares, proculdubio & Spiritu S. carere te, signum est; nam inter duos istos Spiritus, datur mutua causalitas. Et Spiritus S. ei, qui illum habet, confert donum orationis; siquidem ille *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* (ad Rom: 8.) & oratio causat adventum Spiritûs Sancti: Sicut causavit in Apostolis, qui postquam decem dies, post abitum Christi, perseverârunt unanimiter in oratione, tandem Spiritum è cælo evocârunt.

3. Dum amans & providus Pater expedit Filium in regionem longinquam, (siquidem is omnia, ad longum iter, necessaria non potest secum deferre) ut illi omnia suppetant, dat illi Pater satis de pecunia; quia verò hæc potest illum deficere, supplet illum pluribus chirographis, nomine & manu suâ, subscriptis *Cambium* dictis, quibus ostensis, omnia ei dentur, quæ petierit, nihilq; illi desit. Ita Christus agit cum Apostolis. Oratio est quædam spiritualis pecunia, pro qua, omnia emere & comparare potest, qui illam habet. Est *cambium cæleste,* quod quicunq; exhibuerit, omnia necessaria facili negotio potest acquirere. Hanc ergo pecuniam, hoc Chirographum nomine suo subscriptum dat Christus Apostolis, longam in cælum peregrinationem agentibus: Non nomine *Abraham, Isaac & Iacob* ùt olim Patres antiqui orabant, sed nomine *Christi,* hoc Generale instrumentum est insignitum, ut illo, coram Patre æterno, exhibito, in omni loco, in omni necessitate, universa necessaria illis provideat. Arripe tu quoq; hoc medium, illudq; semper & in omni opportunitate, cum fiducia usurpa.

FERIA II.

Vsquè modò non petistis quidquam in nomine meo. Petite & accipietis. Ioan: 16.

1. Qua-

1. QUasi dicat: Usquè modò non estis usi hoc titulo in orationibus vestris: *Per Dominum Nostrum JESUM Christum*, ideoq; non tam efficaciter orâstis; hic enim orandi modus in lege veteri fuit incognitus; quia ibi nomen *Sanctissimæ Trinitatis*, adeòq; *Filii DEi JESU Christi* incognitum erat. Probate, in nomine meo orate, & nominis mei efficaciam, reipsâ experiemini. Dum Sponsus discedit à Sponsa, hæc ultima verba illi loquitur: Scribe ad me omnia, quæ tibi necessaria erunt, vel quæ volueris, ego tibi omnia tribuam abundanter. Sic cælestis Sponsus, à dilectissima Sponsa discessurus, in ultimis Libris Canticorum ait: (cap: 8.) *Fac me audire vocem tuam.* quasi dicat: Pete à me, quidquid libuerit; libenter dabo, & apud Patrem meum impetrabo, si eum in nomine meo rogaveris. Quodsi illa, non audeat præ verecundia petere, tunc ille amorosè instat & urget. Quare hucusq; nihil in nomine meo petiisti ô Sponsa; resolve te, pete, & videbis optatum effectum petitionis tuæ. Sed quo titulo petam in nomine tuo Domine? qui fui tuus inimicus, tuus proditor, qui tormenta inferni sum commeritus? Quomodo te Deum ut Patrem, ut Sponsum alloquar? Etiam tu, ait Dominus, in nomine meo pete, & obtinebis. Nam me habes *Advocatum apud Patrem.* (1. Ioan: 2.) *Ergo in nomine tuo, levabo manus meas.* Psal: 62.

2. Filii Iacob in nomine Patris sui orabant Iosephum, ut eis dimitteret iniquitatem ipsorum; dicebant enim illi: (*Gen. 50.*) *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus. Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atq; malitiæ, quam exercuerunt in te. Nos quoq; oramus, ut servo Dei, Patri tuo, dimittas iniquitatem hanc.* Quibus auditis, flevit Ioseph & ait: *Nolite timere, ego pascam vos & parvulos vestros, consolatusq; est eos.* Non læserat *Iacob Iosephum Filium suum*, & tamen ei dicitur dimitti scelus filiorum, & ipsi condonari, quod illis condonatur; quia in nomine Iacob Patris sui condonari sibi petebant. Ita, quamvis ipse Christus nullum peccatum admiserit, quia tamen est fideiussor & advocatus noster, possumus orare Patrem verbis Christi ac dicere: Christus mandavit mihi, ut hæc tibi verbis illius dicerem: Dimitte peccata mea, dona gratiam. Dum igitur ego in nomine Christi, hæc dona à Deo peto, Christus in me & per

me petit, ac proinde illi hæc dona conferuntur. Igitur fidenter *in nomine tuo Domine levabo manus meas* Psal: 62.

3. Si hucusq; nullus hominum in nomine Christi orâsset, nec propter merita ipsius, quidquam à Patre accepisset; & infinita illius merita servarentur intacta, tuq; primus esses, qui accederes, ut in nomine Christi, & propter merita ejus peteres, quanta cum fiducia accederes? cùm pro te, tot merita exorarent, propter quæ, nullus unquam qnispiam accepit. Cogita ergo, æquè integra tibi nunc restare Christi merita, acsi nullus quidpiam acceperit; in nullo enim imminuta sunt. Sicut enim, quamvis multi antea accesserint ad mare, vel flumen pro haurienda aqua, tamen æquè plenum est nunc, atq; antea fuit; ita ut & tu, & multi alii possint ad illud securè accedere. Ita à fortiori de meritis Christi sentiendum; cùm hæc sint infinita, & pro unoquoq; hominum oblata, quoad sufficientiam, acsi ille solus esset in mundo, juxta illud Pauli: (ad Gal. 2.) *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Cum magna igitur alacritate, ad hunc thesaurum indeficientem accede, cum plena fiducia, illo utere.

FERIA III.

Petite & accipietis, ut Gaudium vestrum sit plenum.

1. HÆc est orationis excellentia, ut qui, illi apprimè sunt deditì, plenum habeant gaudium. Qui enim possidet bona omnia, ille habet plenum gaudium; talis autem est, qui possidet donum orationis; siquidem oratio est omnipotens; nam conjunctam, sibiq; semper intimè præsentem habet omnipotentiam Dei. Oratio enim adfert auxilium ac remedium in iis rebus, quæ desperatæ & humano judicio impossibiles videntur: prout multa exempla testantur. *S. Hieronymus* de seipso, memoriæ prodidit, & cùm tentationibus sensualibus nimium vexaretur, nec in ullis asperitatibus, remedium inveniret, invenit hoc tandem in humili coram Christo Domino oratione. Hæc liberavit *Ionam* de ventre ceti; ipse enim ibi oravit & exauditus est. (*Ionæ 4.*) Hæc liberavit *Ezechiam* tot hostibus vallatum (*4. Reg. 16.*) Hæc *Danielem* de lacu leonum, (*Dan: 6.*) hæc *tres pueros* de Camino ignis arden-

ardentis; (*Dan*: 3.) hæc *Davidem* de manu Saulis; (*1. Reg*: 19.) *Iacob* de manu *Esau*; (Gen: 32.) *Iudith* & populum suum de manu *Holofernis*; (Iudith 12.) *Hester* & populum Israël de manu *Aman* (*Esther*: 4.) Est enim oratio, columba deferens ramum olivæ, scilicet misericordiam Dei. Cùm ergo te videris in summo discrimine ac periculo, sive spirituali sive corporali; cùm nullum tibi præstò est humanum præsidium, recurre ad orationem; nullum enim est malum, quod per illam non tollatur, tanquam per Generale antidotum.

2. Non qualiscunq; oratio parit homini, Gaudium plenum, sed solùm resignata in voluntatem Dei, & fidens providentiæ, bonitatiq; Divinæ, atq; in ea acquiescens, ita, ut dicat: (Psal: 22.) *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Ex eo enim, quòd aliquis meminit se esse sub Regimine Dei, oritur gaudium; quia sortem habet protectorem, Patronum benignum, Defensorem validum, Patrem amantissimum: Ex eo verò, quia sub tali regimine, nihil ei deest, oritur jam gaudium plenum. Qui ergo in voluntatem Dei paratus est, hoc solum vult, quod DEus vult; ac proinde hoc solum petit, quod Deus dare vult; quod autem Deus dare vult, utiq; dat, ac proinde, etiam quodcunq; ille petit, hoc semper impetrat, & habet. Si ergo id totum impetrat & habet, quod vult, ergo est plenè beatus: ac proinde plenum habet gaudium. Utinam profundè penetrem excellentiam, resignatæ ad omnem Dei nutum voluntatis! utinam intimè apprehendam pretium Animæ, virtute indifferentiæ & fiduciæ in bonitatem Divinam, adornatæ!

3. Cùm gaudium nascatur ex possessione Boni præsentis, sequitur, quòd Gaudium plenum debeat nasci ex plena possessione Boni præsentis pleni seu perfecti. Porrò nulla Creatura est bonum plenum & perfectum; cùm semper habeat admistionem mali; semper enim deficit in aliquo, cùm sit limitatum quid & in certo tantùm genere. Solus ergo DEus est bonum plenum & perfectum; illi enim soli, nihil deest ad orationem boni; cùm sit Ens, in omni genere perfectionis, infinitum ac illimitatum. Quamcunq; igitur Creaturam possederis, non habebis plenum gaudium; quia illa non poterit unquam implere desiderium tu-

um. Solus DEus plenè poſſeſſus id præſtare poteſt. Porrò hæc plena Dei poſſeſſio, non poteſt haberi in hac vita mortali; nam hîc locum habet ſolùm cognitio Dei ænigmatica, per ſpecies alienas, à rebus creatis mutuatas, eiq; proportionatus amor. Solùm ergo intuitiva Dei viſio, quâ illum videbimus ſicut eſt in ſe, facie ad faciem, eiq; proportionata dilectio, ſunt hujuſmodi plena & perfecta poſſeſſio; hæc enim perfectè implebit appetitum noſtrum, juxta illud (Pſal: 16.) *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ut ergo gaudium meum ſit plenum, orationis meæ totus conatus ad hunc finem collimare debet, ut unicè petam, plenam illam ſummi boni poſſeſſionem. *Adveniat Regnum tuum.* (Matt: 6.) *DEus meus & omnia.* S Fran: *Quid mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram! DEus cordis mei; & pars mea Deus in æternum.* (Pſal 72.) *Cupio diſſolvi & eſſe tecum mi JESU, ut gaudium meum ſit plenum.* ad Phil: 1.

FERIA IV.

Venit hora, cùm jam non in Proverbiis loquar vobis. Ioan: 16.

1. HIs verbis Chriſtus Dominus vult diſcipulis ſuis dare conſolationem, ut in tempore Paſſionis ſuæ perſiſtant conſtantes, ideoq; illis palam annuntiat de Patre, quòd ipſos amet. Magna enim eſt conſolatio laboranti & patienti, ſi agnoſcat, ſe amari à Deo, illumq; habere ut Patrem, à quo ſit præmia acceptarus. Valdè hoc angit & ſolicitè torquet hominem quòd neſciat, *utrum amore an odio Dei ſit dignus?* S. *Auguſtinus* & quamvis de hoc poſſit habere aliquam conjecturam, tamen hoc veluti in Proverbio, & obſcurè novit: Quando ergo Chriſtus palàm Apoſtolis manifeſtat, quòd eos Pater amet, eximit illis hanc anxietatem, & magnum ingenerat ſolatium, quo confortet corda ipſorum, ad perſtandum in amore Chriſti. Fortiſſimè dimicat miles in acie, dum novit, certamen ſuum placere oculis Regis. *Lapides torrentis*, quibus impetebatur ac obruebatur *Stephanus, dulces illi fuêrunt* (Ant: Eccl) quia *videbat Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei;* (Actu: 6.) & ſuum agonem amænè ſpectantem.

2.

2. Si hæc verba audiat Peccator, est unde meritò contremiscat. Multa enim illi videtur nunc DEus in proverbiis loqui; ùt *Diligite inimicos vestros. Benefacite his, qui oderunt vos. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* (Matt: 5.) *De omni verbo otioso, reddent rationem homines in die judicii.* (Matt: 12.) *Maledictus qui opus Dei facit negligenter,* (Ierem: 48.) & his similia, videntur nunc quasi Proverbia, in communi, alicui alteri, & non nobis dicta. Sed veniet tempus, quando cessabunt hæc esse proverbia; veniet hora mortis ac judicii, quando nobis Deus, ore ad os, facie ad faciem loquetur, quando nos palàm arguet, de neglectu doctrinæ suæ, & transgressione monitorum suorum. Ubi me tunc abscondam à verbo aspero? quomodo ferre potero faciem irati judicis? cùm dicet (Psal. 49.) *Projecisti sermones meos retrorsum, ideo arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

3. Si autem eadem verba audiat homo justus, est unde meritò exultare possit. Sicut enim agricola, cùm videt insertum terræ semen floridè exoriri, voluptatem inde percipit, quia spe messis opimæ alitur: Sed cùm videt eandem sementem pulchrè ac densè succrescere, majori perfunditur lætitiâ: Cùm verò jam opimam ex agro suo colligit messem, cùm uberes & graves comportat manipulos, tunc omnium laborum suorum oblitus, ingenti redundat gaudio; quia fructum sui laboris non solùm oculis lustrat, sed etiam tenet in manibus. Ita justus magnam quidem inde percipit animi voluptatem, dum recogitans, *qualia bona Deus in cælo præparaverit diligentibus se;* quia illa, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis intravit;* (1. Cor: 2.) Sperat se, illa, propter merita Christi & bona opera sua illis conjuncta, consecuturum: hæc tamen omnia quasi in proverbiis, & sub ænigmate adhuc ei narrātur. Sed *cùm venerit hora, in qua non in Proverbiis,* (Io:16.) at palàm Deus annuntiabit justo mercedem illam æternam; cùm illi manifestè dicet: (Mat: 25.) *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Iam hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra,* (Can: 2.) *Veni electe mi accipe Coronam, quàm tibi Dominus præparavit in æternum.* (Antiph: Eccl:) ô quanto gaudio! quàm ineffabili tunc lætitiâ justus redundabit!

FE-

Z BIBLIOTEKI SEMINARIUM SANDOMIERSKIEGO

FERIA V.

Die Ascensionis D. N. I. CHRISTI.

Ascensio Christi fuit conveniens ipsimet Christo.

1. LOcus debet esse congruus locato; hinc diversis rebus ideo diversa spatia designavit natura, ut unaquæq; res occupet locum sibi convenientem. Unde alius locus connaturalis est pro igne, alius pro aëre, alius pro aqua, alius pro terra, destinatus. Similiter alius locus competit avibus, alius piscibus, & alius animalibus terrestribus. Atqui Christo redivivo non alius locus est proportionatus, quàm cælum. Ille namq; post Resurrectionem inchoavit vitam impassibilem, incorruptibilem, immortalem; locus autem in quo nos habitamus, est locus perpetuæ mutationis, est theatrum generationis & corruptionis, locus verò cælestis est locus immutabilitatis, incorruptionis; unde corpora cælestia, cujusmodi sunt sol, luna, stellæ, nulli sunt obnoxia corruptioni. Non erat igitur conveniens, ut Christus post resurrectionem in terris degeret, sed ut in cælum ascenderet. Gratulare Christo, novam Civitatem Hierusalem, quam cæpit incolere. Gratulare & Civitati cælesti novum incolam, imò Regem, qui *in sole posuit tabernaculum suum*; (Psal: 18.) *Dominus regnavit, decorem carnis immortalis indutus &c.* Psal: 92.

2. Effatum Christi est: (Matt: 23.) *Qui se humiliat, exaltabitur.* Nam homo justus sese humilians, est instar fontis, cujus aqua tantùm ascendere solet, quantùm priùs descenderat. Est veluti statera, cujus si una lanx deprimatur, altera necesse est ut elevetur; ita ut quò illa fuerit inferior, eò hæc erigatur altiùs. Ad hunc modum, se habet vita præsens & futura. Quò hæc per humilitatem fuerit depressior, eò illa per gloriam evadet sublimior. Quis verò magìs se humiliavit Christo? In libris rationum solet summa totius paginæ in unum colligi, ac in fine illius collocari, tum verò illa ipsa summa, in capite sequentis paginæ collocatur. Sic DEus condens mundum, *sexto die* condidit hominem, (*Gen: 1.*) qui est Summa & collectio totius mundi; tum

ipse

ipse factus homo, in ultimo omnium loco, sese posuit, dicente Propheta Isaia. c. 53. *Desideravimus eum despectum & novissimum virorum.* En illum in ultimo paginæ fine collocatum in hoc mundo! Sit ergo primus in capite alterius paginæ, ut illud impleatur: (Psal: 39.) *In capite libri scriptum est de me.* Æquum est, ut qui fuit *Benoni, filius doloris?* sit *Beniamin filius dexteræ;* qui à Tribunali ad tribunal ductus est, sit *Iudex vivorum & mortuorum;* (Acto: 10.) cujus nomen irrisum & blasphematum est, nunc adoretur, eiq; *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* (ad Phil 2.) Qui fuit posthabitus *Barabbæ,* & omnium subjectus pedibus, nunc exaltetur super omnia, impleaturq; illud Pauli: (ad Eph: 1.) *Constituens illum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem Principatum & Potestatem & virtutem, & dominationem, & omne quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus.* Gaude & exulta de tanta exultatione Christi. Approba de eo judicium æterni Patris. Dic cum Angelis: (Apoc: 5.) *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & gloriam & honorem & benedictionem.* Spera, quòd *quò præcessit caput, succedent membra,* S. Leo; adeòq; & tu illi conjunctus per fidem & charitatem. Agnosce te non posse cum Christo ascendere, nisi priùs descenderis; juxta illud Pauli ad Ephes: 4. *Qui ascendit, ipse est, & qui descendit.* Humiliare, ergo cum illo, ut cum illo exalteris.

3. Sicut olim *Arca Noë,* diu multumq; jactata aquis diluvii, tandem *requievit super montes Armeniæ.* (Gen: 8.) Sicut *Arca Dei* capta à *Philistæis,* tandem editâ magnâ hostium strage, reversa est *ad domum suam.* (1: Reg: 7.) Sicut *Arca Testamenti,* quæ priùs habitabat sub papilionibus & in tentoriis, (2. *Reg:* 11.) cum summo triumpho, collocata est in templo *Salomonis;* Ita hodie cum Christo actum est, impletumq; illud: (Psal: 131.) *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca Sanctificationis tuæ.* Hodie *nobis ille homo,* qui *abiit in regionem longinquam accipere sibi Regnum,* (Luc: 19.) insignitus est illo diademate, cui, universæ cæli & terræ coronæ subjiciuntur, ante quod *24. seniores suas deponunt Coronas.* (Apoc: 4.) Hodie *filium non prodigum & dissipatorem bonorum Paternorum, sed obedientem usq; ad mortem,* (*ad Phil:* 2.) & qui bona Paterna recuperavit & auxit, Pater cum summa lætitia in domum suam recipit.

(Luc: 15.) Hodie *Ioseph* de ergastulo mundi eductus, *gloriâ & honore coronatus est, & constitutus super omnia opera Dei.* (Psal: 8. Hodie *Mardochæus* ex abjecto & despecto, factus glorioſus, & maximis auctus honoribus. (*Esther*: 6.) Hodie noster *Iacob* revertitur gaudens *in terram nativitatis suæ*; (Gen: 31.) Et qui *in baculo Crucis transiverat Iordanem*, (Gen: 32.) *cum duabus turmis* Angelicis & Patrum regreditur exultans. Si enim *Exultavit ut Gigas ad currendam viam*, (Psal: 18.) quantò magìs exultavit, viâ feliciter consummatâ. Hodie victor mundi, debellator inferni, mortis triumphator in Capitolium cæleste invectus est illo curru, de quo (Psal: 67.) *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Adjunge te ad istum currum, congaude, congratulare, exclama: *Trahe me post te, curram in odorem unguentorum tuorum.* Can: 1.

FERIA VI.

Ascensio Christi fuit conveniens curiæ cælesti.

1. Cùm Rex maximus, urgente gravi aliquâ necessitate, extra Regnum peregrè proficiscitur, confectâ jam re & absoluto negotio, justâ ratione Regnum petit, ut in curiam & Regnum suum revertatur. Descenderat Christus é cælesti curia in terram, ut hominibus Regnum, patriam, sibiq; acquireret. Iam hoc opus est perfectum, jam consummata redemptio, meritò cælestis curia petit, ut in eam revertatur. Si enim Angeli optant vacuas sedes impleri, potiori jure desiderant, vacuam capitis sedem occupari. Plùs enim cælum est vacuum, dum sedes capitis est vacua, quàm si omnes sedes Angelorum essent vacuæ Porrò Christus D. *non solùm hominum est caput, sed etiam Angelorum.* Hodierna igitur dies glorificationis Christi, celebrior ac lætior est, quàm dies glorificationis omnium Angelorum. Igitur ascensio Christi in cælum, valde fuit conveniens curiæ cælesti.

2. Si aliquis habeat annulum ex auro elaboratum, variisq; cælatum figuris, quærit pretiosum adamantem, vel carbunculum, ut eum tali annulo inserat; & cùm is apponitur, suoq; loco coaptatur, plus pretii & splendoris annulo præstat, quàm reliqua omnia, quæ, in ejus ornamentum, sculpta erant. Si grande pala-

tium

tium careret fenestris & lumine, quid valerent omnia, in illo, contenta? quid aurata laquearia, marmorea pavimenta, parietes serico & aulæis vestiti? Si autem lumen, hæc omnia, illustrans accedat, reviviscunt, & gratum oculis exhibent spectaculum. Quid fuit Regio cælestis absq; Christo? annulus aureus sed absq; adamante, & carbunculo; palatium grande, sed absq; fenestra & lumine. Hinc S. Ioannes in sua Apocalypsi non vidit lucernam seu solē in cælesti Hierusalem; quia *lucerna ejus est Agnus;* (Apoc: 21.) Est quidem ibi sol iste materialis, sed ita, acsi non esset. Omnes Beati, neglecto illo, intendunt oculos in Christum Agnum. Quantum ergo splendoris & decoris, addit gemma Carbunculi, pretioso annulo, aut sol irradians universas stellas, tantum Christus cælesti curiæ. Adest ergo *facies illa plena gratiarum,* (Esther 15.) *in quam desiderant Angeli prospicere.* (1. Petri. 1.) *in cujus circuitu sedis est iris similis visioni Smaragdinæ* oculos mirificè recreantis. *Apoc: 4.*

3. Cùm *David* percusso Philistæo reverteretur in *Hierusalem,* & ferret caput ejus, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Isràél, cantātes, chorosq; ducentes. *1. Re: 18.* Idē hodie contigit Christo cū victoria, de mundo & inferno, relata, in cælum reduci; egressi sunt illi obviam Chori Angelici cum jubilo & exultatione; juxta illud (Psal: 46.) *Ascendit Deus in jubilatione & Dominus in voce tubæ.* Impletumq; est illud Isaiæ cap: 9. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe; sicut exultant victores captà prædà, quando dividunt spolia.* Seminaverant olim Angeli, dum homines custodiêrant, sed nihil messuerant hucusq;, triticum in horreum cæli non congregaverant, sed nunc lætantur coram Christo tanquam in messe; quia nunc, quos servaverant, metunt & in cælum ducunt. Nunc judice & arbitro summo Imperatore Christo, spolia hostium dividunt. Summâ ergo lætitiâ exultant. Quod olim *Iudithæ* cum præciso *Holofernis* capite reduci, occinuerunt Seniores Isràél, hoc certè occinunt Christo Sancti PP. *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Isràél, tu honorificentia populi nostri.* Iudith: 15.

SABBATO.

Ascensio Christi in cælum fuit conveniens nobis.

1. UT nobis panderet iter ad cælum, juxta illud (Mich: 2.)

Ascendit pandens iter ante eos. Primus parens noster Adam descendit, pandens nobis ad mortem iter, quod erat clausum; sed secundus Adam Christus ascendit, pandens nobis iter ad vitam, quod etiam fuit clausum. Quia *sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* (1. Cor: 15.) Ascendit ergo Christus, *sicut aquila provocans pullos suos ad volandum & super eos volitans,* (Deut: 32.) ut nos post se trahat, sicut magnes solet trahere ferrum. Et hæc est illa via aquilæ in cælo, quam se ignorare fatebatur *Salomon,* (Prov: 30.) eam verò Iob explicat dicens cap: 39. *Elevabitur aquila, & ponet in arduis nidum suum.* Sicut (*Iosue 3.*) *Arca testamenti, præcedebat Israëlem, eiq; per alveum Iordanis aperiebat viam in terram promissionis;* ita Christus *fecit nobis notas vias vitæ.* (Psal: 15.) Sequamur ergo hanc *Arcam;* transeamus *Iordanem* Pœnitentiæ, mortificationis, &c.

2. Ut esset noster apud Patrem cælestem *Advocatus,* (1. Ioan 2.) qui corã illo universas ageret causas. Ut ait D. Paulus (*ad Hebr:9.*) *Non enim in manufacta Sancta JESUS introivit exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultus Dei pro nobis.* Et (1. Ioan: 2.) *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Mirabilis profectò Advocatus, propter quem dicere possumus, illud Pauli (ad Rom: 8.) *Si DEus pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit aduersus electos Dei? DEus est qui justificat; quis est qui condemnet? Christus JESUS, qui mortuus est, imó qui & resurrexit; qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Hinc mihi summa oritur fiducia; ille namq; est *Advocatus* causæ meæ, qui postea futurus est Iudex, quomodo ergo possum cadere in causa mea? Quid non obtinebo tanto mediatore? cui ex justitia debetur exauditio? Nam *Exauditus est pro sua reverentia.* (*ad Hebr: 5.*) Si nunc viderem apertis cælis, totam cælestem curiam pro me orantem, & causam meam, agentem, quanta mihi hinc nasceretur fiducia? Sed hoc nihil est, si cum Christo conferatur. Multò potentior est ille solus, quàm universa curia cælestis; siquidem illius merita sunt valoris infiniti simpliciter; cùm dignificentur à *Persona Divina,* quod non habent merita omnium Beatorum, etiam conjunctim sumpta, cum meritis ipsius Beatissimæ Matris.

3.

3. Ut impleret illud, quod ipse dixit: (Ioan 14.) *Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Sicut enim magnus Rex è sublimi throno conspicit uniuersa officia ac munera optima, quæ sunt in Regno, tum vocat consanguineos ac notos, ut illos exaltet, distribuens inter eos, illa præclara munera ac dignitates. Ita Christus Dominus *sedens à dextris Dei,* (Mar: 16.) & vacuas Angelorum sedes conspiciens, in eas, gratiâ suâ, homines disponit, illosq; dignos effectos ad eas assumit, unumquemq; in ea sede collocans, quæ illi apta est. Hanc olim potestatem concessit *Pharao Ioseph* in terra *Ægypti,* dicens: (Gen: 47:) *Terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac habitare fratres tuos, & trade eis terram Gessen.* Quod statim Ioseph fecit. Hanc verò Potestatem traditam esse Christo D. à Patre, in regnò cælesti, ostendit ipse dicens: (Matt: 28.) *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra,* ut regna illa fratribus distribuat. O Domine, jam veluti Ioseph, eductus es de *carcere mundi hujus,* & mutatâ veste oblatus majori longè quã Pharaoni; jam *dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,* (Ps: 109.) *jam sedes à dextris virtutis Dei,* (Luc 23.) Super summum thronum majestatis; jam te Pater æternus *gloriâ & honore coronavit, & constituit super omnia opera manuum suarum;* (Ps: 8.) *jam posuit inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* (Ps: 109.) *jam regis Gentes in virga ferrea,* (Ps. 2.) potenti, firma, solida, infracta, contra quam etiam *portæ inferi non prævalebunt.* (Matt. 16.) Memineris quæso nostrî fratrum tuorum; *dispone nobis Regnum, ut edamus & bibamus super mensam tuam in Regno Patris tui;* (Luc. 22.) illam terram, quam tu ipse occupâsti, & nobis promisisti, divide nobis *funiculis tuæ charitatis, quibus nos ad te attraxisti;* (Oseæ 11.) ut, gloriemur perenniter & gaudeamus dicentes: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Ps: 15.

DOMINICA VI.

POST PASCHA.

Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis á Patre, Spiritum veritatis &c.

1. Hic Spiritus S. vocatur *Paraclitus* seu *Consolator*. Sed quomodo Spiritus S. est Consolator? Siquidem est *Spiritus veritatis*; veritas autem solet potiùs contristare hominem, quàm consolari? Ut manifestum in *Herode*, qui libenter quidem audiebat *Ioannem*, veritatem, sibi dicentem; sed tandem eum decollavit post auditâ veritatem. *Luc. 9:* Quia sicut *obsequium amicos, ita veritas odium parit.* Referta spinis est veritas; nec eam capit auris hominum, etiamsi petant illam audire; ùt patet in *Michæa*, qui rogatus ut veritatem diceret, postquam eam dixit, alapâ cæsus, & in carcerem missus est. *(2. Reg: 22.)* Hinc Paulus ait 2. Ti: 4. *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Quomodo ergo *Spiritus veritatis* potest esse *Consolator*, seu *Paraclitus*? *Respon: Qui malè agit, odit lucem,* (Ioan: 3.) & hunc lux non consolatur, nec Spiritus veritatis, sed Spiritus mendacii. Spiritus S. ergo est Consolator, non mundanorum; hi enim veritatem oderunt, sed justorum, & secundùm legem Dei viventium. Unde Scriptura S. & fides nostra, quæ à Spiritu veritatis processit, dum eis ostendit bona temporalia esse contemnenda, æterna verò desideranda & quærenda, plurimùm justos consolatur, dicendo: *(Mat: 5.) Beati Pauperes, quoniam vestrum est Regnum Cælorum. Beati qui lugent, quoniam consolabuntur &c. &c.* Mihi verò qualem se exhibebit Spiritus S.? dum eloquia Scripturæ cum meis moribus conferet?

2. *Epicurus Philosophus* suo tempore, *mundi solatium* est appellatus. Hinc passim homines ejus effigiem depictam aut sculptam curabant habere domi, & in annulis etiam eum sculpebant dicentes: *Illum liberàsse mundum timore ac tristitiâ vanâ.* Hujus autem ratio fuit. Quia docuit, nullam esse Providentiam Dei circa mortales, nullumq; ab eo timendum esse supplicium, atq; adeo posse homines liberè & pro arbitratu suo agere. Sed hanc doctrinam fuisse insignem falsitatem, non solùm fides, sed etiam ratio naturalis docet. In eo verò potissimùm ejus falsitas ostenditur; quia improbos & discolos homines duntaxat consolatur, veritas verò probis tantùm solet esse solatio. Sicut ergò Epicurus est falsum solatium mundanorum; ita Spiritus S., est paraclitus & verus Consolator justorum. Illos enim falsitas & mendacium, hos autem veritas & rectum judicium consolatur. Hinc *Paulus* (Rom: 15.)

(Rom: 15.) *Ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.* Hinc Spiritus S. per Pſalmiſtam arguit mundanos: *Filii hominum, uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Pſal: 4.

3. *Paraclitus* idem etiam ſonat, quod *Advocatus.* Unde & Spiritus S. rectè dicitur Advocatus; non quod pro nobis ipſemet oret; hoc enim illi non convenit propriè; ſiquidem per omnia eſt Patri & Filio æqualis, imò idem quoad naturam cum illis, ſed quòd adhortatorem, monitorem & præceptorem noſtrum agat, adeoq; & patronum: Siquidem *ille docet nos omnia,* quæ oportet facere, ut cauſam in foro Divino vincamus, & à judice abſolvamur. Quod etiam eſt munus Advocati. Et in hoc ſenſu Spiritus S poſtulat pro nobis *gemitibus inenarrabilibus;* ut loquitur Apoſtolus (*ad Rom: 8.*) quia nimirum facit ſuâ inſpiratione & occulto inſtinctu, ut oremus Deum, & veniam peccatorum apud illum impetremus. *Cor mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam &c.* Pſal: 50.

FERIA II.

Ille teſtimonium perhibebit de me.

1. TAntum ſibi fidit innocentia, ut etiamſi calumniis fama ejus deturpetur, quamvis contumeliis & deſpectibus honor ipſius lædatur, tamen ipſa ſileat, excuſationes pro ſe non afferat, modeſtiam & æquanimitatem ſervet, non meditetur vindictam, non reponat probra, & contemptus. Quia oculos levat ad Deum, tanquam ſuum Defenſorem, illiq; cum fiducia dicit: *Eſto mihi in Deum Protectorem & in domum refugii.* (Pſal: 30.) *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina.* (Pſal: 69.) *Deus in nomine tuo, ſalvum me fac, & in virtute tua judica me.* (Pſ: 53.) Sic *Suſanna* (*Dan: 3.*) innocens ſiluit, & cor ejus confidebat in Domino, qui adfuit illi in tempore opportuno, tanquam *adjutor in opportunitatibus.* Sic & *Chriſtus* falſis accuſationibus & calumniis apud *Pilatum* obrutus ſiluit. *JESUS autem tacebat, ita ut miraretur Præſes vehementer.* (*Matt: 27.*) Tacebat JESUS, ut relinqueret Spi-

ritui

ritui S. locum testificandi de se. Recordabatur, quid antea dixerit: *Ipse testimonium perhibebit de me.* (Ioan: 15.) *Ego testimonium ab homine non accipio; sed testimonium Dei majus est.* At verò ubi est mea patientia? quid ego non facio, quomodo non perturbor, excandesco, furo, dum mihi aliquid, etiam verè objicitur? O utinam tuum mi JESU sequar in posterum exemplum exspectans donec Spiritus S., Spiritus veritatis & consolationis, testimonium de me perhibeat!

2. Quæsiérat Pilatus ex JESU, (Ioan: 18.) *Quid est veritas?* & non exspectato ejus responso, *exiverat foras ad populum.* Non dederat tunc JESUS definitionem veritatis; quia servabat hoc dogma definiendum Spiritui S. ut ille testimonium perhiberet de veritate; nimirum de Christo, qui de se dixit: (Ioan: 8.) *Ego sum veritas.* Noli teipsum laudare; *laudet te os alienum & non tuum.* (Prov. 27.) Noli commendare tua facta; nam eo ipso, illa vituperabis. Virtus vera commendatione non eget; etiamsi tu taceas, illa disertè pro se perorat, ac tacito quodam modo in cor hominum sese insinuat, ut æstimetur, appretietur, extollatur, magnificetur. Non fidas cujuscunq; laudibus; estò pleriq; te in faciem laudent in aliquibus, tacitè tamen te in multis reprehendunt; exteriùs tibi blandiuntur, sed *mentitur iniquitas sibi* (Ps: 26.) intùs fortè aliter de te sentiunt. Consule tuam conscientiam; illam veluti speculum infallibile intuere; illam veluti fidum ac sincerum monitorem audi; illi enim Spiritus S. verum de te, tuisq; factis perhibet testimonium.

3. Dum Spiritus S. testimonium perhibuit de Christo, quod sit Deus, simul etiam probavit & ostendit se esse Deum. Nam quo pacto ille dedit hoc testimonium Christo? Dando Apostolis donum linguarum, potestatem miraculorum, efficaciam incredibilem ad persuadendum. Quia nimirum, ex rudibus piscatoribus fecit insignes oratores, ex idiotis Doctores orbis, ex simplicibus, Thaumaturgos, miraculorum patratores. Hæc autem omnia persuaserunt orbi, Spiritum S. esse verum Deum; quia non poterant aliunde tales effectus provenire, nisi à verò Deo. Unde exclamat *Gregorius* (hom: 30.) *O mirus artifex, qui Pastorem reddit Psalmistam, puerum efficit judicem senum iniquorum, Publicanum Evangelistam;*

listam; Persecutorem Doctorem Gentium; mirus profectò, qui hæc in puncto novit agere. Si ergo hic in te advenerit, omnia mala auferet, omnia bona conferet, te perficiet. Eum ergo desidera, eum ergo tibi dari, magnis clamoribus pete.

FERIA III.

Et vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.

1. EX eo, quòd Apostoli ab initio prædicationis Evangelii, adhærebant lateri Christi, cum illoq; sunt familiariter conversati, reputati sunt ab illo digni, ut darent testimonium de Christo; tanquam oculati testes ipsius innocentiæ, & conscii cælestium arcanorum, quæ illis aperiebat. Et tu ab initio vitæ ac ætatis tuæ cum Christo es; nam in tenera adolescentia vocatus es ad *Societatem JESU*; in qua habes tantam Sacramentorum frequentiam; tam copiosam gratiarum cælestium & internorum luminum affluentiam. Esnè dignus, ut testimonium perhibeas Christo? An Christus non posset tibi meritò dicere: *(Ioan: 14) Tanto tempore tecum sum, & non cognovisti me,* ut possis testimonium perhibere de me. O mi JESU, quàm negligens ego sum in tua schola discipulus! Siquidem nec primam Alphabeti tui literam practicè didici: *Abnega temetipsum.* (Luc: 9.) Neq; cor, neq; lingua, neq; opus, neq; conversatio mea tibi perhibent testimonium. Et quamvis interdum ore te confitear, opere tamen te abnego, & re ipsa ostendo, me esse de illorum numero, *qui labiis confitentur se nôsse Deum, factis autem negant;* (ad Timot: 1:) ac illorum de quibus Proph: Isaias 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

2. Quid est, esse cum Christo ab initio, nisi talem esse in progressu servitii ipsius, qualis fuisti circa initia ejusdem. Talem esse in Professione, qualis fuisti in Tyrocinio. O quàm fervida erant initia! Sed quàm tepidi modò sunt progressus mei! *Iustorum semita crescit sicut sol usq; ad perfectam diem.* (Prov: 4.) *Stultus autem ut luna mutatur.* (Eccl: 27.) Vita & mores mei non possunt assimi-

assimilari soli; quia decrescunt semper in deterius, fioq; meipso pejor quotidie; nam *in via Dei non progredi, est regredi, non proficere est deficere.* Lunæ igitur comparari debeo, nunc accrescenti nunc decrescenti, nunc plenæ, nunc deficienti; adeoq; inter stultos, *quorum infinitus est numerus,* (Eccl: 1.) recenseri, & computari. Filius *accrescens Ioseph,* at ego non accrescens, sed decrescens; igitur non filius, sed degener, sed abortivus. Si omni anno, unum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur. Sed modò è contrario sæpe sentimus, ut meliores & puriores initio conversionis nos inveniamus, quàm post multos annos Professionis. Fervor & profectus noster debent quotidie crescere; sed nunc pro magno videtur, si quis primi feroris partem possit retinere.

3. Non solis verbis & miraculis Apostoli perhibuerunt testimonium veritati, sed præcipuè vitâ perfectâ & sanctâ, per quam mirabiles mundo effecti, redditi sunt testes omni exceptione majores. Tale testimonium *Petrus* exigebat à fidelibus, dicens 1. *Pet. 3. Mulieres subditæ sint viris suis, ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore, sanctam conversationem vestram.* Ex quibus verbis apparet, quanta sit vis virtutis & vitæ honestæ, ut sola hæc sufficiens sit ad eos convertendos, qui Apostolicæ prædicationi & miraculis non credebant. In eandem rem ait *Paulus* (2. Corin: 3.) *Nunquid egemus commendatitiis epistolis ad vos aut ex vobis. Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestati, quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi.* Ubi *D. Paulus* sanctam vitam discipulorum, vocat epistolam commendatitiam Christi & sui ipsius, quam ab omnibus sciri & legi affirmat; quia hoc testimonium omnes homines intelligunt & recipiunt. Vis Christo fidele testimonium perhibere; vis esse fidei testis fidelis; exemplum præbe bonorum operum domesticis fratribusq; tuis, & eris *sagitta Dei acuta, ut populi sub eo cadant.* Psal: 44.

FERIA IV.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare DEo.

1. MA-

1. MAgnam in se utilitatem continent hæc verba. *Venit hora*, multa apud Deum merendi, & ego tot occasiones negligo, nec damna mea sentio. *Venit hora* tentationis & pugnæ, & ego velut ignavus miles arma abjicio, manus hosti ultrò porrigo, sequor pravas suggestiones. *Venit hora* meditandi, conscientiam examinandi, peccata deflendi, pœnitentiam agendi, & ego illam, otiosa cogitando, garriendo, tepidè me gerendo, consumo. *Venit hora* mortis, & ego ad illam paratus non sum. *Venit hora* judicii mei, quâ dicetur mihi: (Luc: 16.) *Redde rationem villicationis tuæ* per tot annos administratæ; ego autem *diffamatus sum apud Dominum, quod dissipaverim bona illius, & nescio quid faciam. Venit hora* transeundi ex hac mortali vita in æternitatem, & ego mihi in tam longam viam de alimento non prospexi. O quot horæ in singulos dies, menses, annos inutiliter mihi effluunt! nunquam ampliùs redituræ! O quàm timendum mihi, ne post horam sapiam!! Quod est proprium stultorum!!

2. Interficere homines innocentes, cujusmodi erant Apostoli, est opus pessimum, & tamen per illud, aliqui volunt placere Deo, illiq; præstare obsequium. Quis verò in eis causat istam perversam voluntatem? Pravum & corruptum judicium ab inordinata passione vitiatum. Si aliquis habeat librum, in quo multæ cõtinentur veritates, sed insuper habet fortè glossam, quæ textum pervertit, si eam sequatur, sæpissimè errabit; Ita liber tibi optimus est Conscientia tua, in qua innumeræ scriptæ sunt veritates, quæ lumine naturæ nobis notæ sunt. Insuper, alter optimus liber tibi est Fides, quæ edocet veritates æternæ saluti convenientes. His tamen non obstantibus, non sequeris veritates horum librorum, sed mendacia & falsitates. Hujus rei ratio est, quia habes glossam, quæ textum corrumpit, ac dicit: Hic & nunc aliter esse agendum & peccandum. Si prava est affectio in voluntate, illa pervertit intellectum, ut judicet, hic & nunc esse peccandum, cùm veritas in vniversali, in intellectu maneat, docens: *Nunquam esse peccandum.* Cavendum ergo est maximè ab inordinata passione, quæ omnia corrumpit, & per peccatum arbitratur se obsequium præstare DEo.

3. Non potest intellectus habere Prudentiam, ad rectè agen-

dum necessariam, nisi passiones in ordinem debitum redigat. Nam inordinatus ad rem aliquam affectus efficit, ut quod est ex se malum, erroneè putetur esse licitum & placens Deo. Videt avarus, multos contractus esse illicitos, res malè partas non esse retinendas, sed suis restituendas possessoribus; at quia ad divitias & pecunias inordinatè afficitur, hic pravus affectus, contrarium illi persuadet. Vidit *Samson à Dalila* mortem sibi curari; nam cùm illi diceret: si fuero sic vel sic ligatus, non potero effugere, illa continuò eum sic ligabat; & cùm id sæpiùs experientiâ comprobâsset, tamen Dalilæ aperuit, in quo tandem maxima ejus fortitudo consisteret. (*Iud: 16.*) Quis verò id perfecit? inordinata ad Dalilam affectio. Vidit *Salomon*, malum esse, templa idolis construere, quia tamen inordinatè afficiebatur erga mulieres Ethnicas alienigenas, fana ac delubra in gratiam illarum fabricavit. (*3. Reg: 11.*) Idem dicendum, de *Adamo* in gratiam *Evæ*, fructum vetitum edente; (*Gen: 3.*) De *senibus* impudicis *Susannam calumniantibus*, (Daniel: 13.) *de Herode &c.* (Mar: 6.) Idem videre licèt, in multis peccatoribus, qui esto videant se viam inferi tenere, tamen ab ea recedere nolunt; quamvis interim præclaro polleant ingenio, & multâ scientiâ sint præditi. Ordina ergo affectus tuos, ne ab illis excæcatus cogaris dicere: Video meliora proboq́; deteriora sequor.

FERIA V.

In Octava Ascensionis D. Spes nostra erigenda est in cælum.

1. Dum est in corpore humano, debita membrorum proportio, si caput per foramen aliquod intrat, totum etiam Corpus per illud creditur posse, licet cum difficultate, intrare. Iam Christus caput nostrum, cælos penetravit, si fuerimus membra ei proportionata & convenientia, & nos illuc intrabimus. *Quò ergo caput præcessit, membra sequentur;* S. Leo. Certè enim caput sine membris non erit. prout nos D. *Paulus* edocet: *Qui conresuscitavit nos, & consedere nos faciet in cælestibus in Christo.* (ad Ephes: 2.)

Vide

Vide ergo, quæ sit proportio inter te, caputq; tuum, Christum; inter te superbum, iracundum, gulosum, curiosum &c. ac inter illum humilem, mitem, temperantem, modestum. *Pudeat posthac, sub spinoso capite, membrum fieri delicatum.* S. Bern: Alioquin cum tanta morum dissimilitudine, quâ fronte poteris tibi, cum illo, perennem in cælo promittere conjunctionem?

2. *Habentes Pontificem, qui penetravit cælos, JESUM, teneamus spei nostræ confessionem,* ùt nos admonet S. Paulus (*Hebr: 4.*) Dum classis in mari periclitatur, si videat navem aliquam, portum conscendisse, resumunt animum & vires, reliquæ sperantes, se etiam portum illum consecuturas. Si milites videant, suum Ducem, jam hostilem conscendisse murum, & arcem civitatis occupâsse, quâvis ipsi adhuc in campo sint, tamen sperant, se quoq; illuc perventuros; Ita & nobis esse agendum, monet S. Ioan. (*1. Ioan: 3.*) *Omnis autem, qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut ille sanctus est.* Resumamus ergo animum, fiamus fortes in fide, accendamur ad pugnam, viriliter agamus, ut quò Pontifex, Dux, Antesignanus noster præcessit, & nos succedamus.

3. Viderat *Elisæus* quòd *Elias* ipsius Magister, dum in terra viveret, aquas Iordanis pallio suo diviserit, locumq; sibi ad transeundum alveum fluvii reliquerit. Discessit *Elias* sed pallium suum reliquit *Elisæo,* quod ille tenens, ad Iordanem accessit, ut eum similiter divideret; cùmq; primo contactu non fuisset divisus, ait *Elisæus: Ubi est DEus Eliæ etiam nunc?* (*4. Reg: 2.*) quasi diceret: Etiamsi *Elias* in cælum sit raptus, tamen pallium suum mihi dedit, nunc ergo illius pallio, ea omnia patranda sunt, quæ ab *illo* patrata fuêre: Atq; ita statim aquæ Iordanis divisæ sunt. Induit Filius Dei pallium corporis humani, nam est *habitu inventus ut homo;* (*ad Phil: 2.*) & postquam veste illa, plurima in vita sua perfecit miracula; nam hominibus ad se in sua necessitate confugientibus, innumera beneficia contulit, juxta illud (Acto: 10. *Qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* Et (Luc: 6.) *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Tandem eodem pallio divisit Iordanem passionis ac mortis suæ, atq; ita in alteram fluminis ripam transiit. *Nonne oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* (Luc: 24.) Recessit hic noster Elias; in cælum assumptus

eſt; ſed reliquit nobis pallium ſuum, quo tegebatur, quando nobis reliquit corpus ſuum in Euchariſtia. Inde virtus exit ut ſanet omnes. Sume ergo pallium iſtud & dic: *Ubi eſt DEus Eliæ etiam nunc?* Etiamſi Chriſtus aſcenderit, ego teneo pallium ejus; immo ipſum reverà totum, prout eſt ad dexteram Dei. Adſit ergo mihi, etiam nunc, ſicut adfuit illis, qui illum viderunt. Adſit mihi, qui in eum credo, qui eum firmâ fide ac viva ſpe teneo. Procul dubio aderit ille tibi, ſi ad eum in hac fide ac ſpe acceſſeris; ſi tenueris nec dimiſeris; ſi perſeveraveris ut Eliſæus, dividesIordanis aquas, ut tranſeas in ripam cæleſtem.

FERIA VI.

Sedete hîc, donec induamini virtute ex alto.

1. SIcut in aqua turbida, quam perpetui fluctus commovent, non poteſt humana facies repræſentari, donec quieverit, & in ſtatu pacato conſtituta fuerit; ita in anima, negotiis ſecularibus, & forenſi tumultu, conturbata, Spiritus S. non poteſt virtutem ſuam manifeſtare; neceſſe eſt, ut ſe ab illo perturbationum ſtrepitu ſubducat, & ad pacem debitam componat. Hinc *Eliæ Prophetæ*, non in civitate, non in foro, non in hominum turba, ſed in ſolitudine ac ſeparata ſpelunca, exſpectabat Dominum, & ſui voti compos factus eſt. (3. *Reg.* 17.) Idem Apoſtolis præcepit Chriſtus: *Sedete hîc in Cœnaculo*, per Civitatem non diſcurrite, per vicos & plateas non vagemini, negotiis terrenis non incumbite, à converſatione hominum vos ſubmovete, ſi vultis ad vos deſcendere Spiritum S. Nam ſicut *animus conturbatus, non eſt aptus ad exequendum munus ſuum. Cicero*; ità anima diſſipata, & ſenſibus externis per Creaturas divagans, non eſt diſpoſita ad viſitationem Divinam. Si ergo id fecerunt Apoſtoli, quibus Chriſtus appromiſit Spiritum S. quantò magis tibi convenit id præſtare. Nam hæc lingua Dei non percipitur inter turbas paſſionum.

2. Magna DEus interdum Privilegia alligat electis à ſe locis. Ita fecit cum Templo Hieroſolymitano, quod ideo frequentari à populo ſuo juſſerat, quia ibi pluviam, pacem, fertilitatem, appromiſe-

miſerat. Ita cùm *Natatoria Siloé*, cujus aquam ab Angelo turbatam, qui primus intrabat, recipiebat ſanitatem. (*Ioan*: 9.) Ita *Iordani* fluvio, in quo *Naáman Syrus* ſepties lotus, mundatus eſt à lepra. (*4. Reg*: 5.) Non Hieroſolymam ſed Bethlèém elegit pro ſua Nativitate; non in *Corozain*, ſed in *Nazareth* fixit ſuam habitationem. Idem fecit cum Cænaculo, quanta in illo beneficia mundo contulit! ibi inſtituit Sacroſanctam Euchariſtiam; ibi Apoſtolos ordinavit, & Sacerdotalem dignitatem eis contulit; ibi Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit; ibi Spiritum S. & cum eo innumera dona dedit hominibus. Magna igitur debetur locis ſacris reverentia; nam *Spiritus ubi vult ſpirat*; (*Ioan*: 3.) quod in multis templis denegat, hoc ſæpe in uno angulo, à ſe, electo largitur. Unde dicit: *Sedete hîc &c.*

3. Certò quidem Chriſtus promiſerat Apoſtolis Spiritum S. non tamen determinaverat illis, certum tempus, quo illum erat miſſurus, ut ita eis daret occaſionem ad exercendas multas virtutes, quibus ſe diſponerent ad illum recipiendum. Cùm enim illum venturum certò crederent, horam autem ignorarent, ita agebant, ut ſemper parati reperirentur. Atq; ita erumpebant in ferventia & frequentia deſideria; eliciebant actus humilitatis, reputando ſe indignos adventu tanti hoſpitis; actus reſignationis in voluntatem Dei; actus patientiæ, æquanimitatis, indifferentiæ, ut tum veniret, cùm ei placeret. Tibi quoq; hora, quâ Filius hominis te judicaturus adveniet, occulta eſt; neſcis an hodie, an cras, an hoc menſe, vel hoc anno ſit venturus? Nam *quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet*; ait Dominus. (*Luc*: 12.) Dipone ergo te quotidie illis actibus, qui ſunt pro tali hora opportuni ac neceſſarii, ut te ſemper paratum inveniat.

SABBATO

Erant omnes unanimiter perſeverantes in oratione cum mulieribus, & Maria Matre IESV.

1. *OS meum aperui, & attraxi Spiritum*; ait (*Pſal*: 118.) Ut oſtendat, optimum modum attrahendi S. Spiritum, hunc eſſe, ſi os

si os aperias ad orandum. Sicut enim, ad refrigerandum cor, necesse est, ut os aperiatur, ut recens ac recens aura semper attrahatur; ita ad sedandos concupiscentiæ ardores, opus est orare, & oratione cælestem Spiritûs S. Favonium allicere. Fecerunt hoc Sancti Apostoli; meminerant enim bene, dictorum Christi, quia *Pater cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se.*; (*Luc: 11.*) ideoq; in secessu illo unanimiter perseverabant in oratione, variis titulis invitando Spiritum S. Quidni & ego cum Ecclesia ferventer illum orem, dicendo: *Veni S. Spiritus. & emitte cælitùs lucis tuæ radium. Veni Pater Pauperum &c.*

2. Narrat *Fulvius lib. de antiquit. Romana;* antiquos Romanos, duo templa contigua ædificâsse, unum *Perseverantiæ & spei*, alterum *Sapientiæ*; & in hoc intrabant per illud: Ut significarent, ad sapientiam, præbere aditum perseverentiam & spem, sine quibus, nihil grande obtineri potest. Qui enim facilè retrò aspicit, nunquam eximium quid assequetur; sed cum uxore *Loth* vertetur in statuam salis. (*Gen: 19.*) Nam sicut hæc statua, oculos quidem habebat, nec tamen videbat; manus, nec tamen operabatur; pedes nec tamen ambulabat; ita qui est inconstans in bonis propositis, nihil boni unquam perficiet. Saliaris ergo tu memoriâ & recordatione hujus statuæ, utpote qui caput & faciem facilè obvertis; qui insipidus & sinè sale es. Intuere Apostolos non uno alterove die, sed decem continuos dies in oratione perseverantes, neq; tamen desperantes, ut ad sapientiam per Spiritum S. infusam pervenirent. Noli præfigere Deo tempus dandæ consolationis; noli desponderе animo, si differatur; potiùs dicas cum Iob: c. 13. *Etiamsi occiderit me, tamen ego in illo sperabo.* Ora unicè, ut voluntas Dei in te impleatur, tui verò desiderij, nulla habeatur ratio, si Deo displicet.

3. Antequam Virgines introducerentur ad Regem Assuerum, priùs detinebantur in separata custodia, atq; ibi tàm delicatis cibis, quàm odoriferis præparabantur aromatibus; tum primum magnifico vestitæ cultu, conspectui Regis offerebantur. (*Esther: 2.*) Cætus ille Apostolicus, non solùm Apostolos, sed etiam Beatissimam Virginem, aliasq; Sanctas Matronas complectens, *Magno seculorum Regi, Spiritui Sancto* erat præsentandus, eiq; desponsandus, juxta

juxta illud Apostoli, (2. Cor: 11.) *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Debuit ergo priùs in grandi illo cænaculo detineri; debuit delicatissimis cælestium suavitatum & affectuum nutriri cibis; debuit splendido virtutum cultu ornari, ac ad placendum tanto Principi disponi. Præivit exemplo reliquis ad hanc sui dispositionem, *Regina Virginum MARIA.* Sicut enim hæc, sanctis operibus suis, meruit Incarnationis Filii DEi accelerationem; ita potenti suâ intercessione meruit Spiritûs S. adventum celeriorem. Nam ejus oratio est apud Filium efficacissima: Unde credibile est Apostolos junxisse suas orationes cum ejus orationibus. Et tu magnum, in corde tuo, concipe pretium ac æstimationem *Beatissimæ Matris*; atq; hinc in amorem ipsius exardesce; tum filiali cum fiducia offer illi tuas preces, tuaq; omnia opera, ut per manus illius, Filio Dei, præsentatæ placeant ipsius oculis, & copiosa *Spiritûs S.* dona tibi impetrent.

DOMINICA
PENTECOSTES.

Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Act: 2.

1. NOn caret mysterio, tempus hoc, quo Spiritus S. descendit in terram. Nempe sicut olim die 50 post egressum populi Isràél de terra Ægypti, & transitum maris rubri, ac demersum in eo Pharaonem, descendit DEus in montem Sinai, inter horribiles ignes, fulgura, fulmina, ut legem Timoris exararet in tabulis lapideis, eamq; per *Moysen* famulũ suũ populo Isràél promulgaret; *Exod: 19.* ita nunc, die 50, post eductos è limbo infereo SS. Patres, post superatum à Christo Passionis acerbissimæ rubrum mare, post devictum ac in sanguine Christi submersum inferni Tyrannum, Spiritus S. descendit ad Cænaculum, propè montem *Sion*, in gratioso igne & amabili flamma, ut legem Amoris in cordibus Apostolorum scriberet, eamq; per ipsos tanquam per suos Internuntios promulgaret toti orbi. Omne

quidem tempus est aptum, ad recipienda Spiritûs S. dona, & obtinendam veniam peccatorum; nam ita promittit DEus apud suum Prophetam. *Quacunq; hora ingemuerit peccator, exaudiam eum:* ij tamen dies peculiari cultu observandi sunt, quos Ecclesia ad recolendum aliquod mysterium destinat; nam sicut tunc singularem Deus liberalitatem erga mundum exercuit, dum illud mysterium fieret; ita postmodum, quando festa die recolitur ipsius memoria, magis patent fores cælestis Regiæ, ac facilior datur aditus ad thronum Gratiæ Divinæ; de tali namq; tempore dicitur: (2. Cor: 6.) *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Tunc enim est dies fori & nundinarum, emendi quod velis, est hora audientiæ.

2. Nemo tunc, ab illo Sancto discipulorum, Spiritum S. exspectantium Cætu aberat; unde nec Thomas sese absentabat; quia propriâ experientiâ didicerat, quanto se bono privaverat, dum post Resurrectionem Christi, à communi cæterorum convictu secessisset. Hinc & modò quantum incurrisset damnum, si à communitate separatus, non feciſſet simul ea, quæ alii fecêre. Magnum sibi thesaurum gratiarum Divinarum ac donorum Spiritûs S. comparare potest, qui in communitate religiosa vivens, communia Religionis opera, non communi Spiritu & vulgari diligentiâ exercet. Sicut enim cibi, quibus aliquis assuescit, etiamsi fuerint simplices, si tamen bene præparentur, melius nutriunt, magisq; conducunt sanitati, quàm nescio qui delicati, & exotici; ita de operibus aliàs communibus judicandum. Qui verò ordinarias in Religione actiones negligit, ordinariè à Deo negligitur; deserunt eum dona Spiritûs S.; non experitur speciales ejus favores; quia se indignum etiam communibus reddiderat. Ordinariè talis in religioso proposito non perseverat, sed à communitate recedit; quia *non meretur, ut ibi vitæ finem imponat, ubi quotidie ab ultimo fine recedebat;* nam *in via Dei non progredi, est regredi.* Si enim *facienti quod in se est, DEus non denegat gratiam;* certè illam subtrahet, negligenti ea, quæ præ manibus habet; nam *ab ingratis beneficia tolluntur.*

3. Optima ad recipiendum Spiritum S. dispositio, mutua inter multos, animorum conjunctio; quando nimirum, estò sit

nume-

numerosa conviventium sibi manus; estò diversa complexionum temperies, estò nationum antipatia heterogenea, tamen *multitudinis illius est unum cor, & anima una.* (*Acto. 4.*) Cùm enim *Spiritus S. sit essentiale ac substantiale vinculum,* æternum Patrem cum suo Filio connectens, speciali favore ac benevolentiâ eos prosequitur, quos videt mutuo charitatis vinculo, inter se, connexos. Ignîs proprium est, congregare heterogenea, eaq; sibi assimilare; Spiritus S. ignis est; ibi ergo libenter habitat, ubi diversitas ingeniorum, in unum coalescit; ubi *multi fiunt unius moris in domo.* (*Psal: 67.*) Quâ igitur fronte potero mihi tantum hospitem polliceri? Si asperitate verborum, hoc vinculum solvo? si eos, quos alienos à me video, ipse quoq; refugio? Si cum plurium offensione, uni adhæreo?

FERIA II.

Factus est repentè de cælo sonus, tanquam advenientis Spiritûs vehementis. Act: 2.

PUlcherrimus est organi concentus. Concinna illa sonorum varietas suaviter in aures influit. Quis verò id præstat? nisi uniformiter difforme venti spiraculum, quod dum fistulas in organo inclusas temperatè inflat, mirum edit concentum, & jucundo gratoq; sono aures demulcet. Divinum quoddam organum fuit cætus Apostolicus, operosè à Christo constructum & affabre factum. Sed ante delapsum Spiritûs S., mortuo se modo habuit istud organum; vel nullum edebat sonum, vel distortum & inconcinnum. Quàm distortus in Petro ille sonus! *Non novi hunc hominem. Nescio quid dicis.* (*Matt: 29.*) Quàm incondita in Thoma discrepantia! *Non credam.* (*Ioan: 20.*) Quàm insulsa illa harmonia! *Nos autem sperabamus:* (*Lucæ 24.*) ita, ut debuerint durè tractari & acerbé increpari: O *stulti & tardi corde ad credendum.* At postquam ventus ille cælestis animavit ac inflavit has fistulas, ecce verò *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum.* (*Rō: 10.*) Quàm gratū edidit sonum Petrus, cujus primo concentu, tria millia, altero, 5. millia credentium, Ecclesiæ sunt

aggregata. Figmentum est, quod *Orphèus* suavitate suæ lyræ, quam tangebat, arbores, sylvas, saxa, colles, fecerit salire, & in civitates, urbesq; coalescere. Veritas est, quòd Spiritus S. inflando Apostolicas fistulas, dulci earum sono, feras ac barbaras nationes, in unam Ecclesiam conflaverit. *Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum, gentes in unitatem fidei congregàsti.*

2. Nihil quidem navibus per mare currentibus, est ita optandum & utile, sicut prosperus ventus; nam illius auxilio facilè navis ad portum propellitur, & pervenit feliciter. Sed nihil etiam ita formidandum & noxium, atq; ventus vehemens & Spiritus procellarum; nam facilè navem, præsertim sublimia mala & vela, gerentem vel fluctibus obruit, vel petræ allisam frangit. Ita Spiritus S. humilibus & simplicibus subjectis (cujusmodi erat Apostoli) prosperum reddit cursum; facilè ipsos ad portum, hîc majoris gratiæ Divinæ, ibi amplioris gloriæ perducit. Sed superba, elata, multùmq; de se, præsumentia ingenia, frangit & conterit; juxta illud: (Iacobi 4.) *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles.* (Luc: 1.) Atq; hoc Psalmista vult, dum ait: (Psal: 49.) *In Spiritu vehementi conteres naves Tharsis*: id est animas Deo rebelles. Navis Tharsensis erat refractarius voluntati Divinæ *Ionas*; contumax & minarum spirans *Saulus*; sed illos vehemens Spiritûs S. ventus contrivit, dum ad Pœnitentiam, ac dolorem de peccatis adduxit. Naves Tharsenses erant *Simon Magus, Ananias, Saphira, &c.* nitebantur contra hunc ventum, sed illos confregit, contrivit, usq; ad perditionem comminuit. O Spiritus vehemens, in me converte impetum tuum! *Flecte quod est rigidum, frange quod est tibi adversum; Rege quod est devium. Actiones meas aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta mea oratio & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.* Orat: Eccle:

3. Magnum ab initio mundi, naturali universo beneficium præstitit Spiritus S. Dum *Adami* corpus de limo terræ plasmatum animavit: hoc enim antè fuerat informe, fœdum cadaver, nullam in se habens vitam, nullum vigorem, nullum sensum, nullum motû. Sed postquam illi Deus *inspiravit spiraculum vitæ*, (Gē: 2.)

post-

postquam illud Spiritu halituvé oris sui afflavit, ecce verò *homo factus est in animam viventem.* (*Gen:* 2.) Similiter quoq; *terra erat inanis & vacua;* sed postquam surrexit Aquilo, & venit Auster, postquam illam perflavit, ecce verò *produxit herbam virentem,* (*Gē:* 1.) ecce verò *flores apparuerunt in terra nostra.* (*Can:* 2.) Similiter sublimes colles & montes, steriles fuerant & infæcundi, sed postquam *flavit Spiritus ejus,* ecce verò *ex illis fluunt aquæ.* (*Psal:* 147.) Aquæ etiam erant prorsus steriles; sed quia *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* (*Gen:* 1.) tum verò in eis nati sunt tot pisces, tot reptilia, tot volucres. Longè nobiliores effectus, modo invisibili Spiritus S. producit in anima, dum illi per peccatum mortuæ, inspirat vitam spiritualem justificantis gratiæ; dum illam florido virtutum variarum adornat habitu; dum de saxea cordis indurati rupe, uberes elicit lacrymas; dum ad lavacrum baptismi, tot nationes barbaras adducit, easq; in illo fonte salutis regenerat in vitam. *Surge Aquilo, & veni Auster; perfla hortum animæ meæ.* (*Can:* 4.) & fient in me hi effectus.

FERIA III.

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ. Act: 2.

1. CÆli *enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum;* ait *Psal:* 18. Verum quidem est, quòd cæli materiales enarrent gloriam Dei, & quòd firmamentum materiale annuntiet opera manuum ejus; nam etiam tales cæli habent linguam suam, taleq; firmamentum non caret ore suo. Nimirum sol, luna, stellæ, sunt quædam disertæ linguæ; motus illorum perpetui, uniformiter difformes, sunt facunda ora; illorum splēdor & virtus activa est loquela, omni Tulliano sermone limpidior, quibus summa Dei conditoris hòrum omnium, Sapientia, Omnipotentia, Bonitas, Æternitas, Immensitas, aliæq; admirandæ perfectiones prædicantur & magnificantur. Intelligebat has linguas Magnus ille *Antonius Eremicola;* quia totum mundum appellabat *Librum suum,* ex quo discebat perfectiones Divinas. Intelligebat *S. P. Ignatius,* dum ex aspectu cæli, erumpebat in illas voces: *Quàm sordet mihi terra, dum cælum aspicio.* Utinam &

ego intelligam & enarrem opera Domini!

2. Sed multò magis hoc verificatur de cælis mysticis. Quid enim erant Sancti Apostoli? nisi cæli quidam nobiliores, de quibus DEus per Prophetam prædixerat (Isaiæ: 65.) *Ecce ego creo cælos novos, & terram novam.* Hæc nova terra est Ecclesia Christi in terris fundata; hi verò cæli, sunt Apostoli; unde unus illorum ait: (ad Phil: 3.) *Nostra conversatio in cælis est.* Etsi mortali carne erant induti, animæ tamen illorum gaudebant spirituali incorruptibilitate; siquidem erant ita confirmati in gratia, ut estò possent venialiter peccare, à mortali tamen culpa committenda fuerant omnino immunes; nec poterant excidere amplius à consecutione finis ultimi, cælestisq; beatitudinis: Unde illis, Firmamenti nomen meritò potest attribui. Ut ergo firmamentum hoc, & hi cæli, magnificè gloriam Dei enarrarent, & mirabilia ejus annuntiarent opera, quænam eis linguæ sunt datæ? En Spiritus S. sub forma linguarum in illos descendit! En ab illo acceperunt dona, & variarum genera linguarum! Atq; ita hi cæli *loquebantur variis linguis magnalia DEi, prout Spiritus S. dabat eloqui illis.* (Acto: 2.) Neq; verò sermone tantùm, sed etiam quâvis actione; immo ipsa quiete, & morum compositione, Deum, in se, habitantem, prædicabant mirificè. Rogo Pater luminum, à quo *descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum* (Iaco: 1.) da mihi talem linguam.

3. Si *cor hominis est inscrutabile*; ut ait Scriptura (*Ierem: 17.*) multò magis Cor Dei. *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* (ad Rom: 11.) *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Sed sicut lingua aperit cordis arcana; quod enim latet in corde, hoc manifestatur in ore; ita Spiritus S. voluntatem Dei secretam pandit, docendo, inspirando &c. Hic nimirum Magister edocet Catholicam Ecclesiam, summumq; ejus Præsidem, quid credendum? quid repudiandum sit? Hic singulos fideles erudit ac instruit necessariis ad salutem. Quantas debes gratias tanto Doctori, quòd etiam te, hucusq; erudierit, atq; instruxerit. Quantùm dolere debes, quòd te illi discipulum præbueris immorigerum. Quantoperè illum rogare debes, ne te deinceps à sua disciplina dimittat, sed potiùs erudiat

& ad-

& admoneat, quæ tibi sunt fugienda, quæ prosequenda. *Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne auferas à me.* Psal: 50.

FERIA IV.

Apparuerunt illis dispertitæ linguæ. Act: 2.

1. QUid magis necessarium Concionatori, quàm expedita ac diserta lingua? Sicut enim strenua manus militi, cursori pedes, operario firmi lacerti, serviunt ad eorum labores; ita Concionatori deservit lingua ad ejus functiones. Quia ergo Apostoli futuri erant Concionatores orbis, & legis Evangelicæ prædicatores, ideo Spiritus S. in specie linguæ, supra illos descendit, ut eos digna, ad hoc munus competenter obeundum, instrumenta formaret. Ex lingua sua, unusquisq; agnoscere potest, an habeat in corde suo Spiritum S. Nam *ex abundantia cordis os loquitur.* (Matt: 11.) Unde nihil depromitur ore, quod non præfuerit in corde. *De hoc enim exeunt primò cogitationes, desideria, appetitus, concupiscentiæ, iræ, odia,* deinde tanquam maturior jam fætus, verba, loquelæ, sermones. Si ergo deprehenderis, linguam tuam non de Deo, rebusq; ad salutem æternam spectantibus loqui, si adverteris, sermones tuos charitati proximi difformes, certissimò collige, non habitare in corde tuo Spiritum S. sed Spiritum malignum. Vis hunc expellere, & illum ad te allicere & advocare, sint sermones tui recti; sit lingua Deo conformis.

2. Linguam S: Iacobus appellat cap: 3. *Universitatem iniquitatis;* Nam ex illa, veluti ex Academia prodeunt agmina vitiorum, & artes mille nocendi. Hinc proveniunt scurrilitates, detractiones, murmurationes, maledicta, execrationes, blasphemiæ, aliaq; infinita peccati monstra. Novus ergo de cælo venit Doctor, Spiritus S. qui hanc Academiam reformaret, aliosq; in eam induceret Magistros & Professores. Cùm enim hæc universitas non alio fine sit instituta à Deo, nisi, ut per eam laudetur Deus, misceantur colloquia salutaria, fiat confessio peccatorum, errantes corrigantur, doceantur ignorantes, consilium dubitantibus detur, ideo ad hanc formam, Spiritus S. hanc reducit Academiam. Unde ideo in figura linguæ apparuit, ut ostenderet, se esse Primum

mum Motorem, Authorem, Directorem omnium horum bonorum, quæcunq; in mundo per linguam fiunt. Hinc ergo disce, quicquid contrarium his effectibus à tua lingua promanat, non ab hoc Doctore, sed à maligno quodam provenire Spiritu. Roga ergo Spiritum S. ut ille solus linguam tuam occupet, possideat, dirigat, erudiat, informet, & ad hæc bona impellat.

3. Assimilat linguam suam *David* Calamo, dicens: (*Psal: 44.*) *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quid ita? Ut exprimeret vim & energiam linguæ suæ, quam Spiritus S. gubernabat. Aliæ linguæ edunt quidem sonum, fundunt verba, proferunt sermonem, sed sonus ille facilè transit, ad ima non penetrat, verba cor non afficiunt, sermo nihil operatur stabile, nihil permanens relinquit in anima. Lingua verò illa, quam Spiritus S. gubernat, veluti calamus, exprimit stabiles in corde characteres, qui deinde facilè possunt videri & legi in suis operibus. Sermo enim Dei est vivus & efficax. Sicut enim homo quidem jaculatur, sed Deus globos & jacula defert; ita homo justus loquitur, sed Deus verba ejus dispensat, datq; illis vim & efficaciam, ut prodeant in effectum. Tam efficacē linguam optabat Iob dicens: cap: 19. *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro, stylo ferreo, & plumbi laminâ, vel celte sculpantur in silice.* Hoc est: O si Deus talem energiam linguæ meæ tribuat! ut quamvis corda eorum, quibus loquar salutis monita, fuerint veluti charta mortua, vel gravia ut plumbum, vel dura ut silex, tamen in eis exprimantur, & hæreant permanenter verba mea. O Spiritus Divinissime, dona talem linguam Concionatoribus, confessariis, conversatoribus nostris; dona & mihi licēt indigno.

FERIA V.

Dispertitæ linguæ tanquam ignis. Act: 2.

1. OPtimum Divinitatis Symbolum est Ignis: Nihil enim erat familiarius DEo, quàm apparere in igne. Et ita (Exod: 3.) *Movsi apparuit in rubo igneo.* Et (*Exod: 24.*) dicitur: *Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens.* Et (Deut: 4.) *Ostendit tibi*

tibi DEus ignem suum maximum. Et *3. Reg: 18.* Elias ait: *DEus qui exaudierit per ignem, ipse sit DEus* Hinc multæ nationes ignem coluerunt instar Numinis, & credebant illum esse de cælo delapsũ, ideoq; illum perpetuò alebant, fovebant, asservabant. Usq; adeo familiare fuit Deo in igne apparere, ut de illo dicatur: *(Deut: 4.) DEus noster ignis consumens est.* Ut ergo Spiritus S. ostenderet, se esse verum Deum, ideo in igne apparuit. O Domine qui dixisti: (Luc: 12.) *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur,* jam verificâsti in SS. Apostolis promissionem tuam; etiam in me illam verifica; sum Rubus, appareat in me Divinus tuus ignis.

2. Postquam *Elias* composuit sacrificium, & aqua ter perfudit, oravit ad Deum dicens: *Domine DEus Abraham Isaac & Iacob, ostende hodie, quia tu es Deus Israël.* ut habetur *(3. Reg: 18.)* Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna & lapides, pulverem quoq; & aquam, lambens. Et ait populus: *Dominus ipse est DEus.* Quid verò erant Apostoli, nisi sacrificium, Deo quidem oblatum, sed aquâ timoris humani plenum? Postquam verò ignis Spiritus S. de cælo descendit, absumpsit sacrificium, omnem timoris mundani aquam devoravit: nam *Perfecta Charitas foras mittit timorem;* (*Ioan: 4.*) ecce enim prodeunt in publicum, qui præ timore intra domesticos latebant parietes; palàm variis nationum diversarum loquuntur linguis, qui nec mutire audebant; Columbæ trepidæ mutatæ sunt in generosas aquilas; agni pavidi in magnanimos conversi leones; hoc autem totum igne cælesti perfectum est. Verè *Dominus ipse est Deus.* O Divine ignis absume ita cor meum; aquam tepiditatis meæ lambe; converte animam meam ex languida in fortem &c.

3. Quomodo verò hic ignis Spiritus S. conservandus est? *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis;* ait Sapiens Proverb: 29. *Et cùm oleum defecerit, extinguetur lucerna.* Ita cùm defecerint bona opera, extinguetur ignis Spiritus S.; siquidem fundamento & nutrimento carebit: quisq; sua experientiâ discit; quia cùm orationem negligit, conscientiam non examinat, spiritualem librum non legit, non audit concionem, mortificationi non studet, continuo in peccata labitur; quia nimirum deserit illum virtus Spiritûs S. quæ illum illuminet, accendat, inflammet. Non aliter

igitur hic ignis potest conservari, nisi exercitio bonorum operum, prout nos monet Princeps Apostolorum dicens: (2. Pet: 1.) *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* En fructum bonorum operum, non peccare aliquando; peccatis autem venialibus contristatur, mortalibus verò expellitur Spiritus S.

FERIA VI.

Dispertitæ tanquam ignis. Act: 2.

1. Dum in Igne Spiritus S. apparuit, non solùm ostendit se esse Deum, sed etiam se esse *Tertiam Personam Sanctissimæ Trinitatis.* Amor enim dicitur ignis; ille namq; accēdit cor, & inflammat affectum amantis erga amatum: Unde non amantes, frigidi vocantur. Cùm ergo *Tertia Sanctissimæ Trinitatis Persona, Spiritus S. sit substantialis Amor Patris erga Filium, & Filii erga Patrem,* & procedat per Amorem; nam Pater videndo infinitam bonitatem & amabilitatem, tum sui, tum Filij coæterni, Filius quoq; cognoscendo tum suam, tum Patris à quo generatur, infinitam bonitatem & amabilitatem, necessariò in se feruntur mutuo dilectionis & Amoris affectu. Atq; hic Amor, quia est substantialis in Deo, subsistens per *Passivam spirationem,* tanquam per *Personalitatem consubstantialem,* necessariò amat utrumq; & Patrem & Filium, eosq; ineffabili quodam ardore inflammat perpetuò, quo & ipse continuò ardet. Meritò igitur igne declaratur. *O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris,* fac me participem tui ardoris.

2. Patri æterno attribuitur Omnipotentia, Filio Sapientia, Spiritui S. Bonitas & Amabilitas; rectè igitur hic per ignem significatur. Sicut enim ignis inter cætera Elementa, maximè nititur se omnibus communicare, suamq; vim illis impertiri, & ea sibi assimilare; nam admove igni, oleum, ligna, stipulam, continuò ignis nititur illa in suam transmutare naturam, suumq; illis communicare splendorem. Talis est Divina Spiritus S. bonitas, quæ conatur hominem facere sibi omnino similem, totamq;

tamq; se illi communicat. Mira profectò Dei nostri eluxit liberalitas, dum Filium suum unigenitum mundo dedit; nova insuper nunc elucet, cùm etiam illi Spiritum S. tribuit. Si eum, ô Domine! dicimus prodigum, qui omnem suam profundit substantiam; an ipse non es prodigus? qui non solùm substantiam, sed etiam teipsum profundis, dum tribuens nobis filium tuum, insuper & Spiritum S., quasi nihil esset, sic eum effundis. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* (*Ióel: 2.*) Quis talem tantumq; tuum non miretur amorem? Quis eum non satagat redamare?

3. Ignis proprium est, sursum tendere, & ea, quæ suo ardore inflammat, elevare in sublime. Atq; talis est natura Spiritus S. Sicut enim corpori humano, duo præcipua Deus membra dedit, caput & cor, ita, ut hæc, duabus præcipuis respondeant potentiis, intellectui & voluntati, ita Ecclesiæ suæ, duo dedit principalia membra, Christum in caput, & Spiritum S. in cor juxta illud Apostoli: ad Rom: 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Feræ & animalia inclinata habent terram versùs, corpora, deorsum respiciunt; homo verò elevatus est ad cælum, & sursum respicit. Quia feræ corda habent frigida, homo verò nactus est cor calidissimum, & multo igne plenum, quod proinde hominem sursum elevat, & in sublime attollit. En, quid Spiritus S. efficiat in homine, cujus cor occupat? Divino enim calore sursum illum erigit, *ubi Christus est in dexterâ Dei sedens,* (*ad Colos: 3.*) & altas illi cogitationes immittit. E contra peccator, à cujus corde abest Spiritus S., oculos suos statuit defigere in terram, prout scriptura dicit de perversis senibus (Daniel: 13.) *Declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neq; recordarentur judiciorum justorum.* Quod mirè expressum est in *Nabuchodonosore,* cui cor feræ datum est, & quasi quadrupes ambulavit, & fænum ut bos comedit, donec ei datum est cor hominis, & respexit in cælum. (*Dan: 4.*) DEus meus aufer à me cor ferinum; da humanum, sursum igne tali elevatum.

SABBATO

Dispertitæ linguæ tanquam Ignis. Act: 2.

1. IGnis non solùm in se est purissimus & lucidissimus; nullas intra se maculas aut sordes, nullos fumos aut umbras admittens vel tolerans: Sed etiam purgat multa impura; removet enim à metallis, aliisq; rebus scoriam & feces. Ita Spiritus S. non solùm in se est Sanctissimus, immo ipse fons Substantialis Sanctitatis, sed etiam nos sanctitatis suæ facit participes, & ab omni labe peccati emundare studet. Nam sicut Patri attribuitur nostrî Creatio, & Filio nostrî Redemptio; ita Spiritui Sancto, adscribitur nostrî sanctificatio. Cùm ergo similitudo morum, amorem conciliet; si à Spiritu S. amari, ejusq; donis repleri desideras, æmulare, quantum potes, hanc ejus puritatem; nulla in te peccata admittens vel tolerans, eademq; ab aliis, verbo & exemplo bono tollens.

2. Cùm ignis sit in se vehementi ardore plenus; non solùm res humidas exsiccat; sed tiam passum approximatum calefacit, accendit, inflammat; Ita se Divinus gerit Spiritus. *Exsiccat humorem libidinis*, ut loquitur Ecclesia, reddit cor ad carnales illecebras aridum, illudq; amore Divino calefacit & inflammat. Quod Spiritus S. potissimùm præstare solet in sumptione Sanctissimæ Eucharistiæ digna. *Ab hac enim, ut ait S. Chrysost: recedere debemus, tanquam leones ignem spirantes, diabolo terribiles.*

3. Tandem ignis id habet, ut multa mollia, tenera, debilia, reddat firma, dura, & robusta; ùt patet in vasis testaceis, ex molli argilla compactis. E contra vero multa dura & solida, liquefacit ac dissolvit: multa cruda & insipida, reddit matura & sapida, Nonnè id præstat virtus Divina Spiritûs S.? Siquidem illa Sanctos Martyres etiam in sexu fragili, reddit contra omnia Tyrannorum tormenta obfirmatos & validos; illa, duríssima peccatorum corda, in molles resolvit lacrymas, & piis erga Deum facit affectibus diffluere; illa Cruces, persecutiones, afflictiones reddit suaves ac dulces. *Veni S. Spiritus & emitte cælitùs lucis tuæ radium. Lava quod est sordidum, riga quod est aridum &c.*

DO-

DOMINICA
SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Data est mihi omnis potestas, in Cælo & in terra; euntes ergo Docete &c. Matt. 28.

1. NOn se solùm Christus his verbis prædixerat, sed simul tacitè involvit omnes *Sanctissimæ Trinitatis Personas*; nam inprimis innuit Eum, qui dedit, & hic est *Pater*; deinde nominat Eum, cui datum est, & hic est *Filius*; tandem ponit omnem Potestatem, & hæc designat *Spiritum S.* Totus enim vigor, totum robur hominis consistit in Spiritu, quo vegetatur & vivit seu in anima. In Christo ergo omnia ista continentur, & *Pater*, & *Filius* & *Spiritus S.* Sed diversimodè ac dispari ratione. Nam solus Filius continetur directè formaliter & per unionem hypostaticam, in hoc admirabili composito; Pater autem & Spiritus S. indirectè, concomitanter, & per *Circumsessionem*. Quia sola Persona Filii immediatè assumpsit naturam humanam, eamq; formaliter terminat. Pater autem & Spiritus S. cùm sint ejusdem naturæ Divinæ cum Filio, concomitanter & circumsessivè se habent ad hoc mysterium. Valde mihi cavenda est vana meî ostentatio, ne scilicet ita bona mea opera jactem, ut Dei, qui est primus illorum Author & motor, obliviscar; Nè alios, eorumq; talenta ita deprimam, ut ipse appaream ac emineam.

2. Licèt Christus explicet Potestatem sibi datam, non tamen commemorat causam & motivum, ob quod est illi data; quia nimirum collata ipsi est ob infinita suæ Passionis merita. Nam, tunc ei data est, cùm in Cruce pro salute generis humani penderet, & pretiosam suam poneret animam; prout docet Apostolus. (ad Phil: 2.) *Humiliavit semetipsum Dominus JESUS, usq; ad mortem, factus obediens; mortem autem Crucis; propter quod & DEus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu, flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Magnificus animus, eorum solùm recordatur, quæ accepit; non verò eorum, quæ ipse effecit ac præstitit. Quanta ego de manu Dei

mei accepi beneficia! & tamen illorum quàm immemorem, quàm ingratum gero animum! vix ea unquam recolendo, & frigidas pro illis agendo gratias: & è contra, quàm modica & pauca ob amorem honoremq; Dei præsto! & tamen quantoperè illa jacto; ab omnibus laudari, amari, extolli, propter illa, cupio.

3. Postquam Christus dixit: *Datam sibi esse potestatem in cælo & in terra,* statim eam suis communicat, dicens: (Mar: 16.) *Euntes ergo docete omnes Gentes.* Quia DEus maximè per hoc, declarat Potestatem majestatemq; suam, si nobis benefaciat; juxta illud Ecclesiæ: *DEus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.* Potens quidem est Iustitia Dei; sed Bonitas & Misericordia potentior, juxta illud Iacobi 2. *Misericordia superexaltat judicium.* Non quidem misericordiam & judicium sumendo entitativè & in recto; sic enim sumpta sunt æqualia; quia identificantur ipsi essentiæ Divinæ; sed tamen connotativè & in obliquo; quia termini seu effectus prodentes bonitatem pietatemq; Dei, longè plures, nobisq, sunt patentiores, quàm effectus ac termini manifestantes justitiam Dei. Quia *miserationes Domini super omnia opera ejus.* Psal: 144. Et Ps: 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

FERIA II.

Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Mar: 16. *Hinc deducitur Deum esse.*

1. MUlti speculativè fatentur, Deum esse, Practicè tamen hoc negant; juxta illud Apostoli (ad Tit: 1.) *Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant.* Et Psal: 13: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Qui enim vitam suam ita agit, acsi Deus non esset, qui desideriis suis obsequitur, & non legi Dei, ille in corde suo tacitè dicit: *Non est Deus.* Sicut ille fecit apud Ecclesiasticum c. 2. *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Vides aliquem servum huc & illuc vagantem, continuò dicis: *Iste non habet herum,*

caret.

caret Domino; ità qui per creaturas liberè vagatur ac suis vacat desideriis, non agnoscit Dominum. Qui igitur advertenter peccat, qui ita liberè agit, acsi seipsum feciſſet; qui ea, quæ habet, ita possidet, acsi illa à se haberet, & non à Deo; qui de temporalibus ita est solicitus, acsi solâ industriâ suâ alendus esset; qui peccato gravi commisso, nihil cavet ac timet; ille in corde suo dicit: *Non est Deus.* Dedocet hanc stultitiam Christus; jubet omnes Gentes doceri, & baptizari. Id est, jubet eos charactere unius Dei insigniri, & admoneri, ut meminerint, cujusnam Domini sint? Sicut enim Pastor oves, & herus captivos servos, & Imperator suos milites, unâ tesserâ & charactere proprio notat; ita Deus Unus & Trinus, omnibus Gentibus fieri jubet; ut supremum suum Dominum agnoscant, eum revereantur, eiq; obediant, & leges ipsius observent. O *Domine quia ego servus tuus; Ego servus tuus, & Filius ancillæ tuæ.* (Ps: 115.) *Signatum est super me lumen vultûs tui Domine.* Psal: 4.

2. Omnis quidem Creatura clamat: Deum esse, juxta illud (Psal. 99.) *Ipse fecit nos & non ipsi nos.* Nam Imperfectio & participatio, quæ relucet in Creaturis, ostendit, *esse fontem quendam indeficientem essendi,* á quo omnia creata promanant, ipse verò à nullo. Hinc nulla est Natio adeò barbara, quæ non habeat pro comperto, Deum esse. Licet multi non agnoscant, qualisnam sit iste Deus? Cadit puer in terram, & continuò dicit: *Deus meus.* Videt barbarus, imminere sibi discrimen ab hoste, vel fulmine, vel bestia, statim dicit: *Deus adjuva me.* Quis verò dixit puero, aut barbaro, Deum esse? Sigillata est hæc veritas in cordibus nostris, & impressa mentibus à natura. Qui enim acui nauticæ dicit: Ubi est sidus boreale? ut non quiescat, donec eò se dirigat. Qui Agno ostendit, quæ sit mater ejus, ut ei adhæreat; ille omnium cordibus dixit: *Deus est, cui bonum est adhærere.* (Psal: 72.) Nihilominus aqua baptismalis vel maximè nos hanc edocet veritatem. Tunc enim prima erga nos misericordia Dei elucet, cùm nos à sordibus peccati originalis in sanguine suo abluit, ac de potestate diaboli erutos, in sortem Filiorum Dei reducit. Quia ergo id per baptismalem aquam perficit, ideo hæc prodit Genuinam Dei proprietatem, hoc est Misericordiam: ideoq; nos maximè

ximè de hac veritate edocet, *Deum esse.*

2. Sicut DEus est *Primum Principium* nostrî, quóàd esse naturale; ipse enim dedit nobis animam cum omnibus ejus potentiis, & corpus cum ipsius sensibus; ipse hoc utrumq; admirabili nexu copulavit; ipse hæc omnia conservat, ita, ut non tantùm quóàd primum suum esse, sed etiam quóàd secundum ac millesimum, continuato influxu ab ipso dependeant. Ita multò magìs, est *Primum Principium nostrî* quóàd esse supernaturale, in quo constituimur, per Gratiam Sanctificantem, & habitus infusos virtutum Theologicarum ac Moralium. Cùm ergo hoc esse supernaturale primò accipiamus per lavacrum Regenerationis, seu Baptismum, meritò nobis inculcatur Nomen Dei nostri, in eodem baptismo, ut in illum tanquam in *Primum fontem*, totum nostrum esse referamus. Non tam enim rivus indiget fonte, ex quo dimanet; non tam arbor eget radice, ex qua pullulet; quàm anima indiget DEo, ad suum esse, conservari & operari. DEus ergo est ultimum in omni necessitate Refugium, virtus in omni periculo, firmamentum in omni labore. Cùm DEus adest, nullum est malum, cui remedium non possit adhiberi. Cùm omnis Creatura deficit, nec potest tibi succurrere, DEus præstò est, qui te sublevet. Quoniam *Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Psal: 26.

FERIA III.

Baptizantes eos in Nomine P: & F. & S. S. Mar: 16. *Hinc deducitur* DEum esse Unum.

1. DUm Christus jubet, omnes Gentes baptizari, non in nominibus, sed in *Nomine Patris & Filii & Spiritûs S.* quid aliud innuit, nisi unum esse DEum, Patrẽ, Filiũ, & Spiritum S.? Unã esse horum trium naturam, Essentiam, Substantiam, Virtutem, Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, quâ hic mundus conditus est, conservatur, gubernatur. Et certé, unaquæq; Creatura habet suam perfectionem in certa mensura, & secundùm diversas naturas ac species, una est perfectior aliâ, ita, ut perfectior ac sublì-

sublimior contineat perfectionem inferioris, & aliquid supra illam addat. Atq; ita, in primo loco & quasi in infimo gradu, sunt Elementa, super quæ, sunt mixta, quæ virtute continent Elementa; super mixta, sunt viventia; super hæc, animantia; super hæc, Homo; super hunc, Angelus; super hunc, superior Angelus. Ideo *Metaphysici* dicunt: *Essentias rerum esse veluti numeros.* Quia sicut numerus superior continet inferiorem, & aliquid ei addit; ita in naturis contingit. Cùm ergo *non detur Processus in infinitum*, deveniendum tandem est, ad *unum supremum Ens, quod est perfectius cunctis, & omnia virtute continet*; & hoc est Deus. *Ergo laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi &c.* Psal. 116.

2. Non dari processum in infinitum in rebus creatis, sed deveniendum esse ad unum Primum Principium, omnia, efficiens atq; movens, manifestum, est. Quia nulla Creatura est sibi sufficiens ad dandum esse; cùm omnis sit dependens ab alio. Ergo omnis Creatura accipit suum esse ab alio; si enim una Creatura id habet, & omnis id debet habere. Ergo illud aliud, est Primum Efficiens & Movens, à quo fiunt & moventur, à non esse ad esse, reliqua omnia. Si primum? Ergo ante illud non datur prius; Ergo illud primum debet esse unicum, ac essentialiter individuum. Si videres Catenam longam, ex annulis invicem cõnexis confectam, è cælo pendentem, proculdubiò, pervenires mente, ad ultimum annulum à quo reliqui dependent; ita de Creaturis, ab ultima tandem primaq; manu Authoris Dei, pendentibus, judica. Atq; hoc innuit Christus, cùm vult doceri omnes Gentes & baptizari *in nomine Patrũ & Filii & Spiritũs S.* ut admoneat de unitate instituentis baptismum, in cujus virtute & authoritate debeant omnes baptizari, ac in suo regenerato esse, dependere ab alio unico.

3. Expedivit Christus Apostolos in universum mundum, ad docendum & baptizandum omnes Gentes, & ut ex admirabili opificio mundi, docerent unius Artificis & Gubernatoris excellentiam, eamq; vniversis Gentibus intimarent. Sicut enim, si tu eundo per desertum, incideres in aulam Regiam mirè compositam atq; ornatam, quasi domum Salomonis, cujus tecta fulgerent auro, parietes ex marmore Pario, postes & limina ex ada-

mantibus, pavimentum ex Smaragdo, feneſtræ ex cryſtallo, miro ordine & concinnitate eſſent diſpoſitæ & conſtructæ, quæreres continuò: Quo pacto, tanta ibi conſtructa eſt domus? Quis ipſius author? quis Dominus? et ſi diceretur tibi: Mons quidam caſu cecidit, & ex ejus ruina, tanta domus fabricata eſt; nemoq; ipſius eſt author, nemo dominus, inhabitator & gubernator nemo. Irrideres eum, qui hoc tibi perſuaderet; mirum enim domûs opificium, manifeſtè oſtendit, præclarum fuiſſe opificem, qui tanto ordine cuncta collocavit; ſimulq; conijceres, unum fuiſſe aliquem magnum Principem, cujus impenſis tanta moles conſtitit. Ita profectò, qui attentè conſideraverit mundi hujus opificium, hortum terræ, ſtagnum maris, cælos mirè ornatos, ſtellarum varietatem, pulchritudinem planetarum, motus eorum difformiter uniformes, manifeſtum eſſe dicet: Summum opificem hæc compoſuiſſe; nec enim caſu, tanta res effici potuit, ac ſummum eſſe, adeoq; horum omnium Authorem, Gubernatorem, Dominum. Ergo *Gloria in excelſis tibi Deo; laudamus te, benedicimus te, adoramus te, &c.* Siquidem ita innuit Pſalm: 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

FERIA IV.

Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiri: S. Hinc deducitur Deum eſſe Trinum.

1. JUbentur Gentes ad fontem baptiſmalem duci, eoq; cum addita verborum forma tingi. Ut in hoc fonte, veluti in ſpeculo, videant mirabilem ſtructuram hominis, & ex ea colligant Unitatem Dei, ſimulq; Trinitatem Perſonarum Divinarũ, prout colligebat Pſalmiſta 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Primò enim inſpice præclaram animæ tuæ effigiem, & ex ea colliges ſummum illius artificem. Nam ſi videres in manu pueri pulcherrimam imaginem, ſtatim interrogares: Cujus hæc imago eſt? quis eam pinxit? quis author ipſius? Si Puer diceret: mea eſt, ego illam pinxi. Statim diceres: Nequaquam; ſed eſt opus hoc, artificis præſtantiſſimi. Sic plenè mira animæ noſtræ

nostræ vis & stupendum ejus artificium, cælestem exprimit artificem. Sicut enim Anima nostra, cùm sit una quóàd substantiam, tres habet Potentias, Memoriam, Intellectùm, voluntatem, quarum una dependet ab alia; ita quamvis DEus habeat unam naturam seu essentiam, habet tamen tres Personas, Patrem, Filium, & Spiritum S., quorum unus procedit ac dimanat ab alio. Et sicut anima totum Corpus informat, animat, vivificat, in eoq; & cum eo, mirabiles operationes exercet, ita, ut sine illa, corpus nec videre, nec audire, nec moveri possit; ita DEus majestate suâ implet totum mundum, eumq; quóàd singula penetrat, omnibus influendo esse, operari, vivere, vegetari, sentire, intelligere. In hoc itaq; fonte, in hoc speculo relucet illa Dei imago, quam voluit exprimere dicens: (Gen: 1.) *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quantùm hæc Imago in me & in aliis honoranda!

2. Intuere adhuc in eodem baptismali fonte, adjunctaq; illi forma, Corpus humanum, ejusq; mirabilem fabricam, & ex ejus ordine ac opificio, colliges Deum esse unum ac trinum. *Galenus* inspecto corpore humano in partes inciso, ejusq; ordine considerato dixit: *Honorent alii Deum suis hecatombis,* (quod erat sacrificium centùm boum) *ego eum honorabo structurâ corporis humani.* Agnoscens hîc ejus infinitam Potentiam, Sapientiam, & Bonitatem. Potentiam quidem, quæ tale opus perfecit; Sapientiam quæ sic illud ordinavit; bonitatem quæ tam largè sese effudit. Sicut ergo corpus humanum, est quidem unũ quóàd naturam, tres tamen habet principales partes, in quibus tota ejus consistit essentia, nimirum caput cum cerebro, pectus cum corde, ventriculum cum reliquis artubus; ita Deus noster unus, quóàd essentiam, tres habet Personas; Patrem, Filium, & Spiritum S. Et ideo fortè dum signum Crucis imprimimus fronti, nominamus Patrem; dum ventriculo, nominamus Filium; dum pectori & humeris, Spiritum S. Quia Pater est prima Persona in Deo; Filius DEi est Incarnatus in utero Virginis; Spiritus S. tanquam substantialis Amor & nexus nectit Patrem cum Filio.

3. Ita hîc videtur Christus cum suis fidelibus procedere, atq; *Jacob Patriarcha* cum suis ovibus. Hîc enim posuit in fontibus vir-

gas decorticatas adeoq; varias, ut Oves ex eis bibentes, & varios, intuentes, colores, ad eorum similitudinem variegatos concíperent fœtus & progignerent. (*Gen: 30.*) Ita Christus in ipso regenerationis lavacro, posuit ante oculos fidelium, unam essentiam Divinitatis, hoc termino: *In nomine*, designatam, & tres Personas, Patris & Filii & Spiritûs S. vocabulis expressas, ita, ut neq; natura Divina ullam in se patiatur divisionem, sitq; una simplicissima Entitas; neq; Personæ Divinæ quà tales identitatem; sed sint diversæ ac distinctæ. *Pater* enim intellectione sûi generat *Verbum*, itemq; *Pater* & *Verbum* mutuâ sûi dilectione producunt Spiritum S. Et quamvis ego tantum mysterium haud capiam, tamen illud credo, adoro, laudo, benedico, glorifico. Insuper quóàd potero, curabo, ut umbrâ meâ, hanc effingam in me veritatem. Inprimis concipiendo in me frequentem Dei cognitionem, quæ imitetur verbum Divinum, & ardentissimum, erga Deum, amorem, qui correspondeat Spiritui Sancto. Deinde cõservando carnem obedientem Spiritui, & Spiritum dictaminibus Divinis; tum mutuam cum aliis concordiam & charitatem, acsi essem cum illis, unius cordis, judicii & voluntatis, circa res bonas & indifferentes.

FERIA V.

In Festo Sanctissimi Corporis Christi.

Caro mea verè est cibus.

1. Quod olim Dæmon primis Parentibus nostris mendaciter appromittebat, quòd essent in Deos evasuri, si de fructu vetito comedissent, (*Gen: 3.*) hoc modò Christus verè adimplet. Nam fructus ille non solùm Parentes nostros non fecit DEos, sed etiam illos de sublimi statu innocentiæ, & dignissima Filiorum amicorumq; Dei conditione deturbavit; quia fructus ille non erat cibus Divinus, imò habebat annexam prohibitionem Divinam. Unde cùm illum, Adam & Eva ita conditum gustârunt, mortem eamq; æternam, quâ imbutus erat, sumpserunt. Iam autem Eucharistia est cibus Divinus; quia continet Carnem Christi

Christi Deificatam; ut potè Personæ Verbi Divini hypostaticè realiter unitam; imò continet Sacramentaliter ipsum DEum: ac proinde hic cibus, nos sumentes, se, DEos quodammodo efficit. *Quale enim alimentum est, tale communiter & alitum.* Hæc igitur mensa, cùm sit mensa Deorum, de quibus aliàs dictum. (*Psal: 81.*) *Ego dixi: Dij vos estis.* Vide, qualem in te exigit dispositionem; quàm cælestem, quàm Divinam. Vide insuper qualem in te vitam, qualesvé mores deberet præstare; quàm conformes Deo. ùt Charitatem, mansuetudinem, Patientiam &c. Noluit Christus in hoc Sacramento permanere substantiam panis & vini, ut ipse, substantiâ Corporis & Sanguinis sui, quæ sola hic manet, nos satiaret. Nonnè hoc est amoris ejus verè Divini grande argumentum? Nonnè hic cibus, totum meum deberet exsatiare appetitum? Ah toties illo pascor, & ad cepas Ægypti, ad creata oblectamenta suspiro! ô pudor!

2. *Iob c. 31.* de se in Persona Christi, ait: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur?* Nimirum tàm dulcis erat *Iob* domesticis suis, tamq; amabilis, ut de eo dicerent: *Præ nimio amore, quo erga illum ferimur, libenter ejus corpore vesceremur.* Sed hoc, illis domesticis optare tantùm licuit, re ipsâ verò non gustaverunt unquam Carnem Iobi. Tibi verò anima mea, non solùm optare, sed etiam reipsâ vesci carne Filii Dei datum est. O si bene nôsses! qualis est Christus, quàm suavis, quàm benignus, quàm pulcher, quàm splendidus, hoc sæpè dicere deberes: *Quis det de carnibus ejus ut saturemur.* Vide magnum Dei erga te amorem. Ideo se sub speciebus panis & vini abdidit, ut tibi incorporaretur, & veluti alimentum in tuam transiret substantiam, & sic fieret unum quid tecum. Quàm ergo debet esse purum & immaculatum cor tuum! quàm ab omni re creata avulsum, & uni Deo adhærens! Verè *non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* (Deut: 4.) Hoc enim nos grandem nationem facit, quòd Deus intra nos sit, & habitet in nobis. Quàm meritò hic exclamandum: (*Iob 7.*) *Quid est homo, quia sic magnificas eum!* Et Psal: 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis?* & hoc in natura, non in Gratia; jam enim illum tractas veluti Angelum, dum das illi Angelorum escam. *Pa-*

nem Angelorum manducavit homo. Ps: 77.

3. Cùm Regina *Hester* vocâsset *Aman* ad suum convivium, tanti hoc ille fecit, ut convocatis ad se, amicis & consanguineis, gloriatus fuerit: (Esther 5.) *Regina Hester nullum alium vocavit ad convivium cum Rege, præter me.* Major gloria tua, o anima mea, cùm ad hoc cæleste convivium tu vocaris, ut panem cæli manduces. Profectò DEus immensum per hoc effundit in te amorem, & quicquid infinitus ille postulabat amor, hoc totum tibi præstitit, ita, ut nihil ei ampliùs restet faciendum ex parte doni dati; nihil enim ampliùs dari nobis potest à Deo. Et hoc respexit Spiritus Divinus in illis verbis, quæ *Iacob* locutus est ad *Esau* Gen: 27. *Frumento & vino stabilivi eum, & ultra hæc, fili mi, quid tibi faciam?* Quasi diceret: Nihil supereſt residuum, quod tibi dem; quando dedi frumentum & vinum, omnia dedi, quæ dare poteram, nihil mihi restat dandum. Verè enim, quando nobis Christus sub speciebus panis & vini, dedit corpus & sanguinem suum, nihil ei restat dandum; nihil ampliùs Divinus amor petere potest, quod nobis detur. Nulla apud Deum est melior esca, quàm ea, quæ nobis est concessa; juxta illud Zach: c: 9. *Quid est bonum ejus? aut quid pulchrum ejus? nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines.* Quasi diceret: Quid bonum aut quid pulchrum Deus habet? nisi frumentum, quod contulit Ecclesiæ & vinum quod ei dedit, ut Virgines pullulent in ea? Verè nobis in hoc Sacramento, omne bonum donavit; juxta illud Apostoli. (ad Rom: 8.) *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo, omnia nobis donavit.* Laudandus ergo pro hoc, benedicendus, adorandus, glorificandus.

FERIA VII.

Memoriam fecit mirabilium suorum: misericors & miserator Dominus. Escam dedit timentibus se. Ps: 110.

1. TRia sunt mirabilia Christi memorabilia. Quòd sit DEus Creator; quòd Salvator; quòd Glorificator noster. Horum omnium Eucharistia est Memoriale. Nam inprimis, mirabile-

bile est, Deum ex nihilo produxisse omnia, & quidem solo verbo; juxta illud Psalmi 32. *Ipse dixit & facta sunt.* Hujus rei mirabilis, Memoriale est Eucharistia; nam solo verbo, quod in nomine Domini profert Sacerdos, desinit esse substantia Panis & vini, & incipit esse corpus & sanguis Christi, ita, ut tota substantia Panis, in totam substantiam Corporis, & tota substantia vini, in totam substantiam, sanguinis Christi, convertatur. *Veni Creator Christe Eucharistice, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Veni Creator Deus Sacramentaliter absconditè, mentes tuorum visita, imple supernâ gratiâ, quæ tu creasti pectora. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* (Psal: 50.) *Ad nihilum redactus sum & nescivi.* Psal: 72. Et Ps: 68. *Infixus sum in limo profundi & non est substantia.* Ergo de isto nihilo produc novum hominem; de isto non esse transfer me ad esse Filiorum Dei. *Crea in me cælos novos & terram novam, quam inhabites.* Isaiæ 65.

2. Eucharistia est etiam memoriale Dei Salvatoris. Nam tunc Filius Dei ab Angelo vocatus fuit JESUS, (*Lucæ 1.*) jussusq; ita appellari, tum à MARIA Virgine Sanctissima, tum à Iosepho Sponso ipsius, quando *descendit de cælo, & Incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine.* Deinde tunc Angelis ad Pastores missis appellatus est Salvator, quando ligatus fuit fascijs, & reclinatus in vili præsepio, *Lucæ 2.* Tunc à parentibus vocatum est nomen ejus JESUS, quando fuit circumcisus, & in circumcisione, fudit pretiosum sanguinem. Tandem tunc à *Pilato Præside* appellatus est publico & authentico edicto, JESUS, quando pro salute nostra in Cruce fuit affixus, & totum pretiosum sanguinem de suo profudit corpore. Horum omnium Memoriale est hoc Sacramentum; quando scilicet ad verba à Sacerdote prolata, in altari induit species Sacramentales panis & vini; quando immensus ille circumscribitur ita, ut inter arcta hostiæ & pectoris nostri collocetur præsepia; quando separatim Corpus & separatim sanguis, per diversas species mysticè repræsentatur; quando nobis se percipientibus, copiosum gratiæ augmentum, & remissionem culparum etiam gravium confert. Quamvis enim hoc Sacramentum supponat Gratiam in suscipiente, nihilominus in attrito, existimato contrito, solet primam gratiam operari, eumq; à

pecca-

peccatis liberare. O *Memoriale mortis Domini, Panis vivus, vitam præstans homini. Præsta meæ menti de te vivere, & te illi semper dulce sapere. O JESU, esto mihi JESUS, & salva me.*

3. Sacramentum hoc, est quoq; memoria Dei ut Glorificatoris; prout canit Ecclesia: O *Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Cui enim donatur arbor, ei donantur & fructus ab illa arbore progeniti. Christus in hoc Sacramento latens, cum suis meritis, est arbor germinans vitam & gloriam æternam; juxta illud Proph: Isaiæ 4. *Et erit germen Domini in magnificentia & fructus terræ sublimis.* Nam intuitu Christi ejusq; meritorum, datur nobis visio Dei, in qua consistit vita æterna. In hoc ergo Sacramento datur pignus gloriæ æternæ, quod tanti valet, atq; ipsa gloria æterna. Immo & gloria Corporis nostri ex eo nobis promanat, dicente Christo Domino: (Ioan: 6.) *Qui manducat meam Carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Quasi diceret. Sumenti dignè Eucharistiam, dabitur gratia & gloria, non solùm in anima, sed etiam corpore. Virtute quippè Eucharistiæ acceptæ, resuscitabo corpus ejus & glorificabo. *JESU quem velatum nunc aspicio, oro, fiat illud, quod tam sitio, ut te revelatà cernens facie, visu sim beatus gloriæ:* S. Thom: Aquinas. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Ps: 41. Et Ps: 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

SABBATO

Parásti in conspectu meo mensam, adversùs eos, quì tribulant me. Ps: 22.

1. UT miles victoriâ potiatur, tria potissimùm sunt illi necessaria, Cibus quo se sustentet, Clypeus seu loricâ, quâ se ab ictu hostili protegat, & Gladius, quo hostem feriat & conficiat. Hoc totum, in mensa Eucharistica, Christus nobis providit, quorum *Vita est militia, Iob 7.* seu continua cum hostibus lucta. Atq; inprimis est hic ille *Panis, confirmans cor hominis (Ps: 103.)* est dulcissimum *manna*, nobis ad cælestem terram promissionis tendenti-

dentibus concessum, omnem saporem suavitatis in se continens. (Exod: 16.) *Hic est Panis qui de cælo descendit; non sicut manna, quod cùm manducarent Patres, mortui sunt: Qui autem manducat hunc Panē, vivet in æternum.* Ioan: 6. Hic est ille *Panis Propositionis,* (Exod: 25.) *Panis facierum,* qui non solùm faciem, sed etiam totam Christi carnem Divinissimam realiter continet. Hic datur *Panis* ille *subcinericius,* quo cùm *Elias* ab Angelo fuit confortatus, effugit crudelem, *Iezabel* se persequentis gladium, & *ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctibus, usq; ad montem Dei Horeb.* (3. Reg: 19.) Hic latet mel illud dulcissimum, quod cùm gustasset *Ionathas,* aperti sunt oculi ejus, & invaluit contra Philistæos, fuditq; illorum agmina (1. Reg: 14.) Hic prostat *Fons aquæ salientis in vitam æternam.* (Ioan: 4.) *Hic educitur de Petra mel, oleumq; de saxo durissimo.* Deut: 32. Hic de mandibula asini, elicitur torrens voluptatis, quo potatus *Samson,* mille hostes prostravit, & languidas refecit vires. *Iudic:* 5. Hæc est mensa Principis nostri, qui non potest dicere: *Nolite me facere Regem, in domo mea non est Panis;* (Isa: 3.) cui mensæ, non licet accumbere, nisi fortibus, & bella Domini præliantibus viris. Unde Cyprianus: *Cùm fideles timore persecutionum urgebantur, ad Eucharistiam accedebant, & in ea refecti animum resumebant, timoremq; pellebant, & alacriter ad Martyrium, veluti ad convivium ibant.*

2. Clypeum etiam nobis Christus in hoc Sacramento providit: Sponsus laudare volens eximiam Sponsæ fortitudinem ait: (Can: 4.) *Collum tuum sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis; Mille clypei pendent ex ea.* Collum, ut notat *Titelmanus,* significat invictum robur, nam omne robur boum & equorum consistit in collo. Propugnacula & omnium armorum Panoplia, sunt Scripturæ Divinæ, traditiones Apostolicæ, Decreta Conciliorum, Patrum testimonia & exempla, doctrinæ puritas & stabilitas. Deniq; mille clypei ex hac turri pendentes est Sanctissima Eucharistia. O turris fortissima! ô fortissimi, qui ex ea dependent, clypei! Pendet inprimis ipse Deus cum omnibus suis attributis. Pendet Christus, cum anima ejusq; potentiis, cum corpore ejusq; sensibus, cum sanguine ejusq; pretio, cum omnibus meritis vitæ, Passionis, mortisq; suæ Sanctissimæ. Scutum

inde appellatum, quod excutiat telorum ictus. Quæ tela vitiorum se oppugnantium non excutit anima, hoc scuto seu clypeo munita? Splendore clypeorum terrentur hostes. Vis nôsse; quantum terrorem iste clypeus ingerat hostibus? audi Chrysostomum: *Tanquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedamus facti Diabolo terribiles.* Cùm igitur iste clypeus totus sit aureus & lucidus, vide qualibus eum manibus, suscipere debes.

3. Reliquit tandem Christus in hoc Sacramento & Gladium. Ille gladius, quo *David* Philistæi, fundâ à se, prostrati amputavit caput, (*1. Reg 17.*) ad perpetuam facti memoriam servabatur in Sanctuario involutus post *Ephod*, quod erat ex lino albo, quem ita collaudabat David, ut diceret: quòd ei alter similis non inveniatur. (*1. Reg: 21.*) Triumphabat olim Dæmon de mundo, quia illum superabat, at quo gladio? Nisi carne humana. Hâc devicit universum mundum tempore diluvij *Omnis quippè caro corruperat viam suam*: (*Gen: 6.*) Hâc 5. Civitates; hâc omnem hominem, licèt Sanctum ùt *Davidem*, Sapientem ùt *Salomonem*, fortem ùt *Samsonem*, prosternebat. Venit Christus decertare cum dæmone; quo ergo gladio eum obtruncat? Certè gladio ipsius. Assumpsit carnem nostram, atq; in ea caput ejus contrivit & amputavit. In tanti ergo facti memoriam, caro hæc servatur perpetuò in Ecclesia, albis accidentibus panis involuta. Acre habes cum dæmone bellum ô anima mea; sed noli metuere, arripe hunc gladium; quia *non est illi alter similis.* Sume Carnem Christi; si enim *Panis subcinericius fuit gladius Gedeonis evertens Castra Madian,* (*Iud: 7.*) eaq, penitùs delens; multò magis *hic Panis, qui de cælo descendit,* (*Ioan.: 6.*) est gladius ad profligandum dæmonem ad vincendam omnem tentationem, acutissimus & aptissimus.

DOMINICA II.
POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Lucæ 14.

1. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, non *Prandium* appellatur sed *Cœna.* Tum quia illud Christus instituit, in ultima

ultima cæna; Tùm quia in extremo vitæ suæ vespere; Tum quia in fine seculorum; Tum quia Prandium fit mediâ die ad lucem solis, jam autem Cæna fit nocte ad lucernam. Ita circa hoc mysterium non est quærenda sensuum evidentia! Satìs debet esse nobis obscura cognitio fidei, quam scriptura assimilat *lucernæ, in caliginoso loco, lucenti*: (2. Pet: 1.) Siquidem hoc Sacramentum est cæna; ergo mihi ad quamlibet illius sumptionem ita esset accedendum acsi esset ultima! accendenda lucerna fidei, ut ad illam discernam, quid manducem? & cum quali reverentia ac devotione manducare debeam? Procurandæ, vivæ spei & charitatis lampades, ut cum illis obviam huic sponso prodeam, & deinde cum illo intrem ad illas nuptias, de quibus Scriptura ait: *(Apoc: 19) Beati qui ad Cænam nuptiarum Agni vocati sunt.*

2. Non qualiscunq; Cæna, vocatur hoc Sacramentum, sed *Cæna magna.* Inprimis ex parte ejus, qui illam instituit. Quia non *Assuerus*, multarum Provinciarum Dominus, *(Esther 1.)* sed ipse DEus, omnipotens cæli & terræ Rex ac Dominus. In omnibus quidem Dei beneficiis relucet Amor, in hoc tamen Sacramento, maxi mas ille ostendit sûi divitias. Nam hîc tantum donum Dei, æquat Amorem ipsius. Cùm enim Amor Dei sit infinitus simpliciter, non potest æquari, nisi per donum infinitum simpliciter. Cùm ergo omnia alia Dei beneficia sint creata, adeoq; finita & limitata; magnitudo Amoris Dei nunquam est perfectè per illa manifestata. Hoc autem donum infinitum est; nam est ipse Deus. Amor igitur Dei, quamvis per reliqua beneficia, seipsum non æquavit, per hoc tamen sibi ipsi satisfecit. Ad præstandum ergo hoc beneficium, fecit potentiam in brachio suo, & ita exhausit, ac exinanivit seipsum, ut majus quoad substantiam, miraculum facere non potuerit. Et tu, quid Dei causâ facis?

3. Nullibi DEus ita magnificè ostendit Omnipotentiam Deitatemq; suam, atq; in hoc Sacramento. Nam volens dæmon indagare Divinitatem Christi, dixit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Math: 4.* Noverat enim hujusmodi mutationes substantiales & subitas, esse propria solius Omnipotentiæ Divinæopera; ideoq; Christus id præstare renuit, ne se illi Deum esse ostenderet. Hinc in primo illo miraculo nuptiarum in *Cana Galileæ*,

squam in vinum repentè commutavit; quia tunc jam suam omnipotentiam ac Deitatem manifestare volebat. Ita quoq; in præsenti, siquidem vidit ex passione sua multos, circa fidem Divinitatis suæ, scandalum subituros, edidit hoc miraculum miraculorum, ut se omnipotentem esse demonstraret: & quod facilè se ab inimicorum manibus, si vellet, liberare posset, dum substantiam Panis & vini, in suam commutavit. *Quid est homo, quòd memor es ejus? aut cur apponis erga eum, cor tuum.* (Psal: 8.) *Laudent te opera tua;* quia hæc sola sufficiunt ad laudandum Te. Sed & ego laudo, benedico, adoro, glorifico te, prout possum. Da vires & facultatẽ Domine, ut ampliùs & ampliùs possim.

FERIA II.

Fecit Cænam Magnam.

1. CÆna Magna est Sacramentum Eucharistiæ; quia in illa, ipse Deus datur nobis in Cibum. Si in aliquo convivio darentur in cibum Aves valentes millionibus aliquot, aut margaritæ pretiosissimæ, ex iis quæ sunt in mundo, sicut *Antonio Cleopatra* dedit, nonnè illud convivium esset magnum. En in cæna nostra datur nobis in cibum *Deus* ille *Homo factus Christus* JESUS? qui unicus singularis est. *Singulariter sum ego donec transeam.* Ps:140. Qui est illa pretiosa margarita, quam ut prudens mercator, haberet, *vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* (Matt. 13.) O *Sacrum & grande convivium, in quo ipse Christus sumitur; Vitulus ille saginatus, quem Pater in reditu Filii prodigi occidi, & in suo sanguine coqui igne amoris iussit.* (Luc: 15.) Gallina illa suavissima, amoris pleno complexu, pullos suos congregans, ac recipiens sub alas. (*Matt: 23.*) Agnus immaculatus, tollens peccata mundi. Ioan: 1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* (Ps: 41.) *Agnus Dei miserere mei.*

2. Magnum olim Deus præbuit convivium Israéli, cùm illi dedit manna. Licèt enim unicum videretur ei ferculum proposuisse, in eo tamen dedit omnem cibum; quia omnium escarum saporem continebat. Et ideo Psal: 77. *Et pluit illis manna ad manducandum. Panem cæli dedit eis, Panem Angelorum manducavit homo;*

Cibaria

Cibaria misit eis in abundantia. Figura hæc fuit Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, in quo Christus est nobis omnis cibus; quia omnem continens saporem. Hic enim *omnia nobis est factus; Pater, Mater, Sponsus, Doctor medicus,* & tandem, *Dilectus meus mihi,* ut Sponsa ait. *(Can: 1.)* Quid verò illi sit, non exprimit; quia est ipsi universa; sicut & ipse est Bonum universale. Hinc etiam postquam Psalmista dixit: Psal: 67. *Paràsti in dulcedine tua Pauperi Deus.* non expressit quid paretur? ut innueret, Parata esse omnia. Si alicubi, certè hîc verè est ingeminandum: *Deus meus & omnia.*

3. Eodem cibo Mater nutrit Filios; sed grandioribus solidum præbet, quia dentes habent, quo illum comedant: At parvulis filiis eundem præstans cibum, diverso modo parat, scilicet, tenuiùs, quia dentibus carent. Ita DEus noster cibus est beatorum & viatorum; sed illis clarè proponitur secundùm suam substantiam, nobis parvulis sub speciebus panis & vini, donec occurramus *omnes in virum perfectum,* (*ad Eph: 4*) ut jam non simus parvuli. Antiquis olim Patribus dedit DEus imaginem sui, figuras virorum, umbras futurorum, sicut *Heliogabalus* Romanos Principes pictis recreabat eduliis, quibus refici non potuerunt. Nobis verò dedit veritates & cibos veros, unde ait: *(Ioan: 6.) Caro mea verè est cibus.* quasi dicat: Non umbra, non figura, sed ipsa rei veritas, jam verè est præsens. Sicut Deus, pro cibo vitæ suæ habet seipsum; sic homo, qui per participationem est Deus, debuit participare cibum Divinum. Atq; hoc præstitit, cùm Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit. DEus meus & omnia. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Ps: 72.

FERIA III.

Vocavit multos.

1. NOn exspectat Deus, ut homines ipsi ultrò se offerant ad servitium suum, & consequenter ad mercedem & præmium; sed ipse eos vocat Ita vocavit *Petrum & Andream;* ita *Matthæum & Zacheum &c* Ultrò & gratis offert sua beneficia; nam ejus Liberalitas omnem nostram transcendit curam. A longe

conspiciens redeuntem ad se Filium prodigum, obviam illi prodit, & prior in dulces ipsius ruit amplexus. *Prævenit nos in suis benedictionibus (Psal: 20.)* Et cùm adhuc nihil fuissemus; jam ille tanquam Pater paravit nobis innumera sua dona. Et ita verificatur illud Christi dictum: (Ioan: 6.) *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* Me quoq; tunc inter multos vocavit & traxit, quando mihi mentem ad arripiendum servitium suum injecit.

2. Si hanc Cænam, ad cælestem beatitudinem referamus, *vocavit multos*, quia *vult omnes homines salvos fieri*: (*1. Tim: 2.*) Et sicut *Assuerus* primò vocavit Principes ad suum convivium, deinde verò universum populum, qui inventus est in *Susan*; (*Esther: 1.*) ita DEus ab initio mundi, solos Angelos, qui sunt Principes, ad hãc Cænam admisit; sed postea universos homines ad hoc vocavit convivium, non tanquam ad Prandium, sed veluti ad Cænam. Sicut enim Cæna datur in fine laboris, cùm jam quiescendum est, cùm non restat labor, sed quies; ita in morte, justi vocantur in Requiem. Hinc Ioannes. (Apoc: 14.) *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Multos certè vocâsti Domine, quia neq; me preteriisti; alioquin si quis omittendus ac negligendus erat, ego primus eram; quia plurimùm id peccatis meis demerueram. Non est quidem conveniens, ut *Sanctum proijciatur canibus*, (*Matt: 7.*) sed gratias tibi infinitas, quia nec me canem mortuum despexisti, sed micas sub mensa Dominorum meorum colligere me permisisti, (*Matt: 15.*) dum me in Ecclesia & Religione tua, toties participem esse voluisti Sacramentorum tuorum.

3. Siquidem magnam Cænam fecit *Deus-homo* instituendo Eucharistiam, multos ad illam vocari expediebat; alioquin quorsum Cænæ magnitudo? si non esset convivantium multitudo. Non minus tamen unus, quàm multi, nec plus multi, quàm unus accipiunt, prout canit Ecclesia: *Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur.* Maxima profectò esset illa Cæna, in qua ita mille, & mille millibus hospitum satis esset cibi, atq; uni, & postquam omnes saturati essent, integer cibus perseveraret nec minueretur. An non magna illa Cæna & ille cibus, quem in millibus annorum, unum eundemq; numero, universa come-

comedit Ecclesia, & usq; in diem judicii comedet. Imò & diem judicii nam ait Dominus: (Ioan: 6.) *Non sicut manduc. Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc Panem, æternum.* Eodem quippe quoad substantiam vivet pane, Deo maximo, licèt aliter; hic per fidem, ibi per claram visionem. O Domine, si in uno mundi loco Eucharistiam instituisses; si te uni alterivè homini communicâsses; multùm certè pro hoc, natura humana debuisset tibi esse obstricta; quantò magis, dum in tot locis prostat hæc cæna, & tam multis tamq; copiosè tribuitur! *Magnus es Domine & laudabilis nimis;* (Psal: 47.) *& magnitudinis ac liberalitatis tuæ non est numerus.* Ps: 144.

FERIA IV.

Misit servum suum, horâ cænæ, dicere invitatis: Quia parata sunt omnia.

1. NOmine hujus servi designantur Apostoli & omnes Prædicatores, qui homines invitant ad cæleste convivium, & ad S. Eucharistiam suscipiendam. Ego quoq; sum unus ex illis. Nam me DEus eo fine vocavit ad Religionem, ut non solùm ipse interfim convivio cælesti, sed etiam alios quàm plurimos vocẽ, invitem, ac mecum adducam. Sed quomodo fungor officio meo? an dico omnibus invitatis? an mea culpâ non est aliquis prætermissus? an non meritò debebo meam accusare inertiam? *Væ mihi quia tacui! quia vir pollutis labiis ego sum. Isaiæ 6.* An pro eo, quòd debueram multos ad hanc cænam adducere, illos non retraxi, malis meis exemplis, & pravis moribus? an non incurri illam Christi comminationem: *Væ mundo à scandalis!* (Matt: 18) an DEus de manu mea non requiret *sanguinem alicujus*, eritq; *anima mea pro anima illius;* (*Ezech: 3.*) immo anima mea cum ejus anima peribit?

2. Antequam Christus in mundum venisset, non erant parata omnia; quia cæli janua erat clausa: & licèt aliqui cibi hominibus proponerentur, sed umbræ & figuræ erant verorum ciborum, non omnia parata erant. Nunc verò, postquam Christus venit.

venit. paratum est Corpus Christi, de quo ipse: (Ioan: 6.) *Caro mea verè est cibus*; parata æterna beatitudo, ac proinde meritò dicitur: *Parata sunt omnia*; nihil restat ex parte Dei. Sed ex parte mêi, quid paratum est? An Corpus tot peccatis fædatum? An anima tot maculis inquinata? An voluntas tot affectibus inordinatis depravata? Ubi est *vestis nuptialis*. (Mat: 22.) *ubi oleum in lampade*. (Matt: 25.) Ubi structura domûs ex auro, argento, & lapidibus pretiosis? Ubi annulus in manu? Ubi stola prima? ubi calcei in pedibus? Deus meus, qui propter me, parata habes omnia, effice quoq; me paratum ad omnia. Ecce veste nuptiali careo! ecce stolam primam perdidi! semilacer sum, annulo & calceamentis destitutus, dissipavi substantiam tuam! sum stipula, sum sarmentum, sum pabulum, igne inferni dignum. *Respice in me, & miserere mêi*. Psal: 24. Procidò ad pedes tuos: *Peccavi in cœlum & coram te, non sum dignus vocari Filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis, qui in domo tua abundant panibus*. Luc: 15.

3. Ad perniciem nostram quatuor convenerant. Nempe Vir inobediens, mulier superba, arbor interdicta, & cibus à Deo vetitus. (Gen: 1.) Sed huic malo, Sapientia Divina, opportuna providit remedia. Nam contra inobedientiam Adæ, oppositi Christum *obedientem usq; ad mortem ad Phil*: 2. Contra superbiam fœminæ, constituit fœminam humillimam MARIAM; (Luc: 1.) quæ dum in Matrem Dei eligitur, pro *Ancilla* se offert. Contra arborem paradisi interdictam, posuit lignum vitale Crucis Dominicæ. Deniq; contra mortiferum illum cibum, vivificum hoc Corporis Christi Sacramentum. Et sic per Christum, omnia parata habemus ad salutem.

FERIA V.

Cæperunt omnes simul excusare; Villam emi. Quinq; juga boum. Vxorem duxi &c.

1. SEmper malitia humana, è diametro pugnat cum Bonitate Dei. Ex parte hujus, omnia sunt parata, ex parte verò illius, omnium excusationes seu prætensiones refragantur. Bonitas

tas Divina, quantum est de se, omnes ad convivium cæleste admittit, omnibus pandit fores, omnes invitat, vocat, omnibus horam veniendi annuntiat, sed malitia humana, seipsam excludit, dum renuit venire, dum instinctus ac inspirationes Divinas respuit. *Perditio tua ex te Israël, tantummodò ex me auxilium.* Oseæ 13. Et quidem utcunq; esset tolerabile, si in plerisq; hæc malitia regnaret, sed omnes afficit; juxta illud Pauli Philipp: 2. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ IESU Christi.* Et Hierem: 8. *A minimo usq; ad maximum, omnes student avaritiæ.* Et Psal: 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Quia ut plurimùm homines æterna negligunt, temporalia sectantur, cælestia contemnunt, terrenis inhiant: *Lata & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; multi intrant per eam.* (Matt. 7.) O sim ego è numero paucorum; accommodem me Bonitati Dei.

2. Magna hîc stultitia hominum se excusantium notatur. Si homo vocaretur à Deo ad supplicium, ùt quondam Adam, vanùm esset illi fugere. Licèt enim velit fugere, tamen effugere haud posset. *Quò enim à facie tua fugiam?* (Ps: 138.) Sed cùm homo vocetur ad regale convivium, extremæ est dementiæ, velle se subducere. Deum iratum fugere, non adeo mirum est; sed Deum misericordem, innumera bona, præstantem, quis nisi amens aversetur? Agnosco hanc stultitiam meam, Deus meus; illamq; erubesco; meritò illi indignaris; sed à te irato, appello & fugio ad te placatum. Plusquam materna est Bonitas tua; non ergo aversetur me, aversantem se.

3. Nullus horum se excusat, re aliquâ prohibitâ, & quæ manifestè sit mala, ut homicidium, furtum, & similia; sed *ijs* se excusant, quæ, ex se, licita sunt, ut suis rebus attendere, rem familiarem administrare, matrimonium contrahere. Ut intelligamus, quòd non solùm ea, quæ sunt mala, & manifestè peccata, verùm etiam illa, quibus mundo indulgemus, licèt bona videantur, si eis parcè ac moderatè non utimur, nos à cælesti convivio impedire ac retrahere possint. Immo in his tantò majus est periculum, quantò hæc occultiora sunt, ut speciem boni præferentia. Non solùm ergo nobis vitanda sunt manifesta mala, sed etiam

ea, quæ primò aspectu videntur bona; & nobis interim creant periculum prolabendi in manifesta mala.

FERIA VI.

Villam emi, necesse habeo videre illam, emi quinq; juga boum &c. Vxorem duxi &c.

1. DUplex in primo excusante apparet stultitia. 1. Non dicit: Volo frui villâ; sed, necesse habeo, videre illam, unde ut solùm videat illam, cænam regiam detrectat. Similis factus *Tantalo*, qui aquas videt, sed non gustat. Sufficitnè famelico & sitibundo, si epulas & potū aspiciat? Vanitates mundi, visui deserviunt, sed nusquam satiant: & tamen quàm multos abstrahunt à Regno cælesti! e g. pulchritudo formæ, pompa vestium, & curruum, fulgor auri, oculos recreant, sed æternâ privant felicitate. 2. stultitia; quia priùs villam emit, quàm videret; cùm tamen priùs eam videre oporteret, quàm emeretur. Hoc designat stultitiam peccatoris, qui priùs res emit, quàm consideret. Ruit in oblectamenta mundi, non attendens, quid faciat? Si enim priùs, quàm peccatum committis, expenderes ejus mala & incommoda, nunquam illud admitteres. Priùs ergo rem vide, quàm emas: Sicut illa mulier sapiens feciſſe dicitur. *Prov: 31. Consideravit agrum & emit eum.* Ne te postea pæniteat. Proponūt tibi merces suas, mundus, caro, dæmon, interroga: quamdiu illæ durabunt? quantam tibi afferent utilitatem aut jucunditatem? & cùm audieris: durabunt uno momento, unò quadrante, recreabunt tuum oculum, tuū gustum, vel tactum. Rursus interroga: Quanti ergo venduntur? Cùmq; audieris: æternis suppliciis illas esse exsolvendas, relinque merces etiam quoad speciem pulchras, sed reverâ brevès, & viles, ac brutas; & tamen tam caro pretio æstimatas! dicasq; cum Philosopho: *Non emo tanti Pœnitere.*

2. Alter dixit. *Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa.* Hic excusans designat hominem solicitum de mundi negotiis, ijsq; nimiùm intentum & occupatum; qui non contentus uno jugo, quinq;

juga

juga emit. De qua re S. Bernard. Super illud: *Ecce nos reliquimus omnia*: *Unum offertur jugum Christi, homini, & gratis offertur, & portanti illud, magna promittitur retributio.* Stultus verò hoc jugo rejecto, juga quinq; subit, & juga boum, non juga hominum; & juga dura, non suavia; illa tamen emit, quod est extremæ dementiæ. Hinc Ioannes ait: (*Apoc: 14.*) Eos qui adoraverunt bestiam, nullam habere quietem. Illis verò, quos Christus ad se vocat, dicitur: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, tollite jugum meum super vos.* (Mat: 11.) *Quinq; juga emi, dicit*: Quia ut homo quinq; sensibus deserviat, eorumq; commoditatibus satisfaciat, mirè angitur. Iuga boum, dicit: Quia cùm sensus sint nobis cum brutis communes, efficiunt homines similes pecudibus, qui talia juga portant. Emere verò illa & quidem carissimo pretio dicitur: Quia ut vanæ & momentaneæ inserviat voluptati, amittit Deum ejusq; gratiam, vitamq; æternam.

3. Tertius tandem dixit: *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.* Ubi designatur homo deserviens carnali concupiscentiæ, quæ illum inficit, & ad plurima peccata pertrahit, atq; sic ab æterna excludit beatitudine. Sicut enim aqua procedens à fonte vitiato, ac venenis infecto, mortifera est; & bibentibus affert interitum; ita caro nostra, quam ab Adamo per propagationẽ, participamus naturalem, vitiata est, & nos in varia peccata pertrahit. Sed quod erit ejus antidotum? Sicut ex eadem vipera, quæ hominem veneno inficit, antidotum conficitur; ita nobis à Deo conceditur caro Christi; qui ex Adamo descendit, qui est *Serpens* ille *Æneus*, morsos à vipera sanans, & carnem infectam præservans, atq; à morte liberans (*Num: 21.*) Carne ergo Christi, in Eucharistiæ Sacramento, susceptâ, vitia carnis superantur. Sicut enim cibus corporeus trahit hominem in suam nativam conditionem, sibiq; assimilat; hinc cibus grossior vel delicatior, diversa efficit hominum ingenia; ita hic Divinus cibus, homines efficit Divinos, & nostram carnem immutat. Quando tandem, ô Divinum Epulum, me mutabis in te, ut gloriari possim: *ad Gal: 2. Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus?* Quando desinam esse Filius prodigus, cui siliquæ porcorum magis sapiunt, (*Luc: 15.*) quàm hic *Panis Filiorum, non mittendus Canibus & porcis?*

SABBATO

Pauperes, & debiles, cæcos & claudos introduc huc. Nemo virorum illorum gustabit &c.

1. SIquidem invitati frivolas attulerunt causas, quibus se à regia cæna excusârunt; potiùs enim debuissent omnia postponere tanto Regis favori; meritò irascitur illis, & ab ingratis tollens beneficia, transfert illa ad Gratos. Vocaverat nimirum DEus & invitaverat Iudæos ad Fidem Christianam & ad lumen veritatis Evangelicæ, quæ utiq; dici potest, cæna; quia in fine seculorum est instituta: Sed illi venire neglexerunt; imò veritatem hanc contempserunt; & vanissima mundi negotia ac temporales curas pluris fecerunt, prout hucusq; faciunt. Ergo Deus iratus, ab illis postpositis, transtulit hoc beneficium ad Gentes; quæ utiq; in re & in opinione Iudæorum erant præ illis, Pauperes debiles, cæci, claudi. Quod certè Christus fuit illi nationi comminatus dicens: (Mat: 23.) *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Et pro hoc, Patri gratias agens dicit: (Mat: 11.) *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelàsti ea parvulis.* Hoc idem expressit Lucas, dicēs: (Acto. 13.) *Vobis quidem primùm oportebat prædicari Regnum Dei, sed quia illud repellitis, ecce convertimur ad Gentes.* Vide ergo quàm gratus esse debeas beneficiorum Dei, quàm reverenter illa acceptare, ejsq; uti; ne Deus in locum tûi, eligat sibi alios, gratos utiq; ei futuros.

2. Ostendit his verbis Christus, quales esse oporteat, qui sumunt Eucharistiam. Pauperes Spiritu, qui transitorias hujus mundi opes despiciant, qui humiliter & abjectè de se sentiant. Debiles, qui licèt agnoscant fragilitatem suam & pronitatem ad peccandum, eo tamen fine accipiunt Eucharistiam, ut ab illa contra omnes tentationes & insultus diaboli, robur accipiant. Cæcos, ut quamvis mysterium hoc non videant, firmiter tamen credant, *captivando intellectum in obsequium fidei*, & parendo Christi monito. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Cæcos, qui terrena

nesciant

nesciant contra Deum, ita ut respectu ejus, quòd voluntati Dei adversari possit, cæci reddantur. Claudos, qui sint rectæ rationis vinculo compediti. *Affectus* enim & passiones dicuntur *Pedes animæ* Dum ergo respectu oblectationum carnalium, compede temperantiæ & continentiæ ligantur, jam claudi sunt, & cæteris paribus, ad hanc cænam venire parati. *Benedic anima mea Domino & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima Domino & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum. Renovabitur ut aquilæ iuventus tua.* Ps:102. Quidni renovetur, cùm sumas eum, qui se in Eucharistia clausit, geritq; non vivo connaturaliter modo, cùm ibi oculis corporis non videat, pedibus non incedat, manibus non operetur; sit instar Pauperis, vilissimis tegumentis, hoc est, accidentibus Panis & vini opertus. *Exinanivit semetipsum,* non jam servi, sed *Panis formam exteriorem accipiens. ad Phil: 2.* Quidni & ego fiam ei similis, Pauper Spiritu, humiliter de me sentiens, refrænans sensus &c.

3, Quamvis Paterfamilias hoc illis ingratis pro pæna designet, quod ipsi ultrò elegerunt; ut ostendat, Deum à prava nostra voluntate determinari ad decernendam ac irrogandam nobis pænam, tamen nullam eis graviorem pænam minari poterat, quàm tanto eos bono privare. Sicut enim summam eis misericordiam Christus exhibet, quibus Sacramenta frequenter concedit; ita summam in eos iram & vindictam exercet, quibus id non præstat. An non ingens tibi beneficium fieret, si quotidie ad mensam Regis invitareris. Interroga *Aman,* qui summè de hac re gloriatur, quod ad convivium Reginæ invitatus sit. *Esther 1.* Tãquam maximam gratiam Filiis *Berzellai* reddendam putabat *David,* cùm ait Salomoni (3. Reg: 2.) *Filiis Berzellai reddes gratiam, eruntq; comedentes in mensa tua; occurrerunt enim mihi, quando fugiebam a facie fratris tui.* Ita cui Deus maximam gratiam præstare vult, Eucharistiam frequentare concedit; de eo verò, cui est iratus, ait: (Luc: 14.) *Nemo virorum illorum gustabit cænam meam.* Agnosco vilitatem & indignitatem meam, Deus meus Gratias tibi ago maximas, *quia respexisti super canem mortuum* similem mêi. *Ne ergo*

projicias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne auferas à me. (Psal: 50.) *Magnificat anima &c. Quia fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum nomen ejus.* Lucæ 1.

DOMINICA III.
POST PENTECOSTEN.

Erant appropinquantes ad JESVM, Publicani & Peccatores, ut audirent eum.

1. ARca illa testamenti, in qua Deus tanquam in umbra habitabat, tantæ majestatis erat, ut solus summus Sacerdos, idq; semel in anno, ad illam appropinquaret, eãq; videret. Et cùm Isrâél vellet transire Iordanem Arcâ præcedente, jussi sunt ab illa abesse spatio duorum millium cubitorùm, & cavere ne ad illam appropinquarent. Et ideo 70. Principes & 50. millia de populo *Betsames* occisa sunt, quia voluerunt arcæ appropinquare, eamq; videre. *1. Reg: 6.* Similiter cùm Deus legem laturus, descenderet in montem *Sina*, proclamatum est: (Exod: 19) *Cavete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur.* Soli ergo beati Spiritus tunc appropinquabant Deo, & cum eo familiariter versabantur. Sed nunc *apparuit benignitas & Humanitas Salvatoris nostri Dei.* ad Tit: 3. Iam non solum cælum, sed etiam terra plena est misericordiâ ejus. Iam non recedere, sed accedere jubemur: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos. Matt: 4. Et Iacob. 4.* dicitur: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis* Ergo benedicta sit hæc tanta Dei nostri clementia. Quidni ad illam cum fiducia & reverentia accedam?

2. *Quid mirum (ait Chrysostomus) quòd ad Deum accedant peccatores, cùm in eo inveniant, quidquid volunt. Si mortui sunt, ille vita est; si errantes, ipse via; si lassi, ipse requies; si cæci, ipse lux.* Sicut ergo, quondam ad *David convenerunt omnes, qui erant amaro animo, & in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & ipse eos recepit, factus eorum Princeps;* (1. Reg: 22.) Sic nunc ad Christum peccatores accedunt.

Accedite

Accedite ad eum (clamat Psaltes, Ps: 33.) *& illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Accede & tu anima mea; amaro animo es, ob admissa multa delicta? en tuus consolator; Undiq; te angustiæ premunt? En ultimum & tutum refugium tuum: Multis debitis gravata es? en persolutor & relaxator omnium debitorum. Continuò erras, falleris, ægrotas? En præsentem habes, qui de se testatur: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ioan: 14.

3. Si ex aliquo fonte manaret aurum, argentum, lapides pretiosi, vinum, oleum, triticum, & universa ad vitam necessaria; magni fons ille æstimaretur, & nemo est, qui ad illum detrectaret accedere. En saluberrimus fons Christus, à quo promanat non aurum aut argentum, aut ea, quæ caduca sunt & nihili pendenda, sed gratia, remissio peccatorum, dona, virtutes, universa deniq; bona, de quo fonte ait Psal: 35. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Et Psalm: 41. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Talem olim fontem promittebat Zachar. c. 13. *Erit fons patens domus David in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Et Isa: c. 12. *Hauretis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Intuere ô anima mea, simplices rudesq; homines ad hunc fontem accedentes, cum quo illi fervore ad Deum orent, cum quanta devotione Sacræ assistant mensæ, quos non ducant gemitus, quàm immoti persistant, & quasi luctentur cum Deo in oratione; quàm severa jejunia Communioni Sacræ præmittant; quàm exactè præscriptas ab Ecclesia observent abstinentias. Quid tu simile facis? quantopere tuæ orationes frigent? Dum veniam peccatorum postulas, dum gratiam Dei mendicas, ita te geris tanquam cum vili homine ageres; ut non orare, sed illudere Deo videaris; O pudor!

FERIA II.

Murmurabant Scribæ: Hic Peccatores recipit, & manducat cum illis.

1. MIra Dei misericordia, ut eum recipiat, qui ab omnibus reijcitur, quia in Deum peccavit; & qui ultor esse debuerat,

buerat, factus est illi in refugium. Omnis Creatura in peccatorem armatur & sævit. Unde Sapiens c: 16. *Omnis Creatura tibi Creatori deserviens, excandescit in tormentum contra injustos.* Manifestâ id experientiâ videre licet. Nam estò Deus uniuersas Creaturas condiderit in obsequium hominis, postquam tamen is peccavit, adversæ & inimicæ sunt illi factæ. Sol ipsum lædit, âer perdit, fera animalia disrumpunt, ignis comburit; ipsamet Caro rebellat Spiritui, ita, ut homo factus sit tormentum sibi ipsi: *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi gravis. Iob: 7.* Ipsi quoq; Angeli custodiunt viam paradisi, ne homo eo potiatur. Quid ergo facies miser peccator? ad quem confugies? cùm omnis Creatura tibi adversetur. Nullus est, qui te recipiat, nisi JESUS, ipse Creaturas compescit, ne te interimant. *Misericordiæ Domini, quia non es consumptus* (Thr: 3.) *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Psal: 17.

2. Si proditor quispiam Filium Regis interficeret, ideoq; illum, quæreret universum Regnum ad supplicium; nec ullum latendi locum inveniret, nisi in domo Regis, cujus Filium occidit, qui eum in secretiori suæ domûs cubiculo absconderet, an non ingens hæc misericordia esset? Attende nunc Dei tui in te misericordiam. Tu in eum peccâsti, tu filium ejus rursum crucifixisti; unde omnis Creatura armatur contra te, ipse verò te abscondit & liberat; ut ait Psal: 30. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.* Ita se Deus gessit cum *Cain*, dicente: *Omnis, qui invenerit me, occidet me;* in Deo remedium invenit, qui posuit signum in *Cain*, ne interficeretur. *Gen: 4.* Et *Jonas* profugus, in Deo refugium invenit, cùm ab eo fugeret. Summa hæc Dei clementia est, de qua Augustinus: *Ego te offendebam, & tu me defendebas.*

3. S. Augustinus illud Psalmi 103. *Petra refugium herinacii legit, Petra refugium herinaciis & leporibus.* Peccator herinaceus est, spinis peccatorum plenus, est lepus timidus; mala enim conscientia semper est timida, omniaq; sæva credit futura. Si tonitru fiat, si hostis ingruat, si pestis grassari incipiat, si domus minetur ruinam, & similia, timet. Quod ergo refugium erit his herinaceis?

naceis? his leporibus? *Petra, Christus.* Et ideo latus ejus, manus & pedes, fossa sunt, ut januas inveniamus, per quas introire possimus, ut abscondamur ab ira Dei. Si enim ibi abscondi noveris, tutus eris; magis enim à Deo diligeris propter Christum, quàm sis odio habitus propter te. Licèt enim peccata contra te clament, magis tamen Christus pro te clamat; & licèt tu Patri ingratus sis, tamen ille est gratissimus; & ipse sic ad Patrem pro te loquitur: Pater mi, Hic & ego, unum sumus. Vel ergo me cum illo, odio habe, vel illum mecum dilige. Quid faciat Pater, qui non potest Filium odisse? nisi debet nos diligere propter illum. Et ideo Christus id ad peccatorem ait, quod olim *David* ad *Abiatar* fugientem & pavidum: (1. Reg: 22.) *Mane mecum, ne timeas, si quis quæsierit animam meam, quæret & tuam, mecumq; servaberis. O bone JESU intra vulnera tua me absconde; non permittas me separari à te.*

FERIA III.

Dimittit nonaginta novem Oves, & vadit ad illam, quæ perierat, donec &c.

1. QUis non miretur immensam Dei Sapientissimi bonitatem? Duo servi ejus in fugam se conjecerunt, Angelus & Homo; ille summi pretii, nobilissimus inter omnes Creaturas, plenus Sapientiâ & decore, *omnis lapis pretiosus operimentum ejus.* (*Ezech: 28.*) hic longè inferior, ex limo formatus, colonus terræ, operarius Paradisi. Non quærit Angelum Deus, quærit hominem; prout miratur Apostolus: (ad Hebr: 2.) *Non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et non solùm per unionem hypostaticam in Incarnatione illum quærit, sed etiam longè antè, per solicitam in Paradiso interrogationem: *Adam ubi es? Gen: 3.* Ego te in sublimi innocentiæ statu collocaveram, & tu pravâ libertate inde teipsum dejecisti. Ego te perpetuò in oculis ferebam, & tu à facie mea fugisti. Ego te tanquam domesticum, secretorum meorum conscium feceram, & tu à latere meo te elongâsti. Ego te ad tantam evexeram dignitatem, ut *omnia subjecerim pedibus tuis, & constituerim te super omnia opera mea,* (*Psal: 8.*) & tu de-

turbâsti te de tam sublimi Gloriæ statu. Ubi es? Fugiebat & *Ionas* à facie Dei, ejusq; voluntati refragans, ultra mare volebat se à Deo elongare, sed in mari assecutus est illum Deus, atq; per cetum comprehendit, in ejus fauces tanquam in vincula, in ventrem bestiæ tanquam in carcerē conjecit, donec resipisceret, ac læsum Dominum fuisset deprecatus, tunc eum inde liberum dimisit. Fugiebat & *Saulus* à Deo, sed quæsivit illum, ac in via deprehensum, ex equo dejecit, excæcavit; (*Acto: 9.*) Hinc ipse ad Philip: 3. ait: *Comprehensus sum à Christo JESU.* Etiamnum singulos homines quærit, dum inspirationibus internis, aliisq; auxiliis ad conversionem commovet; dum animas, ex fædis bestiarum lustris, hoc est, ex peccatis, illorumq; occasionibus, ad pulcherrima virtutum cubilia, coronasq; æternas evocat dicens: *Veni de Libano Sponsa mea; Coronaberis.* Can: 4.

2. Quia infinitam Dei majestatem, & abjectissimam nostram vilitatem non agnoscimus, ideo non obstupescimus, dum videmus; quòd Deus tanto studio quærat animam, & nullum non moveat lapidem, ut eam ad se trahat. Si Potentissimus & Sapientissimus Rex per 10. vel 20. annos, abjectissimam insequeretur puellam, eamq; multis adinventionibus pertrahere curaret ad sui dilectionem, mirum id valde nobis esset! Quodsi ille non mulierem, sed rem aliam viliorem, e. g. formicam, per 30. annos insequeretur, eiq; benefaceret, ut eam in sui dilectionem inclinaret, id magis esset mirandum ac stupendum! Sed omnem proportionem ac similitudinem excedit, quòd Deus quærat vilem & contemptibilem animam, & per plures annos, eam insequatur, ac in sui dilectionem, blanditiis beneficiisq; conetur trahere. Mundus hic, minus quid est coram Deo, quàm formica coram Rege. Unde Isaias c. 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Quodsi omnes gentes nihil sunt coram eo, quid obsecro erit vilis animula? Nonnè hic exclamandum cum Iobo c. 7. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?*

3. Mirabiliora sunt opera DEi, quæ spectant ad misericordiam, quàm quæ ad justitiam. Sicut magis mirandum, quòd Rex formicam depereat ac insequatur, quàm quòd eam occidat. Dum

Deus

Deus perdit ac damnat plures homines, nihil ampliùs facit, quàm quod tu facis, dum formicam conculcas; ideo id minùs est mirandum! Sed hoc excedit omnem humanam fidem & intellectum, quòd cùm homo recedit à Deo, ejusq; amicitiam detrectat, ac in eum peccat, nihilominus Deus eum quærit, eum rogat, & ad januam cordis illius stat & pulsat. Si tu vili alicui homini, terga verteres, & in conspectu ejus indigna quæq; ad ipsius despectum ageres, nunquid ille te quæreret, nonnè tibi irasceretur? Non sic Deus! quando tu peccas, tergum ei vertis, eumq; contemnis. At ille sequitur te, clamat post tergum tuum, rogat ne se deseras. Hoc Dei ingenium noverat probè *David*, ideoq; dicit: (Ps: 118.) *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum Domine.* Quærit quidem anima Deum, sed priùs quæritur à Deo; nam nisi quæratur, non quæret, nisi reducatur, non revertetur; nisi præveniatur, non veniet. Sicut enim ovis perdita, longeq; à grege aberrans, non potest redire, nisi à Pastore quæratur; sic homo perditus, reverti nequit, nisi à Deo reducatur: *Erravi sicut ovis quæ periit, quare servum tuum Domine.* Ps: 118.

FERIA IV.

Cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.

1. Sicut per vestigia ovis deperditæ solet Pastor ovem quærere; ita Christus hominem quæsivit. Sed quænam sunt vestigia hominis peccatoris & à Deo aberrantis? Certè vestigia illius fuerunt innumeræ pœnæ, in quas per peccatum incidit. Per hæc vestigia venit Christus; & ideo Pauper natus est, & in laboribus educatus à juventute, fame & siti fatigatus, persecutionibus agitatus. Sed ô Divine Pastor, plus tibi perambulandum est, ut perditam invenias ovem! ulteriùs enim illa processit. Procedit bonus Pastor in hortum, ubi sanguinem sudat. Procedit in domum Annæ, Caiphæ, Herodis, Pilati, ubi innumera patitur tormenta; nondum ovis est inventa; vestigia quidem illius hæc sunt, sed ulteriùs illa progressa est. In macellum ducta erat ovis, ut (*Psal: 43.*) ait: *Æstimati sumus sicut oves occisionis.* Sententia mortis lata erat in ovem; & nunc sententi-

am vult subire Pastor, ut ovis vivat. In mortem venerat ovis; in mortem usq; Pastor venit, & ibi errantem invenit ovem. Invenit eam *in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.* Deut: 32. hæc sunt Epitheta mortis. *Quærens me sedisti lassus, Redemisti Crucem passus, tantus labor non sit cassus. O JESU mors tua sit vita mea.*

2. Quid fecit Pastor noster, postquam ovem perditam invenit? Fortè illam ex indignatione, baculo percussit? fortè pedibus conculcatam cum luto miscuit? Fortè arctis loris constrictam ante se, ut iret, pepulit? Minimè verò. Aliena sunt hæc omnia à mitissimo Pastoris nostri ingenio. *Imposuit illam super humeros suos,* & sic lassatam, ipse magis lassus portavit. Sed attende Domine, quantum sit onus, quod super te tollis! Audi sapientem *Eccles:* 22. *Super plumbum quid gravabitur? & quod illi aliud nomen quàm fatuus? Arenam & salem & massam ferri, facilius est ferre, quàm hominem imprudentem & fatuum.* Nam difficile dictu est, quanta Deus sustineat, nos tolerando, quot negligentias, quot peccata, quis enumeret? Audi ipsum per *Isaiam* loquentem *c. 46. Audite me Domus Iacob, qui portamini à meo utero. Usq; ad senectam ego ipse & usq; ad Canos ego portabo. Ego feci, ego feram, ego feram & salvabo.* Ubi Deus ostendit se gravatum pondere peccatorum, quasi Matrem fætu. Et per *Oseam. c. 11. Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos, in brachiis meis, & nescierunt, quòd curarem eos.* Mira Dei dignatio! ut eos portet, quos nullus portare valet, sed omnes derelinquunt, quasi importabile onus. Benedicta sit in æternũ, hæc Dei mei longanimitas & clementia, quæ me hucusq; toleravit, & sicut onus grave sustinuit. *Fecit potentiam in brachio suo:* Lucæ 1.

3. Summa hinc nobis generatur fiducia, ut nihil timeamus, si in humeris Christi deportamur. Pavet Israél, dum videt ante se mare, & instantes post tergum Ægyptios. Sed eum roborat *Moyses* dicens *(Exo: 14.) Vos tacebitis, Dominus autem pugnabit pro vobis. qui extendit alas suas, & assumpsit eum, atq; portavit in humeris suis.* Ita peccator solet terreri ac dicere: Quomodo potero justificari & salvari? Video post tergum innumera, quæ perpetravi facinora: Video ante me, innumeras vitæ Dei difficultates: quomodo possum sectari justitiam? cùm tot occasiones peccandi obsistant,

tot

tot in me pravi habitus regnent! Sed hæc si dicens desperas, non agnoscis bonitatem Pastoris tui, & injuriam ei facis. An opus hoc tuum est, & non potiùs Christi? Christus pro te pugnat, ipse te in suis defert humeris, quid paves? ille te assecurat dicens: (Ioan: 10.) *Nemo illas rapiet de manu mea.* Quis igitur leo, aut quis lupus, te rapiet de humeris Christi? Omnia tibi levia erunt ac facilia, Christo supponente tibi suos humeros, manusq; auxiliatrices porrigente. Unde Ps: 61. *Quousq; irruitis in hominem, tanquam parieti inclinato, & materiæ depulsæ. Ita Deus, salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius.* Et Ps: 60. *Non accedet ad te malum. quia altissimum posuisti refugium tuum;* cùm in Christo, qui Petra est, posuisti nidum tuum. Securus esse poteris in humeris Pastoris tui, noli pavere, noli trepidare. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Ps: 17.

FERIA V.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem quam perdideram.

1. MIra ac ineffabilis elucet hîc Dei mei Bonitàs. Ego deberem convocare omnes Creaturas ad gratulandum mihi, quia estò perieram, tamen inventus sum; estò mortuus eram, tamen vitam recuperavi. Ecce verò Deus jubet sibi congratulationem institui, quasi me invento, grande lucrum sibi comparaverit. O Domine, unde tibi tantum de me invento gaudium? Utiq; tu non solùm pecore, vel aliâ quâlibet re corruptibili & terrenâ, sed ne ipsâ quidem justitiâ hominis eges? totumq; hoc, quod rectè colaris ab homine, non tibi sed homini prodest; & tamen me quæris tamdiu, donec me invenias, atq; de me invento tantoperè gaudes? Non aliam hujus invenio causam, nisi infinitam Bonitatem tuam, quæ me amat, meiq; miseretur, juxta illud (Ierem: 31.) *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans tui.* Siquidem ergo Domine vis tibi à creaturis de invento me, gratulationem institui, ego primus ad illam con-

curro, & firmiter propono ac sanctè promitto, quia nolo unquã me elongare à te; nolo me tibi per ullum peccatum subtrahere, ne te, tanto lucro, & gaudio privem. *Non permittas ergo me separari à te.*

2. Quòd ovi perditæ quidem sed inventæ congratulandum esset, manifestum est; siquidem illa eruta est de potestate tenebrarum, liberata de faucibus luporum, à morte vindicata: nihilominus Christus non illi, sed sibi asserit esse congratulandum. Quia nimirum Christus est *Caput Ecclesiæ*, nos autem membra ipsius. Sicut ergo quando malè agitur de reliquis membris, caput illis condolet; quando verò illorum sanitas bene prosperatur, caput illis congaudet; ita Christus adeò nos cordi habet, ut negotia nostra, sua reputet; nostras necessitates & afflictiones pro suis censeat; bonum commodumq; nostrum, suum esse asserat: ac proinde potiùs sibi congratulandum esse dicat, quàm nobis. Audivit hanc gratulationem S. Ioannes in Apocal: c. 19. *Audivi quasi vocem turbæ magnæ dicentium. Alleluja. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni & uxor ejus præparavit se.* Et tu anima mea esnè præparata ad istas nuptias? dasnè materiam gaudii Sanctis Angelis.

3. Mira hominis dignitas, quem Deus in tanto habet pretio, ut propter eum inventum, jubeat sibi publicos à cæleſti curia plausus institui. Expressit hanc dignitatem hominis ac dignationem Dei, Propheta Isaias dicens: cap: 9. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores captà prædà, quando dividunt spolia.* Sicut enim messores lætantes gratulantur Patrisamilias copiosam frugum messem; aut sicut cives congratulantur suo Regi, cùm potentissimum debellavit hostem, & validam cepit munitionem; tunc enim celebris agitur dies ob partam victoriam; ita in conversione peccatoris, festus agitur dies, & Christo congratulantur cives cælestes. Didicit S. Paulus ab hoc Christi gaudio, simile quid usurpare dicens: *Itaq; Fratres mei Charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & Corona mea. ad Phil: 4.* En victorem de capta præda exultantem! En Patremfamilias, serto conversorum fidelium redimitum! O anima mea opta Christo ex te & aliis talem lætitiam; sis ipsius Corona.

FE-

FERIA VI.

Gaudium est in cælo super uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm super 99. Iustis.

1. LOquitur hîc Christus, non de justis simpliciter & verè, sed de justis fictis & putatiis, scilicet de Pharisæis, qui cùm revera essent injusti, videbantur tamen sibi esse justi, de quibus Paulus (Rom: 1.) *Volentes justitiam suam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Atq; ita evidens est, plus esse in cælo gaudii de uno justo verè, quàm de multis simulatè justis. Quis enim mercator non plus gaudeat, de uno vero aureo, quam de multis falsificatis? Quis agricola non plus lætetur de uno agro pleno, verâ segete ac tritico? quam de multis plenis, tribulis & zizaniis? Quis vinitor non plus gaudii percipiat de una vite veros proferente racemos, quàm de multis, sed fucato colore duntaxat oculos pascentibus? Hinc (Sap: 4.) *Multigena impiorum multitudo non erit utilis; nec delectatur Deus in multitudine filiorum infidelium.* Et Is: c. 9. *Multiplicàsti gentem, & non magnificàsti lætitiam.* Noli ergo tibi blandiri, de multitudine bonorum operum à te gestorum; Quid enim forsitan illa fuerunt, nisi nummi falsarii? nisi zizania & tribuli? nisi fucus & impostura? Plus fortè valet coram Deo, unius latronis confessio cum intimo sensu doloris facta, quàm tua multa bona quóàd speciem opera.

2. Possunt etiam hæc verba intelligi de Iustis quidem sed tepidis, & remissè Deo servientibus. Audi *S. Gregorium homil: 34. in Evan: Plerumq; hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, sed tamen ad cælestem patriam non anhelant: tantòq; sibi in rebus licitis usum præbent, quantò se nulla illicita perpetràsse meminerunt, & plerumq; pigri permanent ad exercenda bona præcipuæ, quia valde securi sunt, quòd nulla admiserint mala graviora. At contra ij, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt in amorem Dei, seseq; in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, ad cælestem patriam anhelant; & quia se erràsse à Deo considerant, damna præcedentia,*

lucris

lucris sequentibus pensant. Majus ergo de Peccatore sic converso, quàm de stante justo, sit in cælo gaudium; quia & Dux in prælio, plus cum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Sic agricola illam ampliùs terram amat, quæ post spinas, fruges uberes profert, quàm eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem produxit. Hæc S. Gregorius. Cùm ergo unus actus intensus, plus coram Deo valeat, quàm mille remissi; magno mihi studio incumbendum est, in exercitium internorum actuum, quibus compensem præteritam tepiditatem.

3. Ideo majus gaudium de uno Peccatore converso censetur esse, quàm de multis justis; quia de his non est nova ratio gaudendi, est verò de peccatore, qui redit ad gratiam. Habet Pater complures filios, unus ex illis graviter ægrotat, ac de vita periclitatur; alii autem sunt sani; convalescat ille, plus gaudet Pater de recuperata Filii salute jam alioquin desperata, quàm de salute aliorum Filiorum, qui non fuerant infirmati. Similiter si Pater habeat plures filios, quorum unus mutus sit; Si fortè hic recipiat usum facultatemq; loquendi, plus de eo lætatur Pater, quàm de aliorum loquela, propter novam rationem gaudendi. Ita, cùm Justi sint bene valentes in anima, Peccator autem pessimè habeat, imò sit mortuus: cùm omnia opera Domini, loquantur laudes Dei; solus autem peccator mutus erat, nihil rectè loquebatur; (Nam postquam Hymnus, ad benedicendum Deum invitaverat omnes Dei Creaturas, unicum prætermisit Peccatorem, tanquam ineptum ac mutum) Cùm tamen redit in gratiam, mortuus revivisçit, loquitur ille mutus, ergo mirantur & gaudent omnes! Vtinam ego non defraudem hoc solatio cælum, tum meâ seriâ, tum aliorum conversione.

SABBATO

Gaudium erit in cælo super uno Peccatore pœnitentiam agente, quam supra 99. Justis.

1. NOn solùm in Angelis, quorum vinum, sunt lacrymæ Pœniten-

nitentium, sed etiam in tota SS. Trinitate, ingens de conversione Peccatoris oritur gaudium. Unde per *Hierem.* c. 32. DEus ait: *Lætabor super eis, cùm bene eis fecero.* Lætatur Pater, quia novum acquirit Filium. Lætatur Filius, quia novum comparat membrum, in quod sua transfundat merita. Lætatur Spiritus S. quia novam lucratur Sponsam, cum qua spirituale ineat connubium, & novum templum, quod per gratiam suam inhabitet. Non potest quidem Deus ita de novo gaudere, quasi verò illius gaudio, aliquid intrinsecè addatur. Nam (*Iob 22.*) dicitur: *Quid prodest Deo, si justus fueris, aut quid ei conferes, si immaculata fuerit vita tua?* Licet omnes homines & omnes Angeli damnarentur, nihil Deus de gaudio suo amitteret; etsi omnes æternam consequantur salutem, nihil ei intrinsecè adijcitur. *Ego Deus & non mutor.* (*Malach: 3.*) Dicitur ergo Deus in conversione peccatoris de novo gaudere; quia si Deo posset adijci lætitia, hoc illam adijceret, quia hîc summam ostendit bonitatem; adeoq; hinc summè glorificatur. Unde quamvis gaudium Dei, non crescat in se, crescit tamen in ostensione; non crescit Entitativè, seu intrinsecè, crescit tamen terminativè & extrinsecè.

2. Maximè Deus in conversione peccatoris glorificatur, ita, ut neq; in creatione mundi, neq; in conversione justi, neq; in ejus glorificatione adeo gloria Dei resplendeat: ideoq; hoc opus eum lætificare dicitur. Nam ut docet *S. Augustinus in Ps: 108.* Triplex Bonitas. 1. benefacere ei, à quo plura bona accepisti. 2. benefacere ei à quo nihil boni vel mali accepisti. 3. benefacere ei, à quo plura mala accepisti. Primũ, bonum quidẽ est, sed infimum; nam etiam Ethnici & publicani id præstant. Natura nos ad id inclinat, hinc & bruta id faciunt: *Cognovit bos possessorem suum. Isaiæ 1.* Secundum superius quid est. Sed Tertium summæ bonitatis est; cùm bene de his mereris, à quibus mala accepisti. Hoc opus heróicum est, & perfectio Evangelica: *Benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis Filii Patris vestri. Matth: 5.* Cùm ergo Deus mundum condidit, cùm gratiam Angelo & homini contulit, benefecit iis, à quibus nihil boni vel mali acceperat; sed cùm justificat impium, ei benefacit, à quo malum gravissimum accepit: Proinde hoc planè Divinæ ac infinitæ bonitatis est! hoc summè

Deum glorificat! Et ideo hoc primum proposuit (*Ps: 102.*) ut Divinæ laudis materiam: *Benedic anima mea Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.*

3. Multum Deus gaudet de conversione peccatoris; quia in illa maximè ostendit bonitatem suam, idq; propter operis difficultatem. Cùm aliquod opus facile est, minor bonitas illud præstat; sicut bene pondus à minoribus viribus portatur. Porro in conversione peccatoris, opera interveniunt difficillima, quæ sola Divina bonitas præstare potest. Tum ex parte dispositionis ad gratiam justificantem; tum ex parte ipsius Gratiæ justificantis. Ex parte quidem dispositionis ideo; quia nullus peccator propriis viribus disponi potest ad gratiam, sed à Deo disponendus est; *quia nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Ioan: 6.* Ad hanc dispositionem necessarius est peccatoris consensus liber, quem estò Deus in nobis per gratias prævenientes & excitantes curet, tamen nos illum sæpè per multos annos negamus. Unde queritur Deus. *Vocavi & renuistis, despexistis omne consilium meū. Pro: 11.* Unico verbo Deus condidit mundū, & multis verbis non obtinuit à nobis consensum; quia ei resistimus, & morosos nos ac difficiles ei exhibemus, sæpeq; dicimus: *Expecta, reexpecta, modicum ibi. Isa: 18.* Dum ergo Deus tandē aliquando istū consensum liberum apud nos evincit, rem præstat difficilem, & soli suæ infinitæ Bonitati consentaneam. Ex parte verò Gratiæ Iustificantis dandæ peccatori, grandis superatur difficultas; quia ut ista conferretur, necessaria fuit mors & Passio Christi meritumq; ipsius. Nam Gratia, quæ tibi nunc datur, non alio pretio empta est, nisi pretio infinito, sanguinis & mortis Christi. Dum ergo datur, ostendit immensam Dei Bonitatem; proinde meritò accumulat novum cælestis curiæ gaudium & exultationem. *Facile est, in altum puteum cadere, sed elevari inde, admodum difficile.*

--------- *Facilis descensus Averni*
Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras
Hoc opus! hic labor est. Virgilius

Infixus sum in limo profundi. Ps: 68. *De profundis clamo ad Te Domine.* Psal: 129.

D.O.

DOMINICA IV.
POST PENTECOSTEN.

Cùm turbæ irruerent in JESVM, ut audirent verbum Dei. Lucæ 5.

1. Quantò quis majorem de Deo habet cognitionem, tantò ei accuratiorem præstat reverentiam; & è converso. Et quia in *Moyse* magna erat Divinæ majestatis agnitio, ideo non est ausus cum Deo colloqui. Quia *Abraham* plenè penetrabat hanc dignitatem, ideo se *pulverem & Cinerem* appellat, (*Gen: 18.*) dum fruitur ejus alloquio. Petrus cui non *Caro & Sanguis, sed Pater cælestis revelaverat dignitatem Christi,* (Matt: 16.) non audet in eadem navi cum illo manere; sed exclamat cum verecundia: (*Luc: 5.*) *Exi à me Domine, quia peccator sum. Centurio* deprecans pro sanitate pueri Paralytici, indignum se reputat, ut ejus tectum subeat Dominus *Luc:* 7; nam sublimè de Christo habuit opinionem, censendo illum summum Dominum, cujus potestati & nutui, subjecta sunt sanitas & morbus, vita & mors. E contra autem turbæ, quia trivialem de Christo habebant cognitionem, ideo debilem in eo colendo exhibent reverentiam, irruunt in illum, confuso eum tumultu premunt. *O si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ* tam irreverenter tractâssent! Et ego quali reverentiâ cum Deo meo ago, in meis orationibus, Sacrificiis, aliisq; pietatis officiis? An non meritò de me posset queri Deus: *Tanto tempore tecum sum, & non cognovisti me. Ioan: 14.* Utinam tamen aliquando dediscam rudes barbarosq; in aula Dei mores! Utinam eos addiscam, tum à supra nominatis Dei domesticis; tum ab ipso Christo, ad orationem in terram procumbente; tum à *24. Senioribus* Coronas suas ante pedes Agni deponentibus, & reverenter throno Divino thura facientibus. *Apoc: 4.*

2. Quid ego incuso incultos turbarum in Christum irruentium mores? non ex aliqua irreverentia, sed ex magno fervore, & pietatis impetu irruebant in JESUM. Tum quia magis attendebant

debant ad ejus benignitatem & beneficentiam, quâ in suis miseriis cupiebant juvari, quàm ad reverentiam ac venerationem Deo debitam. Hanc autem illorum importunitatem Dominus benignitate suâ tegebat. Ita enim Deus bono nostro consulit, ut potiùs velit nos suis beneficiis frui, quàm debitam sûi reverentiam ac venerationem. Tum quia dulci ejus sermone, & gratioso aspectu potenter trahebantur. Nam revelatum est *S. Brigittæ*, quòd quicunq; afflictus ac mæstus vultum Christi aspexit, statim levamen & consolationem sentiebat: & ita tristes ac mæsti dicere consueverant: *Eamus ad Filium MARIÆ, ut ejus aspectu recreemur.* O Domine & mihi *ostende faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora. Can: 2.* Si succino inest occulta quædam virtus attrahendi ad se paleam, si magnes habet vim alliciendi ferrum, an deesse potest eloquio ac verbo tuo vis trahendi ad se animam meam, & commovendi cor meum? *Loquere ergo Domine, quia audit servus tuus. 1. Reg: 3.* Taceant mihi omnes creaturæ; quia inanem duntaxat cient strepitum. Tu mihi solus loquere; nam *sermo tuus est vivus & efficax, penetrabilior omni gladio anciptiti, pertingens usq; ad divisionem animæ & Spiritûs.* ad Hebr: 4.

3. Pingebatur olim *Hercules*, cum catenis aureis ex ore profluentibus, quibus ad se multos trahebat populos, propter maximam viri eloquentiam. Verissimè id adscribi debet *Christo Verbo Patris, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas. Sap: 10.* Licèt enim verbum Dei seu dictum seu scriptum, magnam habeat vim, trahendi ad Deum humanos animos, tamen hoc verbum, in ore Christi, præcipuam vim & energiam habuit; quia unaquæq; res in sua causa & principio, maxim à virtute continetur. Sicut enim calor in igne, lux in sole, fructus in arbore; ita verbum Dei accidentale, in Dei verbo substantiali. Non est quærendum hujus rei testimonium à *Magdalena* Christi dilectrice, quæ omnium oblita, *sedebat ad pedes Christi, ut audiret verbum ejus. Lucæ 10.* Nec à *Petro* Christi discipulo, qui ait (Ioan: 9.) *Quò ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Nec ab aliis Apostolis, qui ad unum alterumvè verbum, *relictis omnibus, secuti sunt eum. Matth: 4.* Sed ab ipsismet inimicis Christi, qui euntes ut

tes ut eum caperent, audito eo, attoniti & stupefacti, redeuntes dixerunt. Ioan: 7. *Nunquam sic locutus est homo: Trahe me post te, curram in odorem unguentorum tuorum:* (Can: 1.) *Propter verba labiorum tuorum, ego custodiam vias duras* Ps: 16.

FERIA II.

Piscatores autem descenderant, & lavabant retia.

1. JEcerant Piscatores retia sua in mare, & multa superflua ac immunda collegerant; necesse ergo fuit lavare illâ retia, & ab immunditiis purgare. Optimum hinc accipe consilium. Postquam retia in mare misisti, postquam officio, muneriq; tuo dedisti operam, inspice accuratè conscientiam, & vide, utrum aliquas non contraxeris sordes. Sicut enim expansis in mari aut flumine retibus, multæ solent immunditiæ colligi, ita nobis accidit, ut dum temporalia curamus, & circa proximi salutem versamur, peccata colligamus, à quibus nos mundari oportet, dicente Apostolo: *Emundate conscientiam vestram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. ad Hebr: 9.* Hoc se fecisse testatur S. David Psal: 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Et Psal: 76. *Meditabar in nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum:*

2. Exemplo nobis ad hoc ipse Deus præit, qui licet omnia bene & optimè faciat, tamen postquam opus aliquod fecerat, dicitur illud respexisse. Unde postquam creatio hujus vel illius rei commemorata fuit, dicitur. Gen: 1. *Et vidit quod esset bonum.* Priùs unum opus factum intuebatur, quàm ad alia procederet. Et cùm universa opera perfecisset, respexit universa, illaq; approbavit; ideo dicitur: (Gen: 1.) *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Optimum enim est, ut in fine diei, consideremus universa, quæ illo die gessimus; & si aliquid immundum deprehenderimus, lavemus rete Conscientiæ nostræ per seriam contritionem. Non solùm autem mala, sed etiam bona opera dispicienda sunt. Quia sicut vix reperitur aurum ita purum, quod non sit à terra repurgandum; ita vix justitiam operamur, de qua dicere non possimus, quod Propheta ait Isaias c. 64. *Omnes justi-*

tiæ nostræ, tanquam pannus menstruatæ. Audi Iob dicentem c. 9. *Verebar omnia opera mea.* Et cum filii ejus intenderent operibus charitatis, se invicem invitantes, Ipse offerebat pro illis sacrificia dicens: *Ne forte peccaverint filii mei. Iob 1.* *Æmulare* igitur horum Sanctorum *charismata meliora* 1. Cor: 12.

3. Tunc Piscatores lavabant retia sua, cùm erant audituri Verbum Divinum ex ore Christi, & cùm erant ab eodem vocandi ad munus officiumq́; Apostolatûs. Ut discam, quòd accedens ad audiendum aut legendum verbum Dei, debeam prius conscientiam lavare à peccatis per seriam pœnitentiam: Sic enim purgato palato verbum Dei percipiens, suavem in illo gustum sentiam; dicamq́; cum Psalte.: (Psal: 118.) *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Alioquin, sicut corpora non pura, quò magis nutriveris, eò magis lædes: materiam nimirum corruptis humoribus suggerens; ita pravis affectibus præoccupatam animam, quò magis docueris, eò gravius corrumpes: majores ei subinde perperam sentiendi occasiones suppeditans. Sicut ergo, ut corpus congruo cibo nutrias, priùs medicinâ purgandum est; ita, ut anima ex verbo Dei proficiat, ab inordinatis affectibus purgari debet. Discam insuper, illos commodè ad officium Apostolicum, & Ecclesiæ principatum eligi, qui suos defectus agnoscere sciunt, & auxiliante Dei gratiâ, ad abstergendas eorum sordes, manus applicant.

FERIA III.

Ascendens unam navem, quæ erat Simonis, rogavit eum, à terra reducere pusillum.

1. Postquam Christus multa fuit mirabilia operatus in terra, transit ad mare, ut & ibi, similia faciat; atq́; ut ita non solùm terra, verùm etiam mare, tantis ejus nobilitetur operibus, per quæ, ille appareat *& terræ & maris Dominus.* Dominatus enim & Principatus, maximè per dona ac beneficia ostenditur declaraturvé. Quis unquam nôsset dignitatem solis, quòd reliquorum planetarum sit Princeps, nisi ille claritatem sui luminis

copio

copiosiùs per orbem diffunderet, & calorem suum ità universis impertiret, ut dicatur. Psal. 18. *Nec est qui se abscondat à calore ejus.* Aquila inter volucres & leo inter animalia Principatum tenent; quia prædam, quam capiunt, non totam cupidè & avarè devorant, sed reliquis volucribus & animalibus veluti suis pedisequis liberaliter dividunt. Hinc Psalm: (Ps. 15) *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et Ps. 144. *Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.*

2. Cur Christus rogavit Petrum, ut reduceret navim à littore? utiq; potuit ei præcipere? potuit ipse arripere navim, & suo nutu impellere? Verum est. Potuit hæc omnia Dominus; sed noluit. Elegit potiùs rogare Petrum, ut ipse labore manuum suarum in ejus obsequium uteretur. Tum ut ostenderet humilitatem, mansuetudinem, pietatemq; suam, ex qua tam modestè humiliterq; rogavit Petrum, nondum aliàs in suam scholam ingressum, suumq; factum discipulum, pro tam parva re. Tum ut doceret Prælatos, debere, illos esse proniores ad rogandum de aliqua re subditos quàm ad præcipiendum; magìsq; cupiant ab eis diligi, quàm timeri. Homo enim cùm sit generosus, potiùs ducitur & inclinatur suavi urbanoq; agendi modo, quàm rigido austeroq; præcepto violenter trahitur. Tum ut ostenderet, illud opus nostrum magis ei placere, & plus habere de ratione meriti, quod est magis voluntarium, & cui plus inest liberi ac spontanei; ideoq; rogat Petrum, ut ipse liberè & ex voluntate sua, impendat suum obsequium atq; sic excellens meritũ eliciat.

3. Poterat insuper Christus in terra, Divinâ Omnipotentiâ suâ, turbas cohibere, ne eum comprimerent: Non utitur tamen miraculis, sed more hominum, navim conscendit, remedium humanum quærens. Sicut etiam ipse potuisset Divinâ vi, navem impellere, & tamen Petrum rogat, ut hoc præstet: docens, quòd quando communi medio res fieri ac peragi potest, non esse recurrendum ad miracula, & extraordinarias Dei subventiones. Relinquit insuper Dominus terram, in qua, magnam apud omnes habuit venerationem, & confugit ad mare, ubi sæviunt tempestates, periculaq; terrent: docens nos, quòd potiùs eligendum sit, inter furentes maris procellas, quàm inter hujus seculi

culi favores, terrenasq; blanditias degere. *Elegi abjectus esse in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Ps: 83.

FERIA IV.

Et sedens docebat de navicula turbas.

1. PRiùs Christus D. sedet, & postea docet, ut significetur, quòd non transitoriè & obiter, sed summa cum diligentia, constantiq; conatu doceat. *S. Bonaventura* ait: *Dominus hic introducitur, ut stans, ut videns, ut ascendens, ut sedens; Viri enim prædicatorii est, stare per rectitudinem intentionis.* Ezech: 2. *Sta super pedes tuos & loquar tecum. Est videre per certitudinem discretionis. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera.* Prov: 27. *Est ascendere per exercitium perfectæ actionis.* Isaiæ 40: *Super montem excelsum ascende tu, qui Evangelizas Sion. Est sedere per otium contemplationis* (Thren: 3.) *Sedebit solitarius & tacebit; quia levabit se supra se.* Christus ergo in navicula Petri, quæ est Ecclesia, sedet; quia in ea perpetuò, tanquam Doctor mansurus est. Olim in Synagoga erat super alias cherubim, quia ex illa erat migraturus; nunc autem sedet in navi Petri, perpetuò in ea habitaturus, juxta illud promissum. Matt: 28. *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Maneas mecum Domine, & me illustra lumine, pulsà mentis caligine, Pectus replens dulcedine.*

2. Non facit Christus delectum in locis ad docendum idoneis. Ubiq; illi apta, ad prædicandum verbum Dei, Cathedra obvenit. Unde modò in Synagoga, modò in monte, modò in campo, modo secùs stagnum, modò de navi prædicat. Viro Apostolico, & vero Gloriæ Divinæ Zelatori, nullus locus ineptus ad docendum, quæ Dei sunt. Ubicunq; adamantem ponas, seu in mensa, seu sub scamno, seu in diademate, seu in angulo, scintillat & lucet, *Non locus Prædicatorem, sed Prædicator locum nobilitat.* Sicut enim non Hierosolymis fuisse, sed ibi bene vixisse, laudabile est; ita non in Cathedra illustri, concionatum esse, sed in ea Apostolico Spiritu prædicâsse, glorioſum coram Deo, imò & hominibus est.

3. Sedens in navi Petri Christus docet, ut ostendat effectũ verbi Divini, quem hoc in nobis præstat. Quia nimirũ affectus nostros mira-

mirabiliter tranquillat, & suavissimam cordi pacem tribuit. Unde Psal: 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.* E contra verò, *non est pax impiis*, ait Isaias c. 57. Nam ille, qui vitam suam moresq; suos componit ad principia eloquiorum Divinorum, profundâ animi pace fruitur; nam tali accinunt Angelici Chori. *Lucæ 2. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Certè ille censetur esse bonæ voluntatis, qui suos actus conformat cum præceptis Divinis. Qui autem sectatur Principia mundi & carnis, & ad illorum normam, vitam suam instituit, ille profectò in perpetua perturbatione & anxietate versatur, nunquam serenâ tranquillitate gaudet; juxta illud Psalmi 1. *Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.* E contra verò justus, cujus *voluntas meditatur in lege Domini, est tanquam lignum plantatum immobiliter secus decursus aquarum*; quia dum eloquiis Divinis veluti aquis decurrentibus continuò irrigatur, *dat fructum in tempore suo, & folium ejus non defluit.* Psal: 1.

FERIA V.

Duc in altum & laxate retia vestra in capturam piscium.

1. PAulò antè Christus rogabat Petrum, nunc autem illi imperat. Rogabat, quia necdum Petrus concionantem Christum audiêrat, necdum cor illius, Divinis Christi verbis incaluerat, at postquam eum prædicantem audivit, postquam cælestia ejus verba percepit, jam tunc ignito illo sermone, cor ejus ardebat, eratq; ad obediendum paratum, ac proinde tunc primùm illi imperat, tunc seriò præcipit & mandat: *Duc in altum.* O anima mea; jam tot verba salutis in concionibus, exhortationibus, privatis lectionibus, librisq; spiritualibus audivisti & legisti, jam tot cælestia lumina, Divinasq; inspirationes cælitùs accepisti; jam toties Christum, *verbum illud substantiale*, in ima pectoris tui demisisti. Nonnè tempus est, ut illum audias tibi imperantem: *Duc in altum.* Non sis qualicunq; devotione, puritate, desiderio, perfectione, contenta; *duc in altum.* Quic-

quid potest displicere Deo, ejice aut corrige; quidquid placere potest, arripe & exequere; Ad summa contende; nihil sanctitatis, quod cum gratia Divina consequi possis, omitte. Hactenus terræ adhæsisti, temporalibus oblectamentis vacâsti, *duc in altum*; tempus est ad cælestia aspirandi, eaq; toto conatu quærendi.

2. Ostenditur etiam his verbis Liberalitas & magnificentia Christi. Dederat illi Petrus & naviculam in suggestum pro brevi tempore; ergo nunc Petro solvit cumulatè naulum, non solùm ad æqualitatem, ut solent mercatores, sed ei tribuit *mensuram bonam & confertam, & coagitatam & superefluentem*, (Luc: 6.) dando illi copiosam piscium multitudinem, & faciendo piscatorem hominum. *Marci. 1.* Ubi nunc sunt, qui dicunt apud Malach: c. 3. *Vanus est, qui servit Deo, & quod emolumentum, quia custodivimus mandata ejus.* Obmutesce impia lingua! Deus enim pro modicis nostris laboribus, non solùm in alio seculo, sed etiam in hoc, centuplum retribuit: ideoq; Moyses admonet: (Deut: 32.) *Date magnificentiam Deo nostro.* Solus enim Deus magnificè se habet cum servis suis; mundus verò cum suis asseclis parcissimus est, sicut cum *Iacobo Laban* siquidem est Pauper; unde ut uni solvat, alterum exspoliat; sicut *Samson* fecit, qui sindones aliis surripuit, ut solveret aliis. Iud: 14. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam.* Psal: 72. *Etiamsi omnes Gentes Regi Antiocho seu mundo obediant, ego obediam legi Dei mei, propitius sit mihi Dominus, non est bonum relinquere legem ejus.*

3. Ostendunt hæc Christi verba, priùs quærenda esse bona æterna, postea temporalia; priùs anima verbo Divino pascenda, deinde victus corpori providendus. Ante concionem auditam Petrus nihil ceperat, etiamsi multum laboris in piscando posuerit, auditâ concione, duas naves piscibus implet. Si reddideris Deo, quæ Dei sunt, proculdubio ille tibi reddet, quæ tua sunt. Stabit verbo, non fallet; ex parte sua non deerit in remunerando. Ita Christus & cum aliis fecisse legitur, (*Marci. 8.*) qui eum in desertum secuti fuerant: primùm animas eorum pavit doctrinâ, tum corpora cibo. Hinc (Iob. 39.) *Ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum; de longè conteplatur escam.*

escam. Quo magis ascendit aquila, eò melius escam videt, ut illam rapiat. Ascende tu cum aquila in cælum. Quò plus à terra recesseris, eò melius providebis corpori; quia *hæc omnia adjicientur vobis.* Matt: 6. & Ps: 39. *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Et Psal: 54. *Iacta cogitatum tuum in Dominum & ipse te enutriet.* Et Psal: 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam; quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

FERIA VI.

Per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

1. QUi est in peccato mortali, quamvis multa etiam bona operetur, nihil tamen agit, nihilq; ex labore suo lucri in ordine ad vitam æternam refert; quia nocte laborat, de qua Christus, (*Ioan: 9.*) ait: *Venit nox quando nemo poterit operari.* Hinc (Sap: 17.) *Ignis quidem nulla vis, neq; siderum limpidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam.* In hac nocte versatur peccator, & ideo nihil piscatur. Vis ampliùs id videre, audi Psalmst: 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Porro viros divitiarum intellexit Apostolus, homines magnis talentis naturalibus præditos, & tamen charitate Dei carentes; ait enim. 1.*Cor: 3. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum veluti æs sonans aut Cymbalum tinniens.* Et 1.Cor: 13. *Etiamsi omnes facultates meas distribuero in pauperes, etiamsi corpus meum tradidero ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* O anima mea quando veniet somnus mortis, & videbis innumeros labores tuos sine fructu, quo tangeris dolore? *Illuminare his Domine, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Luc: 1. Et Psal: 12: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in nocte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. Ne forte* ingemiscens dicam: *Sine causa & vane fortitudinem meam consumpsi* (Isaiæ 49.) Et illud: *Ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi.* Ergo nox peccati recedat, oriatur mihi sol justitiæ.

2. Non solùm ille, qui est in gravi peccato, in nocte laborat, nihilq; fructûs percipit, sed in uniuersum, qui mundo inserviunt, ejusq; vanitati, laborant quidem sed mercedem à Deo non recipient, quia nocte laborant. Vis laborantes videre, audi Hiere: c. 16. *Servietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiē die ac nocte.* Et ipsi fatentur. Sap: 5. *Lassati sumus in via iniquitatis.* Nihil tamen mercedis se accepisse, ipsimet dicunt: (Sap: 5.) *Quid nobis profuit superbia? divitiarum jactantia, quid contulit nobis?* Afficitur *Dalilæ Samson*; quid lucri reportat? privatur oculis, & damnatur ad trahendam molam, *Iud: 16.* Perfimilis est, qui sensuali servit delectationi; plures labores perfert, & præter anguftias, dolores, anxietates, nullum aliud lucrum refert. Quàm verè dictum: *Impij in circuitu ambulant Psal: 11.* Sicut enim rota molendini in circuitu ambulat, & ideo nihil proficit ambulando, nullamq; viam agit, sed in eodem loco versatur; ita mundanæ vanitati deditus, in circuitu ambulat, & viam in cælum non agit. Quid mercedis accepit *Alexander, Cæsar Augustus,* quia mundo cum tanto labore servierunt? Merum nihil. Omnes mundanos interrogat Apostolus Rom 6. *Quem fructum habetis nunc ex iis, in quibus nunc erubescitis?* Non sic in servitio Dei. *Modicum laboravi & inveni mihi multam requiem:* Eccles: 51. *Mihi ergo adhærere Deo, bonum est.* Psal: 72.

3. In his Petri verbis ostenditur ingenium aliquorum hominum, qui ex multis laboribus, ærumnis, pressuris, multos possent fructus referre, nullos tamen referunt. Gravatur aliquando homo magnâ ægritudine, jacturam bonorum patitur, privatur solatio per mortem Amici alicuius charissimi, posset inde multa animæ lucra reportare, & tamen per totam noctem laborat, & nihil percipit; sed similis Petro manet, sine somno & piscibus. *Dissipati sunt, nec compuncti, ait Psal: 34.* Corpus plenum est doloribus, sed animus invictus & integer ùt adamas, licèt plures ictus accipiat. Asina *Balaam* videt gladium Angeli, & terretur; percutitur calcaribus, & dolet ac conqueritur: Sed *Balaam* ei insidens nihil videt, non terretur, sed incæptam viam Deo contrariam perficere conatur. *Num: 22.* Ita persæpè homo, multas infirmitates, dolores, labores sustinet in carne, quæ tanquam asi-

na con-

na conqueritur, sed Spiritus ejus in malitia persistens viam pravam non deserit. De hoc Deus queritur per Ezech: c. 24. *Multo sudore sudatum est, nec sic exivit ab ea rubigo; execrabilis est immunditia tua, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis. Hodie si vocem ejus audieris, noli obdurare cor tuum.* Psal: 94.

SABBATO

In verbo tuo laxabo rete. Concluserunt copiosam piscium multitudinem. Exi à me Domine.

1. MAgnæ hîc in Petro eluxerunt virtutes. Eluxit insignis prudentia. Non ait: *laxabo rete* in verbo meo, sed *in verbo tuo.* Quicquid à nobis gerendum est, ut felicem habeat exitū, non in nostro, sed in Christi nomine fiat; juxta monitum Apostoli. ad Col: 3. *Omne quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine D. JESU Christi facite.* Eluxit viva fides, quâ credebat contra experientiam naturalem. Sciebat Petrus, quòd pisces faciliùs capiantur per noctem, quàm per diem. Nam noctu minùs vident insidias; item noctu natant super aquam, die verò ad ima transeunt. Et cùm per totam noctem nihil Petrus cepisset, plus fidei tribuit verbo Christi, quàm naturali rationi & experientiæ. Eluxit prompta obedientia; nam ubi primùm audiit à Domino: *Laxate retia,* sine ulla cunctatione, & magna promptitudine, mandata exequitur.

2. In eodem loco, in quo Petrus paulò antè nihil ceperat, nunc copiosam piscium concluſit multitudinem. Quia antea sine JESU, motu arbitrioq; proprio, rete jecerat, nunc autem in præsentia JESU, cum ejus benedictione, in ejus nomine ex obedientia dat operam piscationi. Fruſtra sine Christo laboramus. Inania sunt omnia ſtudia humana, sine gratia Dei. Quæ autem bonâ fiunt intentione, & ex motivo placendi Deo, nunquam sunt apud Deum irrita. Nunquam enim deest auxilium Dei, invocantibus eum in veritate. Eadem quòad externam speciem actio, si sumatur præcisè, absq; internis piis voluntatis actibus, differt multùm à seipsa ùt jam conjuncta cum iisdem piis affectibus; ita

ſicut differt Corpus mortuum à ſeipſo vivo, & per animam informato.

3. Optimum ſui Apoſtolatus fundamentum Petrus collocat, ſûi cognitionem & humilitatem, ut ſupremum conſiſtat ædificium, quod deinde dilectione conſummat, cùm ter interrogatus: (Ioan: 21.) *Diligis me plus his.* reſpondet: *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* Hinc ad Saul dicitur: (1. Reg: 15.) *Nonne cùm parvulus eſſes in oculis tuis, Caput in Filiis Iſràél factus es.* Hoc Dei noſtri ingenium eſt, ut quò ſe magìs aliquis coram illo humiliat, eò magìs ab illo exaltetur. Beatiſſima Virgo ait. Luc: 1. *Ecce ancilla Domini, & Filius dicit: Eſto mater mea.* Ioannes Baptiſta ait: (Mar: 1.) *Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus;* & Chriſtus illi dicit: *Pone manum ſuper verticem capitis mei, & baptiza me.* Ait Ioannes. *Non ſum Propheta;* (Ioan: 1.) & Chriſtus illi: *Pluſquam Propheta.* Publicanus ait: *Non ſum dignus* infimo templi loco, & Deus illi ait: Efferam te in ſancta ſanctorum. Ita perpetrato grandi miraculo, Petrus ait: (Lucæ 5.) *Homo peccator ſum, exi à me Domine.* Et Chriſtus illi. *Ego ero ſemper tecum, eris homines capiens, & Princeps Eccleſiæ meæ.* Dum ſe homo humiliat, ſcalam ſibi conſtruit, per quam evehitur in ſublime, & aſcendit ad Deum. Dum nihil ſibi adſcribit, ſed univerſa bona, in Deum, tanquam in authorem refert, amplis ab eo cumulatur donis & honoribus.

DOMINICA V.

POST PENTECOSTEN.

Niſi abundaverit Iuſtitia veſtra plus, quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis &c. Matt: 5.

1. PLura & ſublimiora Deus requirit à Chriſtianis, quàm olim requirebat à Iudæis. His enim ſufficere, vulgò putabatur, opus à lege Divina prohibitum, externo actu non complere; à Chriſtianis verò exigitur, etiam affectus interiores, in imis animi penetralibus reſidentes, componere. Nec mirum. *Cui enim plus datum eſt, plus requiretur ab eo.* Chriſtianis multò plures datæ ſunt à Deo Gratiæ, quàm Iudæis; nam illis data

ſunt

sunt tot Evangelica documenta, tot lumina cælestia, tot sancta exempla, tot Sacramenta, & per illorum usum, tot Gratiæ actuales, opportunaq; auxilia; cùm tamen Iudæi caruerint tot præsidiis. Idem proportionaliter dicendum de Religioso; quòd ab eo Deus majora & sublimiora virtutum opera exigat, quàm à simplici Christiano, ob eandem rationem. Pudeat ergo te, quod à multis fortè secularibus virtute vincaris? Time, ne Deus auferat à te gratias suas, easq; ad alios meliùs illis cooperaturos transferat. *Æmulare Charismata meliora.* 1. Cor: 2. *Non corticem,* sed nucleum id est cor, animamq; offer Deo tuo.

2. Iustitia Scribarum & Pharisæorum, ideo erat insufficiens ad Regnum Cælorum; quia tota erat posita in apparentia hominum: *Docebant & non faciebant.* Tota erat in exterioribus; nam sibi persuadebant, solos actus externos, occidendi, adulterandi, furandi, &c. esse peccata; jam verò desideria cordis & concupiscentias internas, censebant, vix ullum esse peccatum. Erat ergo Iustitia illorum manca & imperfecta. Iam verò Iustitia Christi, & Apostolorum, necesse est, ut ita sit abundans, ut faciat & doceat; juxta illud Christi monitum: (Mat: 5.) *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum. Fucus externus,* (ait Isidor Pelus:) *Non sufficit ad Regnum Dei; Nam justitia perfecta, penetrat usq; ad intimas cogitationum fibras, & ima cordis transcendit penetralia.* Compara hic tuam Iustitiam, cum Iustitia scribarum & Pharisæorum. Quàm exacti illi fuerunt in observandis Ceremoniis, quàm profusi in dandis Eleemosynis, quàm vigilantes in orando, juges in jejunando, diligentes in sabbato sanctificando, justi in decimis persolvendis, pii in ornandis Prophetarum sepulchris? Attigistinè saltem hanc mensuram perfectionis Pharisaicæ? Si ergo illi, cum ipsa non sunt salvati, Deus bone! quid tecum fiet, qui nec tali justitia polles? Sola Pharisæis ostentatio obest, ne salventur: quomodo tibi non oberit, qui neq; habes, quod ostentes? Sed etsi haberes, fuge vanam jactantiam & gloriam, propter quam Iustitia Pharisæorum nihil eis profuit, quia *receperunt mercedem suam.* Mat: 5. *Quod facit dextera, nesciat sinistra, Matt: 6.* In omni opere tuo, da gloriam DEO.

3. Iustitia Scribarum & Pharisæorum magis intendebat observationi suarum traditionum, quas ipsi excogitaverant & fabricârant, quàm præceptorum ac mandatorum Dei. Nimis curabât ea quæ minima sunt in lege, ea verò negligebât, quæ sunt maxima. Ideo illis minatur Christus: (Mat: 23.) *Væ vobis hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum & ciminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium & veritatem.* Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Unde verò tanti scribarum errores? qui erât Doctores legis, & in scriptura versati? Ex ipsa eorum præsumptione, sûiq; amore inordinato: & quia erant ita obcæcati peccatis, ut estò scripturas perpetuò haberent ante oculos, easq; evolverent ac legerent, tamen non intelligerent. *Obliti sunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo. ait Isaias c. 43.* Cave igitur extrema; mediâ seu regia viâ incede; quæ minora sunt, minùs; quæ majora, magis observare stude. Omnia tamen peccata diligenter cave; ne maneat obcæcatum cor tuum, & irrectiantur pedes affectuum tuorum.

FERIA II.

Nisi abundaverit Iustitia vestra plùs quàm scribarum &c. Mat: 5.

1. Quando Christus hortatur suos ad plenam mandatorum Dei observationem, non dicit, *nisi abundaverit Perfectio vestra, sed justitia.* Quia perfectio dicit quid consummatum & absolutum in omni virtute & excellentia, quod in humanis est valde difficilè reperire. Quamvis enim aliquis videatur esse potiùs in summo virtutis fastigio, nihilominus si omnes ejus actiones rimeris, frequenter in iis non unus deprehendetur defectus. *Rari sunt visi, qui caruêre nisi.* Quod aurum sine scoria? quod absq; rubigine ferrum? Et in sole maculas deprehendunt Mathematici? Et Planetæ suas patiuntur Eclypses. *Si Deus in Angelis suis reperit pravitatem, quantò magis in hominibus Iob: 4.* Non est ergo de consecutione Regni cælestis desperandum. Licèt lentè progredia-

ris.

ris, progredere tamen. Licèt interdum cespites & labaris, cura surgere.

2. Utitur hic nomine justitiæ Christus; Tum ut doceat Apostolos, quòd ipsi, licèt discipuli & amici non favore & benevolentiâ, sed justitiâ in Regnum Cælorum erant intraturi & non nisi per hanc, ad illud, aditum debebant sibi parare. Ac si illis dicat: Enitendum vobis est, ut non alienis meritis ac majorum vestrorum, prout faciunt Scribæ & Pharisæi, sed vestris actionibus ac virtutibus intretis in Regnum Cælorum; prout *S. Maximus ait: Magna insipientia est, aliorum meritis splendescere, & magna quærere præmia.* Tum ut declaret, per justitiam intelligi, non solùm Præcepta sed etiam consilia, quæ estò non sint simpliciter necessaria ad salutem, nihilominùs multùm ad justitiam abundantem conducunt. Unde Christus adolescenti ait: (*Matth: 19*) *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus.* Qui ergo nihil addit de operibus superogatoriis, quantùm illi timendum de ingressu in cælum!

3. Non dicit Christus: Non eritis in Regno cælorum, sed *Non intrabitis*, innuens, quòd justus & omnis qui vult ad vitam æternam ingredi, quamdiu degit in hac vitæ, nunquam se debet considerare tanquam in termino, sed semper debet ulteriùs progredi continuis virtutum actibus. Ac veluti qui intrat, non sistit, sed ad partem anteriorem tendit; ita qui ad cælum properat, minimè quiescat, sed semper ad sublimius virtutum fastigium, sua dirigere debet studia. *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Psal: 50. Et Psal: 5. *Dirige Domine DEus meus in conspectu tuo viam meam. Sic curram, ut comprehendam.* 1. Cor: 9.

FERIA III.

Audistis, quia dictum est Antiquis &c. Ego autem dico vobis. Qui irascitur &c.

1. His verbis exprimitur excellentia, quam Lex Gratiæ habet supra legem antiquam. Illa enim putabatur vulgo prohibere gravia duntaxat & enormia peccata, uti est homicidium,

adulterium, furtum actu perpetratum. Unde censebatur justitia Iudaica, consistere in cohibendis tantùm actibus externis; ac fortè ideo illius observationi promittebatur, dabaturq; hic præmium terrenum ac temporale; æternum verò, in longum tempus differebatur. Iam autem lex Gratiæ prohibet cavenda peccata etiam minutiora ac leviora; penetrat usq; ad medullas animæ, ejusq; affectus moderatur, & impetus frenat; ac proinde illius exactæ observationi, non qualecunq;, sed æternũ & incommutabile destinatur, citoq; datur præmium: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum. Beati misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur. Beati qui persecutionem patiuntur &c. Mat: 5.* Age gratias Deo, quòd te in lege illa non condiderit, sed usq; ad legem gratiæ, in qua habeas campum colligendorum tot meritorum, reservaverit. Ut satisfacias huic legi, & congruum ei referas præmium, non sufficit, si in exteriori operis cortice hæreas, sed necesse est, ut intimos animi sensus, ad ejus amussim accommodes & componas.

2. Expende esse aliquam iram, justam & laudabilem, quæ oritur ex zelo violati honoris Divini, ejusq; legis contemptæ; atq; talis ira fuit in Moyse contra idololatras *(Exod: 32.)* quorum complura millia jussit trucidari. Talis in *Phinees Sacerdote*, contra luxuriantes *Num: 25.* Talis in *Samuele* contra *Agag Regem Amalecitarum*, quem in conspectu Saulis totiusq; Israëlis in frusta concidit *1. Reg: 15.* Talis in *Elia* contra *Achab, Iezabel* & Sacerdotes idolorum cultores, quos in conspectu populi ipse manu suâ interfecit *3. Reg: 18.* Talis ira fuit in *Davide*, qui esto fuerit mansuetissimus, tamen testamento præcepit *Salomoni*, ut *Ioab* & *Semei* interficeret *3. Reg: 2.* Sicut enim misericordiâ movendi sumus in proximos; ita etiam in ipsam virtutem, quando impudenter abjicitur; ut ait *Bernard: Ser: 2: de Resur. D.* Unde cùm punitur malefactor, non solùm Iustitia exercetur, sed etiam misericordia in Rempublicam & virtutem. Defectus, talis iræ, est vitiosus ac peccaminosus; ùt patet in *Heli Sacerdote*, non puniente serio scelera filiorum, sed languidè & connivente eos admonente. *1. Reg: 4.* Et in *Saule* Rege parcente *Agag Regi*, & optimis armentis *Amalecitarum* *1. Reg: 15.* Da Domine.

mine talem gladium omnibus communitates Regentibus, ut illo utantur, ex zelo vindicandi tui purè Honoris.

3. Alia verò ira, quâ movemur in proximum, eiq; ideo nocemus, quia nos læsit, irrationabilis & vituperabilis est: & hãc in nobis Christus præcipit cõerceri ac frenari, ne trahamur in judicium. Cujus iræ plura sunt damna. Primum, quia anima per iã ita turbatur, ut non sit habitaculum Dei, quia *factus est in pace locus ejus. Ps: 75.* Sicut enim mare turbatur procellis; ita cor & anima, per iram. 2. quia ira vitiat in nobis imaginem Dei; Deus enim tranquillissimus est etiam dum punit. *Tu autem Domine cum tranquillitate judicas. Sap: 12.* 3. quia sapientiam prudentiamq; evertit, ut homo non possit rectum de rebus ferre judicium, & ordinatè negotia sua, alienaq; disponere. 4. quia ira pusillanimes maximè vincit, & pusillos vilesq; homines reddit. Unde pueri, senes, infirmi, mulieres, faciliùs irasci solent. Inter officia verò magnanimi, *Aristoteles*, enumerat, non irasci, & injuriarum oblivisci. At memoria injuriarum & ira, pusillorum est. 5. quia ira stultorum est. ideo *Iob: 5. Virum stultum interficit iracundia.* Et Sapiens (Eccl: 7.) *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Hinc iratorum plurima sunt deliramenta; quia ira est brevis furor. 6. Iustitiam dissipat; quia dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat. 7. Socialem vitam disturbat; nam *feræ potius quàm homini iracundo cohabitandum ait S. Gregorius.*

FERIA IV.

Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.

1. OPtima Ars frenandi iram est, ut cùm iratus fueris, nihil agas, nihilvè dicas, quod ab ira imperetur. Sicut faciunt nautæ, qui cùm tempus tranquillum est, vela explicant, & ventis dant; cùm verò adversum, in portu quiescunt. Ita cùm irâ turbaris, tempestas orta est; noli ergo ducere in altum navem; noli loqui, noli tunc punire; nec tunc aliis, sed potiùs tibi remedium adhibe. Ita *David* agebat, cum ait: (*Psal: 76.*) *Turbatus sum, & non sum locutus, Artenodorus* dedit consilium *Augu-*

sto, ut nihil diceret aut faceret iratus, nisi priùs recitaret Alphabetum Græcum. Et quoniam benè consilium hoc succedebat, fecit illum in domo sua commorari altero anno, dicens: *Adhuc te præsente mihi opus est. S. Ambrosius* injunxit *Theodosio, ut nemo pœnà capitis plecteretur, nisi post dies 30. à sententia lata.*

2. Insuper ad frenandum iram, hæc tria multùm conducunt. 1. Præparatio ad omnia molesta, pro Christo, toleranda; ut docet S. Gregorius: *Mens solicita, omnes, quas pati potest contumelias sibi proponat, quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se præparet, quæ venientia tantò fortiùs excipit, quantò se fortiùs ex præscientia armavit.* 2. Cogitatio delictorum nostrorum. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Quod remedium suggerit *S. Chrysost.*: dicens: *Quoties dolore aliquo amicus te vel familiaris affecit, ad iramq; concitavit; veniant ad mentem, quæ tu contra Deum commisisti.* 3. suggerit idem Chrysost.: *Veniat in mentem, quod si à proximo offensam & contumelias æquo animo toleraveris, leviùs in te Dei judicium provocabis. Dimitte & dimittemini.*

3. Non solùm ramos iræ, sed etiam imam ejus radicem, Christus, comminatione judicii, veluti acutissimâ securi præscindit. (*Reus erit judicio.*) Ex corde itaq; interna ira est præscindenda, antequam erumpat in verba contumeliosa, vel in facta. Porrò interna ira tanquam ex radice pullulat ex inordinato sûi amore, ex nimia cupiditate, ex superbia, animiq; elatione. Hæc igitur funditus tolle, & sufficiens remedium iræ appones.

FERIA V.

Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris &c.

1. FAcit hîc mentionem Christus Sacrificiorum veteris Legis, in quibus homines pro suis peccatis offerre solebant animalia, ut agnos, hircos, vaccas, boves &c. mactando illa eorumq; sanguinem & carnes litando ac immolando Deo. Monet ergo Christus, ut dum homo talia munera offert Deo, incipiat à seipso. Dum enim homo peccat, grande omnino incurrit

rit debitum, at qualis tanti debiti solutio est? Si offerat vaccam, vel agnum, vel hircum pro peccato? quale justitiæ genus est? ut, cùm peccaverit homo, occidatur innocens animal? Potiùs ergo immolandum est Deo cor proprium, mactanda ira, furor, & impetuositas, ferro mortificationis trucidanda; juxta illud Ps: 50. *Quoniam si voluisses Sacrificium, dedissem utiq; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

2. Innuit etiam his verbis Christus, utilitatem examinis conscientiæ. Quomodo enim recordaberis offensæ, quam frater tuus habet adversùm te, nisi te super opera tua reflexeris, illaq; per serium Examen discusseris. Examen enim proponit nobis ante oculos, quid in nobis displiceat DEo? quidvè à nobis, fratris animum alienet? quod Deus tanti facit, ut malit honorem cultumq; suum interrumpi ac differri, dummodo condigna fiat proximo satisfactio. Vide ergo, cum quanta diligentia, ex vi instituti tui, teneris hoc examen peragere? & quomodo illud defacto peragis? an cum pudore, dolore, efficacia propositi, defectuum diminutione? an verò superficietenus & cursim duntaxat atq; ex usu? Ubi enim est interna in dignoscendis defectibus tuis perspicacia & solertia? unde provenit ista cæcitas spiritualis, ista cordis immunditia, ista copia defectuum? nisi quia non sentis mala tua; ideo verò non sentis, quia illa non nosti; ideo autem non nosti, quia te serio non examinas. Ergo necesse est, ut teipsum excutias, sine adulatione, sine dolo, ut quotidie videas, quid egeris, dixeris, cogitaveris? quid & quomodo agere, dicere, cogitare debueris? quidvè omiseris?

3. Quid est, quòd non alibi, sed inter offerendum, & ad altare, Christus innuat, posse nos recordari fratris *nostri* à nobis offensi? Quia Christus factus est caput nostrum; unde ait *Zach:2. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Ne ergo hominem offendas; quia DEus *homo factus* honorem illius zelat, ita, ut injuriam ejus reputet injuriam suam. Sicut David injuriam servorum nuntiorumq; suorum, reputavit propriam; ideoq; filios *Amon* delevit. *6. Reg: 21.* Si ergo fratrem offendisti, & vadis ad altare, ut muneribus tuis places Deum, facilè tibi tunc in memoriam veniet illa

illa offensa, ut potè communis & homini & Deo. Non solùm enim dicit: Si læsisti fratrem, debitam ei satisfactionem tribue. Sed addit: Si læsisti fratrem, me læsisti, nihil tuum, erit mihi gratum, nisi ei satisfeceris: ac proinde ab offensa fratris cave quàm diligentissimè; vel si illam admisisti, omnibus modis eam abolere stude. Quippe frater tuus est imago DEI; frustra ergo Deum placare muneribus audes, nisi priùs fratrem placaveris.

FERIA VI.

Relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo. &c.

1. VIdetur hîc Christus præponere honori suo charitatem fratris. Sed ô Domine, nonnè melius esset, primum tibi satisfacere, & Angelis tuis, sacrificium orationemq; nostram expectantibus, tum deinde satisfaciendum fratri? Respondet *Chrysost: Hom. 62. in Matth: cap: 18. O ineffabilem Dei nostri pietatem, ô immensum erga homines amorem! Honorem suum quodammodo despicit, dum in homine charitatem requirit.* Hoc verò præcipué in susceptione Sacramenti Eucharistiæ locum habet. Cùm enim illud sit Sacramentum unitatis, nullo modo divisionem fratrum patitur. Ideo *Paulus 1. Corinth: 10. Unum Corpus multi sumus; omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Hæc igitur est excelsa Dei nostri magnitudo, ut etiam ad altare, inter sacrificandum, noverit aliis primas partes dare. Imitare hoc Dei tui ingenium, aliis primas dando, tibi servando partes secundas. Eximia laus est, adversarium de reconciliatione interpellare; talis enim æmulatur Deum, qui nos peccatores, gratiâ suâ prævenit, & invitat ad reditum in gratiam. Pusilli & arcti animi est, fovere injurias; ampli & excelsi, eas abolere. *Theodosius Imperator, beneficium se accepisse ajebat, cùm læsus & non rogatus ignosceret.*

2. Non dicit Christus: *Si recordatus fueris*, quòd aliquid contra fratrem tuum peccâsti; sed *si recordatus fueris, quòd frater tuus, habeat aliquid adversùm te*, sive tu illum offenderis, sive ille te, sive justè,

justè, sivè injustè, habeat aliquid adversùm te, relinque munus; vade priùs reconciliare, abi etiam ab altari meo; alioquin nolo oblationem tuam; respuam illam, sicut respui oblationem *Cain* (*Gen: 4.*) qui cùm adversùs fratrem *Abelem* flagraret invidiâ & odio, ausus est munera suâ mihi sacrificare. Quod ideo à Christo dictum, ne effugia nostra politica locum habeant. Ego nihil habeo, adversùs illum; amo illum; non intuli ipsi quidquâ injuriæ, ipse potiùs ab illo sum læsus. Non est hæc Christi exceptio. Absolutè dictum est: *Si recordatus fueris, quòd frater tuus habeat aliquid adversùm te, vade priùs &c.* Vide ergo, quid potiùs expediat à te observari, tuasnè frivolas prætensiones? an verò gravissimas Christi præceptiones?

3. Quodnam munus, post reconciliatum fratrem vult sibi offerri Deus? Non tam illud relictum, quam novum allatum. Munus, inquam, Amoris, Concordiæ, Pacis, mansuetudinis, munus humilitatis, patientiæ, obliteratæ injuriæ. O munera Christo gratissima! quæ ille tanti facit, ut ad illa offerenda omnibus modis nos cogat & trahat. Nam sicut fieret Deo injuria, si vel ad unum diem, debito sibi frustraretur sacrificio; ita fieret, si vel uno die, aliquis cum fratre discors vivat. Unde vult Deus *non occidere solem supra iracundiam nostram Eph: 4.* Et sicut execrabile erat nefas apud omnes nationes, inchoare sacrificium, & illud non perficere, sed relinquere imperfectum; ita Deo execrandum foret, si sacrificium inchoatum, non perficeret aliquis, novo isto fraternæ Pacis & concordiæ instauratæ munere. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Matth 5.* Si ergo tales sunt filii Dei, etiam munera eorum sunt grata Deo.

SABBATO.

Vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

1. IMprobat Christus fictam Pharisæorum justitiam, & monet: antequam aliquis sacrificet, priùs oportere reconciliari fratri suo. Non vult Christus, ut, quod erat in templo Ægyptiorum,

rum, sit in sua Ecclesia. Non solùm externus, sed etiam internus cultus justitiæ, ad instar Sanctissimæ Virginis MARIÆ, cùrandus est. Ægyptii, mirâ superstitione, delubra sua exteriùs adornabant; intùs autem nihil apparebat, nisi felis, bos, canis &c. quos ipsi adorabant. Hanc templi similitudinem non deprehendes in B. V. MARIA; quæ de se dicit: *Nigra sum sed formosa Filiæ Hierusalem. Can: 1.* Nigra exteriùs, formosa interiùs. *Omnis gloria filiæ Regis ab intùs, (Ps: 44.)* Non ibi bovem, pigrum tardumq; munus, non felem Symbolum astutiæ, non canem typum impudentiæ, sed unum ac verum Deum, existentem in illa invenies.

2. Cùm Christus velit discordes animos, per mutuam componi reconciliationem, ante sacrificium, ad hanc compositionem, primùm confert opera SS. Virginis MARIÆ. Luctabatur de nocte *Iacob* cum *Angelo*, quis verò tam diuturni certaminis & acris pugnæ, diremptor fuit? *Aurora. Dimitte me*, inquit Angelus ad colluctantem Iacobum, *aurora est Gen: 32.* Grande bellum inter cælum & terram, inter Angelum & hominem feruebat; ille expulit hominem è paradiso, & ab illius aditu, flammeo gladio eundem arcebat, (*Gen: 2.*) sed adveniente MARIA, desiderata inter eos pax còaluit, Angelus & homo pacificati sunt. Nulla pax publica est, nisi quam *MARIA* conceperit, & quam ipsa, priùs cõposuerit. Ipsa est arbitra pacis in toto mundo. *Per te habeam accessum ad Deum.*

3. Dum accedis ad altare, juberis reconciliari fratri tuo. Ergo reconciliandus es utriq;, & altari & fratri. *Nam propter quod unum quodq; tale, & ipsum magis.* Frater tuus est Christus; ipse nãq; ait: *Nuntiate fratribus meis. Matt: 28.* Cùm enim ipse sit *Primogenitus in multis fratribus, (Rom: 8.)* non abnuit gaudere titulo fratris. Porro hunc tibi offensum negare non potes? nam hoc testantur nefarii ausus, à te, contra illum, perpetrati. Altare summum est B. V. MARIA. in hac enim primum sacrificium Deo gratissimum celebravit Christus, dum in ejus utero existens, seipsum illi obtulit dicens: (Ps: 39.) *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Tunc dixi: Ecce venio.* Dum ergo ad hoc accedis altare, votaq; tua paras ad illud reddere, & Christo debes recon-

reconciliari & MARIÆ, ut tibi sit Propitiatorium. Ergo *per te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ Mater Salutis. S. Bernard:*

DOMINICA VI.

POST PENTECOSTEN.

Cùm turba multa esset cum IESV, nec haberent, quod manducarent. Mar: 8.

1. MAgno sæpe numero ad JESUM confluebant turbæ; pauci Principes ac divites hujus seculi ad eum veniebant. Quocunq; se vertebat Christus, seu ad stagnum Genezareth, seu ad mare Tyberiadis, seu degeret in campo, seu in monte, seu in castellis, seu in urbibus versaretur, sequebantur eum turbæ, ita ut diceretur: Ioan: 12. *En totus mundus post eum abit.* Et Lucæ 8. *Turbæ te comprimunt.* E magnatibus verò vix ad eum venit unus *Nicodemus, idq; noctu, propter metum Judæorum.* Ioa: 7. Vix accessit *Centurio,* vix *Regulus,* idq; compulsi gravi necessitate. Unde dictum. Ioan: 7. *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum?* Sed nunquid non eadem fuit in Christo virtus ad Principes, ad se, attrahendos, quæ erat ad rudem populum? Eadem quidem; sed non eadem in illis atq; in his reperiebatur dispositio. Quia nimirum Principes toti erant dediti quærendis divitiis, voluptatibus, honoribus; ac proinde his impedimentis retrahebantur à JESU Paupere, mortificato, contempto, humiliato turbæ autem carebant his obicibus; hinc etiam de illis solis Christus gloriando dixit: Mat: 11. *Pauperes Evangelizantur.* Et Mar: 10. *Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum cælorum.* Parvuli erant non ætate, sed malitiâ; non staturâ, sed morum simplicitate. Christus erat succinum, unde trahebat ad se istas paleas, hæc stramenta, non aurum, non ramos virides, non lapides pretiosos. *Trahe me Domine post te, curram in odorem unguentorum tuorum. Can: 1.* Amove à me fomenta cupiditatum secularium. *Mundus enim transit & concupiscentia ejus: Veritas autem Domini manet in*

æternum. 1. Ioan: 2. *Mihi autem adhærere Deo, bonum est, & ponere in illo spem totam.* Psal: 72.

2. Quia turbæ illæ magnam capiebant voluptatem ex doctrina proveniente ab ore Christi, ideo erant oblitæ, cibi corporalis, propter dulcedinem spiritualis cibi, juxta illud Psal: 118 *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Hinc Sancti, grave onus putabant, deservire necessitatibus corporis; quia toti erant in sectandis deliciis spiritualibus. Si *Avicenna Philosophus Ethnicus* putavit, quòd homines in Divinis delectati, tempus non percipiant, quid mirum, si hoc præstent fideles! Cur verò ego istam non percipio dulcedinem? quia idem mihi accidit, quòd filio, qui habet quidem Patrem dulcem, nobilem & humanum; quia tamen extra domum ejus versatur, rarò illum alloquitur, rariùs videt; ideo ejus dulcedinem non experitur. Ita & ego; si orationem negligo, si alloquium Dei fugio; si ejus præsentiam rarò mihi ante oculos pono, quomodo dulcedinem ejus experiar? Accede igitur anima mea ad orationem; Deum tuum amplectere, misce cum eo colloquia; tunc dulcedinem ejus percipies. Quia scriptum est: (Ps: 33) *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Si illum non gustas; non tibi dulcis erit: Et si non videas, non quoq; suavis erit.*

3. Facile est adhærere Christo; quando suppetunt omnia, quãdo cuncta è voto fluunt, quando nihil ad commoditatem deest: sed tunc, dum nos defectus varii premunt, dum nobis undiq; angustiæ, dum temporalibus destituimur subsidiis, & tamen non recedimus à Christo, hoc demum virtutis & charitatis insigne est documentum! Tali charitate præditus erat ille, qui dicebat: ad Rom: 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? an tribulatio, fames, nuditas, gladius? Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; instantia, neq; futura, poterunt me separare à charitate, quæ est in Christo JESU.* Ad similem aspirabat virtutem turba illa, quæ estò non haberet quod manducaret, estò illam fames & inedia affligeret; estò tectum deesset; æstusq; solis aut orudior aura urgeret; tamen plurima erat cum JESU. At ego miser, vellem esse cum JESU, si mihi ad commoditates, nihil deesset; vellem esse Pauper, sed sine defectu; patiens, sed sine contradictione; Humilis, sed sine

ulla

illa honoris diminutione. Occasio prodit, qualis in me sit virtus? qualis Patientia? qualis Humilitas? nam sicut lignum carioſum & putrefactum, deforis quidem videtur pulchrum & firmum, intùs autem quale sit, prodit pondus superimpositum; ita mea Religiositas apparet quidem exteriùs speciosa, sed occasio illam prodit vacuam & inanem.

FERIA II.

Misereor super turbam, quia jam triduò sustinēt me. Mar: 8.

1. DEnotatur his verbis, summa Dei misericordia, summaq; Potentia. Multi reperiuntur homines, in quibus est quidem misericordia, sed deest potentia. Dum corde miserentur, opere non possunt misericordiam præstare. E contra multi, in quibus cernitur potentia, sed misericordia desideratur. Quia possunt sublevare miseriam Pauperum, sed nolunt. At in Christo, miro modo, misericordia copulata fuit cum potentia, ita, ut & misericordiam indigentibus conferre vellet, & quotiescunq; vellet, posset. Atq; talis misericordia est prima radix omnium Dei donorum; ideo enim donat, quia miseretur: Est fons gratiarum indeficiens, quia nunquam exhauriri potest; infinitis namq; scaturit aquis, ita, ut eis totum cælum, totaq; terra irrigetur. Ex hoc namq; fonte, quatuor erumpunt flumina, Creationis, Gubernationis, Redemptionis. Glorificationis hominum, & Angelorum. Stupenda hæc sunt flumina, stupendus fons, ex quo emanavit.

2. Non obliviscitur Deus eorum, quæ ipsius causâ agis, aut sustines. Numerat dies, quibus aliqua pro ipso pateris! *Ecce jam triduò sustinent me.* Immo & gressus tuos, quos ejus obsequio impendis, numerat; *Tu quidem gressus meos dinumerâsti.* Iob: 14. Quin & capillos capitis tui, hoc est, minimas cogitationes & studia, quæ in eum dirigis; *Capilli capitis vestri, omnes numerati sunt* Luc: 12. ad remunerationem in perpetua conservat memoria. Audi Apostolum dicentem (Hebr: 6) *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis ve-*

rii vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis. Fuitnè unquam in orbe Imperator, qui librum haberet, in quo hoc scriberet: Petrus me allocutus est semel, dabo ei Regnum Poloniæ; mandatum leve peregit dabo illi Regnum Hispaniæ; paulisper coram me stetit, dabo ei imperium totius Orientis. Plures famulos hic Imperator inveniret, qui minima obsequia, tantis rependeret beneficiis. O Rex Regum, quis tibi non inserviat? *Quàm bonus, Israël Deus his, qui recto sunt corde. Psal: 72.* Illis enim mercedem æternam, Regna præparas sempiterna, pro minimis cogitationibus bonis, operibusq; exiguis, & pro calice aquæ frigidæ. Ergo *miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Et secundum &c. *Ps. 50.*

3. Usu venire solet ut cùm homo in suprema dignitate constitutus, facit aliquid etiam parvum, pro vili abjectoq; homine, maximi id habeatur. Cùm verò homo infimæ sortis facit aliquid in gratiam magni Principis, licèt hoc, quod fecit, sit reverà magnum, pro minimo tamen habeatur, ac reputetur. Exemplo id manifestum est. Si Rex invisat domum unius Cmetonis, & cum eo unà comedat, id magni ducitur: Si verò plures milites in bello vitã profundant, ut Regẽ ejusq; Regnum tueantur, non magni habetur; nam celsitudo Personæ id efficit, ut magnũ sit, quod ille facit, licèt in re sit parvũ; & minima sint, quæ fiunt in ejus obsequiũ, licèt in se sint magna. Sed cum Deo nostro, diversâ rationè atq; ordine, nos gerimus. O Rex magne super omnẽ terram, quàm magna feciſti & passus es pro homine infimo, & nihili à multis penduntur! homo autem quàm parva præstat, ut tibi obsequatur, quæ tamen tu maximi ducis! Numeras nunc Domine triduum, quo sustinent te; cur non numeras, triduum quo patiebaris propter nos? cur non numeras æternitatem dierum, quibus in cælo nobis gloriam dabis? Plura tu nobis præstas, plures dies sustines nos; nec illos numeras; numeras verò triduum, quo sustinemus te. Maxima hæc est mea consolatio, dum tibi obsequor; quia tu ex tua ineffabili magnificentia, minima mea numeras obsequia.

FE-

FERIA III.

Triduo sustinēt me, nec habent quod manducent: Si dimisero eos jejunos &c.

1. Hîc manifestat Christus curam, quam de suis habet in temporalibus, ut impleatur illud (Psal: 33.) *Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono* Et illud *Psal: 36. Spera in Domino & fac bonitatem; & pasceris in divitiis ejus.* Et illud *Psal: 30. Dominus solicitus est mêi;* ne tu sis solicitus circa temporalia. *Scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis. Matt: 6.* Hanc Patris curam nunc ostendit, dum etiam non petentibus cibum parat. Profundè igitur animo tuo, hæc veritas insideat: Si Deo adhæseris, & mandata ejus observaveris, nihil tibi deerit. Esto tu ovis pascuæ ejus, & securè poteris dicere: (Ps: 22.) *Dominus regit me & nihil mihi deerit.* Maximum Verbum: *Nihil mihi deerit,* quod neq; Rex neq; Princeps dicere potest, sed solùm qui, ovis est Christi *Iacta ergo cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet. Psal: 54.* Utinam hæc *spes reponatur in sinu meo? Iob: 14.* utinã illam, tanquam firmam anchoram retineam in corde? profectò non essem ita effusus ad avaritiam & malas artes; profectò essem liberalior in Pauperes.

2. Nunquam talem curam & solicitudinem experiuntur ii, qui dæmoni, mundo, & carni inserviunt; nam hi prædones & tyranni sunt. Non respiciunt obsequia, quæ illis exhibentur, nec ea curant, aut mercedem ullam pro illis præstant. Servientes talibus tyrannis, sunt similes Sacerdotibus *Bàál*, qui etiamsi invocabant nomen *Bàál* de mane usq; ad meridiem voce magna, etiamsi cultris & lanceolis se incidebant, donec perfunderentur sanguine, tamen vox Bàál non audiebatur, nec aliquis respondebat. *2. Reg: 18.* Hoc illis contingit, quod Iudæ cum Pharisæis contigisse Evangelista testatur. Curavit Iudas Pharisæis placere, & ut id faceret, Christum vendidit; perpetrato autem scelere, ingenti timore ac tremore perculsus, ad Pharisæos abiit dicens: (Mat: 77.) *Peccavi tradens sanguinem justum.* Et illi: *Quid ad nos,*

tu videris. Hæc ipsa verba mundus & caro tibi respondebunt, cùm eis plurima præstiteris obsequia. Eris aliquando in maximis angustiis, eò, quòd eis placueris: veniet hora mortis, cùm timore ac tremore concutieris, eò, quòd mundo & carni indulseris. Accedes ad carnem, & dices ei: O caro, nôsti probè, quòd tibi servierim; quòd, ut voluptatibus tuis obtemperarem, Deum contempsi; ut tibi pararem delicias, pœnas inferni commeritus sum, rogo te, succurre nunc mihi. Respondebit: *Quid ad me, tu videris.* Idem tibi respondebit mundus. Ideo nunc attende, quem eligas in Dominum? cui hero adhæreas? &c. Quis autem non adhæreat DEo, adeo fideli ac misericordi, qui semper suis præstò adest.

3. Innuitur hîc necessitas sumendi Eucharistiam, ne deficiamus in via cæli. Fami occurrendum est per cibum: aliàs enim deficiet homo. Hinc postquam Deus condidit hominem, statim ei præparavit cibum dicens: (Gen: 2.) *Ex omni ligno paradisi comedes.* Et Gen: 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam virentem in cibum.* Post diluvium verò, quia terra facta est infirma, nec herbas & fructus adeò pingues proferre poterat, ut hominem possent nutrire, concessit homini esum carnium dicens: (Gen: 9.) *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum.* Quia verò in lege gratiæ, homines cælestes effecit; nam qualis cælestis, tales & cælestes; cùm cibus debeat proportionari cibando, indigemus cibo cælesti. Eum itaq; nobis concedit dicens: (Ioan: 6.) *Ego sum Panis vivus, qui de cælo descendi.* Terrenis concesserat cibum terrenum, cælestibus jam proponit cælestem. Hoc ergo Divino cibo nobis propositò, tollit nos à mensa animalium, & collocat ad mensam Angelorum, ut eundem cum illis capiamus cibum: *Panem Angelorum manducavit homo. Ps: 77.* Atq; hoc pane nos reficit, ne deficiamus in via cæli. Unde quod olim ab Angelo dictum est *Eliæ*, hoc modò dicitur omnibus: *Surge, comede, grandis tibi restat via. 3. Reg: 19.* Viam in cælum agimus, grandis profectò hæc via est. Ergo surge de somno tepiditatis, anima mea; utere hoc cibo, ne deficias in hac via.

FE-

FERIA IV.

Quot Panes habetis? Mar: 8.

1. NOn indigebat quidem Christus Panibus discipulorum; poterat enim absq; illis turbam saturare, Voluit tamen illos afferri, ut essent veluti semen quoddam abundantissimæ illius segetis. Non indiget Deus nostris panibus, nostrâ pecuniâ, aut ullis bonis; nam de illo dictum est: (Ps: 15.) *DEus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Potest ipse, absq; nobis, pauperes pascere; potest omnes, cogitabilibus cumulare divitiis; sed tamen vult panes nostros, & pecuniam nostram sibi dari, ut sit semen æternæ segetis. Etenim panis, quem pauperi tradis; & vestis aut pecunia, quam ejus obsequio impendis, semen est messis æternæ. Ergo nunc liberali manu hæc semina spargę; *Qui enim parcè seminat, parcè & metet: qui autem seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet; portabitq; cum exultatione manipulos suos.* 2. Cor: 9.

2. Vult Deus, ut minimum, quod habemus & possumus, ei præstemus, ipse verò maximum, quod deest, implebit, addetq;. Et sic voluit paucos panes, qui ibi erant, ab Apostolis dari, ipse verò ex eis innumeros erat effecturus. Quod etiam de reliquis omnibus verum est. Nam vult agricolam, pauca seminare grana, ipse verò illa millies multiplicat. Vult nos bonis operibus promoveri cælestem gloriam, quæ in se spectata, adeò sunt parva, ut omnia simul sumpta, nullam habeant proportionem cum uno instanti gloriæ; ipse verò ex meritis suis superaddit gratiam, quæ operibus nostris deerat. Similiter dum nobis Deus largitur gratias actuales, sanctas illustrationes, piasq; affectiones, exigit quidem à nobis in ordine ad illas, aliquam dispositionem & præparationem, sed hæc longè est inferior tantis donis; ipse verò id superaddit, quod nos præstare nequimus. Hoc idem in naturalibus Deus noster præstare solet; ipse enim positis dispositionibus animam creat, corporiq; infundit, ad quam producendam universæ naturæ vires non sufficiunt. *Deus quis*

similis

similis tui. Matt: 7. *qui abundantiâ tuæ pietatis, supplicum excedis merita & vota &c.*

3. Non priùs *Eliseus*, vacua viduæ vasa implevit oleo, donec una alterave gutta ex priore vasculo immitteretur in novũ vas, 4. *Reg*: 4. Non priùs *Christus* ex aqua fecit vinum in *Cana Galileæ*, donec hydriæ aquâ implerentur. *Ioan*: 8. Ita, non est sperandum, ut à Deo accipiamus specialia gratiæ dona, nisi priùs faciamus quod ex nobis est. Quodsi fecerimus, etiamsi id parvum exileq; fuerit, tamen nobis gratia Divina minimè deerit. Unde si aliquâ vehementi passione urgeris, quam à te vinci impossibile judicas, adhibe aliquas corporis afflictiones, usurpa reverenter Sacramenta, & gratia Dei succurret tibi, quæ opus perficiat. Si vis insignem & perfectam assequi humilitatem, exerce aliqua humilia opera; & gratia Dei tibi aderit, ut humilis evadas. Hoc tibi promittit Sapiens Eccl: 6. *In opere ipsius modicum laborabis, & citò edes de generationibus illius.* Et Eccl 51. *Modicum laboravi & inveni mihi multam requiem.*

FERIA V.

Et accipiens septem panes, dabat discipulis ut apponerent.

1. OMnia, quæ in manibus Christi ponuntur, crescunt & multiplicantur. Posuerunt Apostoli in illis manibus septem panes, multiplicati sunt innumerabiliter. Das tu obolum Pauperi, adeoq; in manibus Christi eum ponis, & ecce tibi crescit in æternam retributionem, ita, ut solus Deus sit illius digna merces. Quod verò in mundi & carnis manum ponis, non solùm non multiplicatur, sed etiam omnino perit. Si verò in manibus Christi; adeo crescit parum panis. Quantùm crescerès & multiplicareris, si universa, quæ tua sunt, in ejus manus poneres. Vis ergo abundare omnibus, sere in hac terra optima, quæ ait: (Mat: 19.) *Centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Audi Divinas super hac re querelas, in eos, qui quasi Deus esset terra sterilis, nolunt in eo seminare. *Hier*: 2. *Nunquid solitudo factus sum*

Israëli

Israèli aut terra serotina? quare ergo dixit populus meus: Recessimus, non veniemus ultra ad te. Multi putant, quòd estò Deus non sit terra sterilis, sit tamen saltem serotina; quia promissiones suas servat in futurum. Sed attende, quòd sicut non est terra sterilis, ita nec serotina; nunc enim in præsenti seculo centuplum retribuit. *Veniens veniet Dominus & non tardabit; exurget diluculò. Hab: 2.*

2. Non solùm tua, sed etiam teipsum, pone in manibus Christi; optimum enim homini est, si sit in manibus Dei; juxta illud Ps: 30. *In manibus tuis sortes meæ.* Quasi dicat: Felicissima sors mihi speranda est, cùm à manu tua sit mihi proventura. Est homo, de quo pronuntias: *Quidquid in manu hujus est, perditum crede.* De alio verò ais: *Quidquid in manum suam accipit, omnia multiplicat, & crescere facit.* Verè hic, est Christus; ille verò Mundus & caro. Comprobat hoc, ipso opere Christus, dum in ejus manibus ita multiplicantur septem panes, ut eis 4. millia hominum saturentur, & supersint septem fragmentorum sportæ. O si mihi nunc daretur à Deo facultas, ut universa negotia mea corporalia & spiritualia ponerem in manu mei amici faventissimi! non ponerem ea in manibus alterius, nisi in Christi; *In manibus tuis,* o Domine, *sint universæ sortes meæ,* (*Psal. 30.*) universi successus mei. Quid mihi aptius, aut felicius esse potest, quàm negotia mea esse in illis manibus, quæ mei causâ sunt cruci affixæ. In his manibus lætabatur *Paulus* esse omnia sua, cùm diceret: 1. Timo: 1. *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

3. Christus apponit Panes multiplicatos per manus Apostolorum, esurienti turbæ: Tum ut erudiat Apostolos, misericordiam, erga Pauperes. Tum ut ostendat, administrationem Sacramentorum principaliter quidem dependere à seipso, instrumentaliter autem à suis ministris, ritè in Ecclesia ordinatis. Tum ut ab illis expelleret incredulitatem, quam habebant de sua potentia. Dicebant illi paulò antè: *Unde istos quis poterit saturare panibus?* Videbatur enim illis impossibile, ut tanta hominum multitudo, in solitudine à quoquam, etiam à Christo posset pasci ad sufficientiam. Ut ergo palpando experirentur virtutem & potentiam Christi, panem illum mirabiliter multiplicatum, turbæ

distribuendum, reponit in eorum manibus. Agnoscebant discipuli Potentiam Christi, ut mala inferret, ut ignem faceret descendere de cælo in *Samaritas*; & hoc etiam se credunt facilè præstare posse; vnde ajunt: (4. Reg: 1) *Vis dicamus, ut descendat ignis de cælo.* In bonum verò, ut satiet istos homines, non ita credunt Christo inesse potentiam. Ergo diffidentes reducit in viam veritatis, per illorum manus panem suppeditando. Tum ut coram turba, occultaret gloriam miraculi, suiq; nominis. Tum ut tanti miraculi magnitudo attribueretur etiam discipulis, ac in eos redundaret. Unde illis tanquam instrumentis utitur. Ex his omnibus disce. misericordiam, benignitatem, reverentiam majorum, humilitatem.

FERIA VI.

Et manducaverunt & saturati sunt.

1. NEminem unquam fallit vera in Deum fiducia. Etiamsi turba illa careret debito alimento, quia tamen fidebat bonitati & providentiæ Dei; etiamsi discipuli viderent, naturali virtute non posse panes illos tantæ multitudini pascendæ sufficere; quia tamen cum fiducia parebant mandato sui magistri; ideo fiduciæ tali non defuit bonitas Dei; *non sunt defraudati à desiderio suo; manducaverunt & saturati sunt.* Ps: 78. Dum ergo tibi arduum imponitur officium, dum incommodo loco applicaris, depone in sinum Dei, curam de te; fide illi; quia sicut te regit, ita nihil tibi deerit; dic fiducialiter cum Iob c. 13. *Etiamsi occiderit me, sperabo in eum.* Si Deus tecum est, noli timere, ut aliquid tibi desit. Time potiùs ne tu desis Deo. Et verè dees; si te, ipsius providentiæ, totaliter non committis; si præposterâ providentiâ, ejus providentiam impedis.

2. Qui Dei mensæ accumbunt, & habent obsonatorem Christum, non patiuntur necessitatem, cunctis abundant, & sine defectu saturantur. Fatetur hoc Psalmista, dicens: (Ps: 72.) *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Quasi dicat: Dum te Deum habeo, ita cor meum est satiatum, ita sum saturatus, ut nihil ampliùs tàm in cælo,

cælo, quàm in terra desiderem. Idem fatetur ille, qui dicit: *Deus meus & omnia.* Non ita evenit in convivio mundi, ubi omnes fame torquentur; prout testatur Deus per Prophetam Isaiam c. 65. *Servi mei comedent & bibent, & saturabuntur, vos autem ut canes famem patiemini.* Sunt enim mundani, veluti filius prodigus, qui cum siliquis porcorum vellet implere ventrem, non poterat saturari, ita illi nunquam dicunt sufficit; nunquam exclamant: *Satis est!* Semper ingeminant: Prov: 30. *Affer, Affer.* Quid enim voluptates, quid honores, quid divitiæ? nisi siliquæ, exteriùs aliquid apparens; sed intùs omni vigore ac virtute vacuum! O mensam egregiam! in qua quantùm cibus, tantùm & fames crescit. O veros Tantalos! qui dum inani vanitatum specie, oculos pascunt, eò magis famem exacuunt. *O quantum in rebus inane!*

3. Stupendum quidem hoc erat opus Christi, quod 7. panibus, 4. millia hominum ad saturitatem paverit: Sed æquè stupendum aliud in dies operatur, quod estò nobis assiduitate viluerit, reverà tamen est maximum. Et quod illud? Quòd universam Creaturam à Deò facilè & mirabili ordine pascit: hoc enim ita mirabile est, ut proprium sit omnipotentiæ Divinæ. Quod vel ex eo colligere licèt: Si nunc in unum campum congregarentur omnes aves, quæ sunt in mundo, diceremusq; magno alicui Principi: Pasce has aves universas, cibis propriis & unicuiq; convenientibus, per unum duntaxat diem. Etiamsi multum temporis in congregandis illis cibis insumeret, etiamsi universos thesauros regios in hoc opus insumeret, nequaquam uno die posset has omnes aves pascere cibo cuiq; apto; quia plurimæ sunt & diversi generis aves, & cibis longè diversis pascuntur. Hinc mente consurge ac disce, quanta sit Dei nostri potentia ac providentia, qui non uno die, sed ab initio mundi, usq; modò pascit, & usq; in finem mundi pascet omnes homines, universas mundi aves, omnia jumenta, bestias, reptilia, pisces; ita, ut unicuiq; aptum & convenientem cibum præstet; juxta illud *Ps. 135. Qui dat escam omni carni.* Et Ps: 144. *Aperis tu manum tuum & imples omne animal benedictione.* Ergo tam potentem ac providam Dei manum, lauda, magnifica, super omnia appretia.

SABBATO

Et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas.

1. QUàm magnificus est Deus in remuneranda erga se, justorum liberalitate! ut non solùm id, quod propter ejus honorem largiris, remuneretur, sed longè copiosiùs & abundantiùs rependat. Septem panes ultrò discipuli obtulerunt Christo, ut in nomine ipsius tractarentur turbæ, & ecce septem sportas Panis in lucro referunt. Resolvit se *Abraham* ad occidendum filium suum unigenitum, ob reverentiam mandati Divini, ecce verò non solùm illum vivum recipit, sed insuper ei promittitur, (Gen: 22:) *quia semen ejus multiplicabitur sicut stellæ cæli, & sicut arena quæ est in littore maris:* Noluit aquam de cisterna *Bethleem*, heroico militum sudore comparatam bibere *David*, sed libavit eam Domino, (2. *Reg.* 23.) ecce verò aperit illi Deus in Bethleem, fontem aquæ vivæ, dum ibi nascitur JESUS Christus, de quo prophetavit Zacharias c. 3. *Erit fons patens Domui David.* Nam Deus noster est veluti terra fructum centesimum reddens. Est speculum sine macula longè meliùs objecta repræsentans. Est Echo multiformiter voces replicans. Dicebat *S. Bernard. S. 5. de quadrag. Nemo vestrùm Fratres, parvi pendat orationem suam; dico enim vobis, quia ipse ad quem oramus, non parvi pendit eam.* Quod hîc dicitur de oratione, idem dicendum de mortificatione, eleemosyna, & alio quovis bono opere in gratiam & honorem Dei præstito.

2. Vide curam paupertatis Evangelicæ in Sanctis Apostolis expressam, qui postquam illo pane miraculosè multiplicato satiârunt turbam, non passi sunt, superflua fragmenta inaniter in terram abjici, sed ea, magna cum diligentia collegerunt, atq; 7. sportas ijsdem impleverunt. Ut discam, quid me facere in Domo Christi expediat? ne scilicet res modicas, quæ videntur tanquam fragmenta, contemnam, & abjiciam, sed eas veluti supellectilem Domino meo coram, reverenter tractem; ut illas

non

non destruam, & facilè corrumpam; sed pro affectu conservem, & illæsas, quamdiu possum, esse studeam. Ita fecit ille Religiosus, qui postquam micas de mensa collectas non haberet quo reponeret, in manu sua eas recondidit; ubi verò manum Prælato aperuit, in gemmas pretiosissimas, eas conversas vidit.

3. Relinquit Christus Apostolis, 7. sportas fragmentorum, ut habeant deinceps, unde eleemosynam venientibus ad se pauperibus largiantur. An nō potiorem provisionem reliquit Ecclesiæ, quando in ea instituit 7. Sacramenta, ad remedium animarum nostrarum, quibus præfecit Administros, ac dispensatores, Sanctos Apostolos, eorumq; successores, Prælatos, & Apostolicos Sacerdotes? Profectò grandis ac liberalis hæc provisio, in qua includit sua merita, suum sanguinem, suam pretiosam Passionem. Porrò suprema horum Christi thesaurorum Præses & Dispensatrix est *MARIA*. De hac enim meritò dici potest: Prov: 31. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Magna quidem erat Eleemosynaria in temporalibus *MARIA*; nam ita erat affecta operibus misericordiæ, ut omnem suam operam impenderet pauperibus; quidquid nendo & laborando comparabat, hoc in Pauperes distribuebat. Necdum Christus dixerat: (Mat: 19.) *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*; & jam *MARIA*, ut exemplo suo Evangelicæ perfectionis promoveret religionem, manum suam egentibus aperiebat. Sed longè major est in spiritualibus Eleemosynaria. Quidquid habemus à Deo, per *MARIAM* & à *MARIA* accipimus. Quis enim magnis Peccatoribus impetrat donum sinceræ Confessionis, donum perfectæ Contritionis, donum lacrymarum? quis eis largitur, ne ex hac vita decedant, nisi omnibus ritè muniti Sacramentis? *MARIA*. tanquam *Mater gratiæ, Mater misericordiæ.*

DOMINICA VII.
POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis Ovium, intrinsecùs &c. Mat: 7.

1. INter aspicere & attendere, magna est differentia. Aspicimus, quod palàm absq; difficultate videmus. Attendimus, quod cum notabili solertia & consideratione intuemur. Et quia isti falsi Prophetæ, non palàm venturi sunt sed dissimulato habitu ac in vestimentis ovium, ita, ut ad eos deprehendendos, magna requiratur sagacitas; ideo attentionis verbo usus est Dominus: Siquidem in hoc negotio prudentia eximia, cum singulari animi advertentia, sit adhibenda. Rectè dixit *Chrysostomus: Magna virtus est, hominem agnoscere malum: & firma tutela salutis est, scire, quem fugias.* Sicut enim magni refert, ut miles dignoscat signum classicumq; Patrium ab hostili; & ut mercator sciat discernere inter veram gemmam & vitrum, inter aurum & aurichalcum; & ut Nauta discrimen noverit, inter fluvium profundum ac salebrosum; ita plurimùm ad vitam rectè instituendam conducit, nôsse cum quo versèris, cujus mores imbibas, quem tibi ad imitandum aut fugiendum proponas.

2. Cuilibet fidelium dictum est: Attendite; nam quilibet magnâ, circa se, attentione opus habet. Ita namq; Divinâ dispositione cautum est, ut unusquisq; suum ordinem & gradum servet; ut limites officii sui non transiliat; ut in aliena, se, negotia non intromittat; sitq; similis quatuor illis animalibus, currum Gloriæ Dei trahentibus, quæ plena quidem erant oculis antè & retrò, se tamen mutuò non circumspiciebant, quomodo se gererent in cursu suo; *sed unumquodq; ante faciē suam ambulabat,* sibi unumquodq; attendebat, non aliis. *Ezech: 1.* Falsi namq; Prophetæ sunt, sublimis de se præsumptio, aliorum vilipensio, & factorum alienorum censuratio atq; vituperatio. Ab his falsis Prophetis præcavere, omnium erat, omnibusq; hoc negotium incum-

incumbebat. Ideoq; non dixit Dominus: Errantes vituperate, supplicio afficite, corripite; hoc enim ad solos superiores ac majores spectat. Sed solùm dixit: *Attendite*, id est cavete, ne aliorum malis exemplis scandalizemini, ne vobis alieni errores sint in decipulam. *Considera*, (inquit S. Chrysost. hîc) *magnam DEi lenitatem, qui non dicit: Punite tales, sed tantummodò, cavete, ne ab eis lædamini, & ne incircumspecti atq; immuniti, in eorum insidias incidatis.*

3. Falsus Propheta dicitur non tantùm ille, qui falsum dicit: cujusmodi erat *Sedechias*, qui, cùm haberet Spiritum mendacem in ore suo, decepit *Achab*, ut iret in *Ramot Galàád*, ad ventilandos Syrios, à quibus victus est, ùt habetur *3. Reg: c. 22.* Sed etiam ille, qui estò verum dicat, habet tamen animum fallendi; unde ab hac intentione prava, dicitur falsus Propheta. Qualis fuit *Balàám* & *Caiphas*. Ille enim multa vera & bona dixit de populo Dei & castris Isràél; nihilominus pergens ad populum, malum dedit consilium, ut Isràél deciperetur per mulieres *Moabitas*, & ad colenda earum idola adduceretur. Num: 25. Caïphas etiam vera dixit, sed per hoc intendebat necem Christo inferre, & sic nomen ejus abolere. Quantoperè fugienda sit omnis fictio, & fallendi intentio? docuit exemplo suo Christus. Cùm enim ille avidissimé tormenta sitiret, tamen *vinum cum felle mistum noluit bibere*, (*Matt: 27.* scienti quippe Domino, quantùm à puro vino distaret, displicuit hæc Iudæorum fallacia. Nam etiamsi aliquis exerceat opera, quóàd speciem bona, ùt orationem, jejunium, Eleemosynam, si tamen hæc facit depravatâ intentione, displicent Deo; talibus enim operibus non tam laudatur Deus, quàm irridetur; nec tam miseria proximi sublevatur, quàm decipitur ac seducitur.

FERIA II.

Attendite á falsis Prophetis

1. FAlsus Propheta est mundus, qui promittit vitam & donat mortem; pollicetur longos annos, & brevem vix concedit moram. Instar illius divitis, qui ad se dicebat: (*Luc: 16.*)

Anima

Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos; requiesce, comede, epulare, bibe. Sed audiit vocem Dei: *Stulte, hac nocte, animam tuam repetent à te, & hæc, quæ paràsti, cujus erunt.* Promittit quietem, & dat turbationem; loquitur per adulatores placentia, vitia palpat & excusat, interim animâ internis replet doloribus. Similis malo chirurgo, qui vulnus repentè curaturus carnẽ ei superinducit, quasi jam sanatum sit, cùm tamen adhuc intra cutem maneat, saniemq; ducat, quâ cruciantur membra, & caro integra corrumpitur. Promittit stare, durareq; diu, sed citò recedit; Similis onagro, qui conspecto homine, in iisdem persistit vestigiis, sed ubi tam propè accessit venator, ut eum manu tangere possit, impactis venatori calcibus, fugâ se subtrahit. Idem est mundi ingenium; multa tibi promittit, sed ubi ea apprehendere volueris, repentè subducit.

2. Falsus Propheta est Caro, quæ promittit homini vitam & felicitatem, si voluptatem & lascivas sequatur illecebras, sed dat mortem animæ, & non rarò etiam corporis; siquidem deliciæ, varietas ciborum, somnus longior, morbos omnis generis, cruditates, nauseas, mortemq; acceleratam adferre consueverunt. Egregiè nobis Carnem depinxit Scriptura, sub specie *Iahel fœminæ. Iud 4.* quæ *Sisaram* è prælio profugum, fallaci humanitate, in suum recepit tabernaculum, cumq; illum celeri fugâ fatigatum, lacte liberaliter suaviterq; tractâsset, tandem soporato & securè in utramq; aurem dormienti, ferreo clavo tempora transfixit, & ita interfecit crudelissimè. Eandem carnis imaginem benè repræsentat *Iudith*, & *Dalila*, quæ postquam suis amatoribus, multa blanda, & suavia fuissent locutæ, tandem eos abstractos & illectos, ac illecebrosis circumuentos insidiis, incautos peremerunt, totiq; orbi in ludibrium & fabulam proposuerunt. Nec tu es, *Sisarà*, animosior, nec *Holoferne* potentior, nec *Samsone* robustior; attende ab hoc falso Propheta; diligenter cave ejus insidias.

3. Falsus quoq; Propheta est Dæmon, mendax imò Pater omnis mendacii. Promiserat ille primis parentibus nostris æternitatem vitæ, vel saltem securitatem in annos plurimos: *Nequaquam moriemini.* Promiserat honores Divinos: *Eritis sicut Dii.*

Promi-

Promiserat scientiam omnium rerum: *Scientes bonum & malum. Gen: 3.* Nihil tamen horum præstitit, omnia contraria, Parentes nostri experti sunt. Idem antiquus serpens, eandem & nunc scenam continuat, dum sub specie boni, mala persuadet; sub prætextu mellis, mortifera propinat venena; sub larva pietatis, horrenda peccatorum monstra inducit. Nunquam Princeps tenebrarum, aperto Marte ac detectâ facie, hominem aggreditur, sed *transfigurat se in Angelum lucis, (2. Cor: 11.)* & sic sensim blandè caput immittit, ut se totum cum cauda venenata insinuet.

FERIA III.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium &c.

1. NOn solùm malis attendendum est, ne fiant; sed etiam bonis, ut fiant, & quomodo fiant? an scilicet bona intentione? an cum applicatione seria & fervore debito? An quamvis occasionem virtutis exercendæ arripias? An temetipsum mortifices, sensualitatem vincas, fastum deprimas? aliis charitatem præstes? Attende, si hoc negotium Christo, vel alicui Sanctorum faciendum esset, quomodo se in eo gessisset? Attende, si in articulo mortis esses constitutus, vel si certò scires, te post horam moriturum, quidnam ageres? quomodo te in tali negotio gereres? Ejusmodi prævisionibus succedant propositа, invocatio Divini auxilii &c.

2. Attende ad vocem Dei perpetuò clamantis ad cor hominis. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Ps: 94. Deus Magister & Doctor est, attendite discipuli ad doctrinam ejus. Deus exemplar est, attendite imitatores, ut eum in vobis ad vivum exprimatis. Deus Dominus est, attendite servi, ut nō sitis supra Dominum. Deus ductor est, attendite peregrini, ut ejus manuductioni pareatis. Deus ultima meta est, attendite Agonothetæ, ne ab illa aberretis; nam in hac via, quâ pergitis, *peccatores absconderunt laqueum vobis. Ps: 141.* Deus vigil est, attendite, qui dormitis, ut evigiletis. Deus spectator est, attendite

Certatores, quomodo vos dignè ejus conspectu geratis. Deus Remunerator est, attendite operarii ad æterna præmia patriæ cælestis, ad pœnas inferni sempiternas, ad *incomprehensibilia judicia, & investigabiles vias ejus. ad Rom: 11.* Deus Supremus Imperator est, attendite milites, quomodo in oculis ejus certetis.

3. Attendite ad propriæ vitæ institutum, ad conscientiam, ad Regulas, ad proposita. Attendite ad obligationem & ingratitudinem vestram, ad vilitatem & infirmitatem vestram, Divinæ dignitati comparatam. Attendite ad vestra propria, & eorum, qui vobis commissi sunt, peccata; ad publica scelera, quæ communi calamitate luuntur. Attendite ad breve tempus vitæ, ad ferventia aliorum exempla, ad seriam vestri victoriam, ad indefatigabile profectus desiderium: Attende deniq; ô anima mea, quomodo quotidie teipsâ sias melior? quibus rebus à profectu spirituali in via Dei præpediaris? quomodo respondeas inspirationibus Divinis? quomodo oculis ejus quotidie placeas, plus verò tibi displiceas?

FERIA IV.

Ex fructibus eorum, cognoscetis eos.

1. Quod est arbor fructui, hoc homo operi. De terra arbor trahit succum, ut ferat fructum; de cælo debet homo sumere vigorem suo operi. Vide ergo, quales sunt fructus tui, hoc est opera tua; Ex fructibus arbor noscitur, an bona an mala sit? ex operibus homo noscitur, bonusnè an malus sit. Fructus bonus est Pietas, devotio, patientia, mansuetudo, humilitas, modestia; fructus verò mali, Ariditas, tepor, impatientia, morum asperitas, elatio, sensualitas, effusio ad exteriora. Si habes illos priores fructus, es arbor bona; si autem ab his deficis, & posterioribus abundas, infallibiliter mala es arbor. Quid verò tibi deest, quominus proferas priores fructus? Time igitur, ne in te cadat illa Dei querela: Isaiæ 5. *Quid ultra potui facere vineæ meæ, arbori meæ, & non feci. Exspectabam, ut faceret uvas, dulces gutturi meo, & ecce tulit labruscas. Securis ad radicem posita est;* cave ergo, ne excindaris *Nam omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excinde-*

detur.

detur. & in ignem mittetur, cujus erit pabulum nunquam consumendum.

2. De Viro justo, Psalmista ait Psal: 1. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secùs decursus aquarum; quod fructum suum dabit in tempore suo.* Contra verò de peccatoribus *Judas Apostolus ait*: c. 1. *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Arbores autumnales eos appellat; vel quia arbores in autumno plantatæ serò fructum referunt; vel quia in autumno jam arbores sunt sine fructu. Bis mortuas dicit has arbores; quia & interiùs & exteriùs mortui sunt, & corde & opere. Eradicatas eas dicit: quia à Deo, ejusq; charitate sunt avulsi. *In charitate radicati & fundati justi sunt*; ad Eph: 3. *& qui manet in charitate, in Deo manet.* 1. *Joan*: 4. An non in optimo prædio plantatus est justus; cùm in Deo manet? An non præclarum referet fructum, cùm nonnisi salutarem succum à Deo & ex Deo trahat? Ideoq; non dicitur excidi justus sed Peccator; hic enim penitùs est perdendus, tanquam infructuosus; hic verò in cælestem patriam transplantandus. Fac ergo nunc, ô anima mea, *dignos fructus pœnitentiæ, Lucæ 3.* ut merearis in illo horto plantari.

3. Multis de causis iratus erat Deus in *Achab*, & inter alias, una fuit, quòd fructiferam vineam *Naboth*, vertit in hortum voluptatis, in quo non fructus, sed viridantia duntaxat folia vaniq; flosculi esse solent. 1. *Reg*: 21. Inspice nunc teipsam ô anima mea, quæ hortus Dei ac vinea es, quonam abundas? fructibusnè an foliis? germine uvæ, an floribus? Certè DEus non vanis verborum floribus, sed fructu bonorum operum delectatur. Plãtata es in tali terra, in qua tot fructus optimos proferre potes, quot habes occupationes, quot actiones. Ipse cibus, ipse somnus, ipsa recreatio, hic sunt aurei fructus, non solùm aspectu pulcherrimi, sed etiam pondere ac pretio inæstimabiles, idq; non solùm apud homines, sed multò magis apud Deum. Omnia ergo fac rectâ intentione, fac ex obedientia; nam hîc etiam vilissimum etiam minimum quid, apud Deum est maximum.

FERIA V.

Omnis arbor bona, bonos fructus facit; mala autem arbor &c.

1. ARbor bona est bona voluntas; arbor mala est voluntas mala, seu depravata cupiditas. Fructus ergo bonæ voluntatis, est Pax, Gaudium, Patientia, Benignitas, Bonitas. Fructus malæ voluntatis, seu depravatæ cupiditatis enumerat Apostolus ad Gal: 5. *Opera carnis, fornicationem, immunditiam, impudicitiam. &c. De voluntate mala, nunquam vera & incontaminata procedit humilitas. ait Damianus.* Porrò sicut arbor, ut sit sterilis ac infructuosa, habet varias ad hoc dispositiones; ùt surculos adulterinos, gramina inutilia, circa se, enata, defectum humoris, aut caloris; ita voluntas, ut sit non bonorum sed malorum fructuum ferax, disponitur ad hoc, inordinatis iræ & concupiscentiæ passionibus, malis actibus, circa objectum peccaminosum, frequentatis, pravis habitibus profundè radicatis, periculosis occasionibus, & his similibus. Vide igitur, quales fructus voluntas tua proferat? quodsi insipidos repereris, investiga, quidnam illam depravat; nam, ex se, illa est bona; habet etiam insitas à natura ad bonum propensiones: Sed quòd ab illis declinet, faciunt hoc immortificatæ passiones, pravi habitus, variæ illecebrosæ occasiones. Ergo ad hæc rescindenda, acutam feriæ diligentiæ falcem adhibe.

2. Potest quidem justus avertere se à justitia & facere iniquitatem, potest etiam peccator avertere se á peccato, & facere justitiam; Liberi enim sunt arbitrii. Et sic arbor bona potest malum fructum facere, & arbor mala bonum; non quamdiu illa bona & hæc mala, sed quia possunt mutari. Nihilominus de justo dicitur. *1. Ioan: 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quasi diceret: Non potest arbor bona malos fructus facere; quia peccatum est tantum malum, ut quasi impossibile appareat, illud à justo admitti posse. Audi Iustum, qui ut pecca-

peccaret, tentabatur ab hera. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum. Gen: 39.* En justum dicentem, non posse se peccare. O felicem talem impotentiam! *Da mihi Domine sedium tuarum Assistricem sapientiam quæ mecum sit in omni occasione, mecumq; laboret: Sap: 9.* Da victricem omnium tentationum gratiam, quæ me ita muniat & obarmet, ut nulla mihi noceat adversitas.

3. Non solùm fructus bonæ arboris est bonus, malæ autem malus; sed etiam umbra. Hinc Sponsa lætatur dicens. *Can: 2. Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus ejus, dulcis gutturi meo.* Hinc sub arbore bona, bestiæ & animalia requiescunt; sub spinis autem nullum animal requiescere potest, nisi tantummodo serpentes. Imò aliquarum arborum umbra ita dicitur esse & homini noxia, ut febres malignas, capitis vertiginem, aliaq; sanitatis incommoda gravia, in eos, qui sub ejus protectione dormiunt aut requiescunt, inducat. Ita juxta sinceros virtutis ac justitiæ sectatores, & boni & mali, pacem possunt habere; juxta hypocritas verò & mundanæ vanitati deditos, nemo potest pacem habere, neq; requiescere sub eis, nisi amici *serpentis antiqui.* Non postremæ virtutis documentum est, pacificè & sine querimonia cum vicinis vivere. Cujusmodi laus adscribitur parentibus S. Ioannis Baptistæ, *Zachariæ & Elizabethæ*, quòd *ambo essent sine querela. Luc: 1.* Rari sunt visi qui carùere nisi.

FERIA VI.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur.

1. Accessit JESUS ad ficulneam, ut ex ea fructum colligeret, sed eo non invento, maledixit ei & ait: (Mat: 21.) *Nunquam amplius ex te fructus nascatur.* Et alterâ die vident discipuli ficulneam aridam; cùm tamen non esset tempus ficorum. Quid verò cum illa ficulnea ulteriùs factum? procul dubio succisa est, & in ignem missa; sicut Salvator factum esse narrat. (*Lucæ 13.*) *Homo quidam habebat ficulneam in vinea sua, & quærebat in ea tribus annis fru-*

nis fructum, & non inveniebat: Ait ergo cultori vineæ: Succide illam, ut quid etiam terram frustra occupat? O anima mea, quot jam anni effluxerunt, ex quo, manu Dei, plantata es in vinea Ecclesiæ, in horto S. Religionis? profersnè fructus dignos mensâ tûi Patrisfamilias? oculis ejus gratos, & gustui suaves? Minimè verò. Omni tempore tenebaris fructificare, non solùm nunc in senectute sed etiam in juvenili maturaq; ætate, & tamen delusisti operam circa te Patrisfamilias, defraudâsti ejus spem & exspectationem. Time ergo decretum ipsius terribile: *Succide illam, ut quid terram frustra occupat!* Lucæ 3. Et illud Isaiæ 26. *In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* O Angele custos, cultor hujus vineæ, dic Domino vineæ pro me: *Sine illam etiam hoc anno, donec fructum optatum reddat.* Luc: 13. adhibe circa illam majorem adhuc curam, circumfode, *confige timore Dei carnes meas,* (Psl: 118.) Pone ante oculos meos, fimum peccatorum hactenus à me commissorum, ut eorum memoriâ exciter ad dignos fructus Pœnitentiæ.

2. De Principe omnium reproborum *Behemoth, ait* Iob: c. 40. *Circumdabunt eum salices torrentis.* Salix nullum fructum profert, unde ad nihil valet, nisi ut excisa in ignem mittatur, ejusq; sit pabulum. Quò major & altior fuerit hæc arbor, eò magis est succisioni obnoxia, & ad ignem nutriendum aptior. Hoc ergo, animo tuo profundè insideat, quòd, etiamsi maxima fueris arbor, doctrinâ, prudentiâ seculari, arte gubernandi, æstimatione apud homines, famâ sublimi, etiamsi altitudine tuâ, cælos contingas, si tamen gratum Deo fructum non dederis, si te in actibus virtutum Christianarum, ùt Humilitatis, Patientiæ, modestiæ, continentiæ non exercueris, procul dubio excideris & in ignem mitteris. Recordare magni illius *Nabuchodonosor*, qui estò fuerit arbor maxima, cælos contingens, in terra ùt Deus habitus, quia tamen non dedit fructum bonum, excisus est, & omnis ejus gloria periit; nam Deus contra illum tulit decretum, Daniel: 4. *Succidite arborem, præcidite ramos ejus.* Si ergo naturalibus ramis Deus non pepercit, ut ait *S. Paulus ad Rom: 11.* eò, quòd fuerint infructuosi, nec tibi, qui insititius es, parcet.

3. Sicut in peccato duplex malum reperitur; unum, Aversio à bono incommutabili, quod est Deus; aliud, Conversio ad

bonum

bonum commutabile, quod est Creatura; ita duplex illi pœna correspondet. Aversioni à Deo, correspondet pœna damni, quæ significatur verbo illo, *Excindetur*. Quoniam is à Deo separabitur in æternum, per carentiam visionis beatificæ, qui hic ab ipso separatur per culpam. *Abscondam faciem meam ab eis, ait ipse Deut: 31 Rejecisti me, & ego rejiciam te, nec unquam me possidebis in æternum.* Hæc summa pœna est, & infinitum malum; quia privat infinito bono. Conversioni verò inordinatæ ad Creaturam, correspondet pœna sensûs, quæ his verbis significatur: *Et in ignem mittetur.* Quo ostenditur summum peccati malum, quod tantâ pœnâ dignum est, & ea pœna infligitur à Deo, qui est ipsa bonitas & charitas. Audi clamantem *Isaiam c. 33. Quis vestrûm poterit habitare cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis?* Qui ad momentum non potes in igne manum tenere, quomodo sustinebis ignem æternum inferni? nec ignem tantummodo, sed vivacissimum, sed devorantem, sed intima penetrantem. Si hunc ignem non times, quid times? si hunc non fugis, quid fugis? Fac ergo dignos fructus Pœnitentiæ, ne excindaris, & in ignem mittaris; sed in cœlestem transferaris paradisum.

SABBATO

Non omnis qui dicit mihi: Domine Domine intrabit in R. C. *sed qui facit &c.*

1. PArum est, quòd rectè loquaris; si malè opereris. Talis enim ab *Aristotele* comparatur ægro, qui audit quidem studiosè medicos, de morbo suo, disertè discurrentes, & varia præscribentes remedia, sed nihil horum, quæ audit, operatur. Sicut ergo ille, si ita curetur, nunquam benè habebit in Corpore; ita hi, qui pulchrè de virtutibus disserunt, sed illas ipsi haud exercere studeant, nunquam bene habebunt in mente. Et ideo *Paulus Apostolus* Rom: 2. *ait: Non legis auditores justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Et 2. Corint: 4. *Non in sermone est verbum Dei, sed in virtute.*

2. Audi Christum (*Luca 6.*) ad quosdam dicentem: *Quid me vocatis*

vocatis Domine, & non facitis quæ dico? qui audit verba mea hæc & non facit ea, similis est homini stulto ædificanti super arenam, cujus ædificatio citò corruit: Qui verò ea facit, similis est homini, qui ædificavit super Petram. Licèt enim veniant flumina & venti, domus stabit. Vis nôsse, an toto corde Deum diligas? an ædifices super Petram? an verò super arenam? ex hoc indicio cognosces. Qui ortâ tempestate, flante vento, surrentibus fluminibus, stat, nec ruit, is supra Petram est ædificatus, is non ore tantùm, sed corde verè diligit Deum. Tentatio manifestat veritatem cordis. *Omni tempore diligit, qui amicus est. Prov. 17.* Qui autem ita dispositus est, ut ingruente tentatione statim facilè ruit, is ordinariè regulariterq; loquendo, non est verus amicus DEi, sed ore duntaxat: ejusq; ædificium non est, supra firmam petram extructum.

3. Non satis tibi datum putares, si folia arboris tuæ, tibi darentur, & fructus alter surriperet; ita Deo non satisfacis, si folia verborum ei obtuleris, nisi pariter fructum boni operis ei dederis. Si linguam cæteraq; exteriora ei donaveris, nisi etiam cor integrum eidem consecraveris, quo impleas voluntatem Patris cælestis. Attende ad servum *Abrahæ Eliezer* qui lassus de via, rogatus ut comederet, ait Gen: 24. *Non comedam, nisi priùs loquar sermones meos.* Noluit comedere, donec injunctum sibi à Domino negotium perfecit; quia hic erat præcipuus illius cibus. Audi fidelissimum Dei servum & Filium dicentem ministrantibus ei cibum. Ioan: 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me ut perficiam opus ejus.* Tu fac similiter. Non sis veluti fatuæ virgines, quæ pulchrè compellabant Christum: *Domine, Domine. Sed oleo caruerunt.* Mat: 25.

DOMINICA VIII.

POST PENTECOSTEN.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.

Luc: 16.

1. RECTÈ hic Homo significat Deum; is enim solus propriè & abso-

& absolutè est Dives, omnis Creatura nomine proprio, se dicit esse pauperem; quia habet *esse ab alio* acceptum & emendicatum. Deus verò bonorum omnium largitor, nomine suo, se dicit esse Divitem; quia habens *A se* omnia bona, & elargitur creaturis; ut meritò dicas cum Psalte Ps: 111. *Gloria & divitiæ in domo ejus.* Et Paulus ad Rom: 10. ait: *Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* Porrò hæ divitiæ & possessiones Dei duplices sunt. Aliæ extra ipsum, cujusmodi sunt omnes Creaturæ; juxta illud Ps: 49. *Meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.* Aliæ & quidem præcipuæ sunt intra ipsum Deum, utì est Omnipotentia, Sapientia, Bonitas Æternitas, Immensitas, aliaq; attributa infinita, de quibus ipse Prov: 8. ait: *Mecum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ & Iustitia.* Atq; hæ divitiæ tantæ sunt, ut comparativè ad illas, omnium Creaturarum quamvis millies & millies multiplicatarum, possessio nihil Deo superaddat. Agnosce, te, quidquid habes, ex hoc accepisse thesauro. *Quid enim habes quod non accepisti?* 1. Cor. 4. Adora illum, æstima, super omnia appretia, magnifica, exalta. Gratulare Deo tantas divitias. Gaude de illis. Exulta; nam ille dicit: Lucæ 15. *Mea omnia, tua sunt.* tu illa per intuitivam visionem & beatam fruitionem possidebis in æternum, & nemo unquam à te tollet hoc gaudium.

2. Attende magnificas Dei opes, quantæ sunt. Interrogant Theologi: *Quid sit perfectius?* An Deus solus? an verò Deus & universus mundus ei additus? Et respondent: Deum cum toto mundo conjunctum simulq; sumptum, nihil amplius esse, quàm Deus solus. Quia cùm Deus sit infinitus, nihil ampliùs ei adjicere potes, quamvis totum mundum adjicias. Sicut enim punctum additum magnitudini, non reddit eam majorem; ita si Deo addas omnem Creaturam, punctum ad infinitam magnitudinem te addidisse crede: imò verò, nec punctum ei additur; eò, quòd omne, quod est Creatura, meliùs & perfectiùs continetur in Deo. Verè *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Psal: 144. Verè ille dicebat: *Deus meus, & omnia*; nam qui habet Deum, etiamsi nihil ex creaturis habeat, tamen ditior est illo, qui habet omnes hujus mundi thesauros, sed Deo caret. Unde ita ad illum attendere, ita eum quærere, amare, revereri,

observare debemus, quasi nihil in mundo sit præter ipsum. Quid ergo anima mea affectibus tuis per Creaturas vagaris? quid formas inanes, earumq; umbratiles amas pulchritudines? quid adhæres divitiis? quid fugaces honores sectaris? Deum unum dilige, quia in eo est omnis pulchritudo. Uni Deo adhære, quia *in illo sunt omnes thesauri*: *ad Colos. 2.* Unum Deum quære & possidere stude; quia in eo est omnis Honor & Gloria.

3. Hic expendendum. Cùm Dominus Deus usq; adeo sit Dives, ut omnem nostram miseriam unico verbo possit levare, quare ergo patitur esse pauperes? quare mihi præcipit, ut eis in necessitate subveniam? cur ipse illis non subvenit? cùm tam facilè subvenire possit. Respondeo: Deum id facere, propter bonum Divitis, & pauperis. Propter divitem quidem, ut subveniens Pauperi, æternam salutem consequatur. Dabis tu egeno Panem terrenum, dabit tibi Deus panem cælestem. Eget apud te Pauper, tu quoq; eges apud Pauperem; quia ille sustinet personam Dei, qui nullius rei apud te eget, sed tu apud ipsum eges omnium. Nam ille dixit: Mat: 10. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Voluit Dominus egere in Paupere, ut Pauperi dando, possis à Deo, tanquam à fidejussore repetere, quod Pauperi dedisti. Pauper apud te eget pane, pecuniâ, veste, consilio, auxilio, tu apud Deum eges virtute, gratiâ, charitate, modestiâ, continentiâ, salute æternâ. Da ergo tu Pauperi panem, pecuniam, & à DEo accipies virtutem, gratiam, salutemq; æternam. Propter Pauperem verò, ut Patientiâ ac tolerantiâ sua, bona mereretur æterna. Unde hic homo dives, ideo pauper factus est, ut, sicut illum dives imitatur, bona pauperibus tribuendo, ita eum imitetur Pauper, mala patienter sustinendo. *Factus est simul in unum Dives & pauper* (Ps: 48.) *Cùm dives esset, pro nobis egenus factus est, ut ejus inopiâ omnes ditaremur, prout ait Paulus* 2. Corint: 8.

FERIA II.

Habebat Villicum.

1. PEr hunc Villicum intelligitur Homo. Sed quænam ei à DEo

DEo tradita est Villa? Certè non una, sed plures. Mundus hic universus, Villa Dei est; ait enim ille Ps: 49. *Meus est orbis terræ & plenitudo ejus.* Tradidit hanc villam DEus in potestatem hominis. nam Ps: 8. ait: *Glorià & honore coronàsti eum & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjeciisti sub pedibus ejus. Oves & boves, insuper & pecora campi, volucres cæli & pisces maris &c.* Unde colligitur, quòd habeat quidem Homo dominium omnium rerum temporalium; at non plenum & absolutum, sed diminutum & dependens. Quia licèt DEus homini concesserit usum rerum temporalium, tamen non juxta quamcunq; dispositionem hominis, sed juxta suam, ita, ut eis homini non liceat uti pro suo libitu ad quoscunq; fines, sed tantùm ad fines à Deo concessos & permissos. Unde sequitur, quòd Deus possit ab homine quantumvis invito, bona ista eorumq; usum tollere: & insuper homo tenetur de illis reddere Deo rationem, quomodo illis usus fuerit, an juxta mentem Dei vel contra? Qualem fructum ex illis perceperit? & an illum juxta voluntatem Domini sui dispensaverit, atq; in usus honestos converterit? *Cui ergo plus datum est; plus requiretur ab eo.* Sed *Væ homini, si remotà misericordià Deus discutias illum.*

2. Insuper Corpus cum suis sensibus & membris; Anima quoq; cum suis Potentiis & facultatibus, Dei villæ sunt. Corporis fructus, sunt opera externa; uti sunt videre, audire, gustare, frangere, loqui, progredi &c. Hæc omnia tanquam tributum & reditus hereditarii debentur Deo, ut potè primo humani corporis conditori. Qui enim plantat vineam, nunquid non habet jus edendi de fructibus ejus. Hinc Ps: 58. ait: *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Quasi dicat: Robur corporis mei non in alium finem convertam, nisi ad cultum honoremq; Dei, à quo illud accepi. Et Paul; Rom 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem; ita exhibete nunc servire justitiæ ad sanctificationem.* Animæ verò fructus sunt opera interiora; uti sunt, meminisse præteritorum, & futurorum, attendere ad præsentia, intelligere, discurrere, amare, appretiare, desiderare, aversari, odisse, fugere &c. Et hi fructus debentur Deo tanquam scrutatori cordium; Hos DEus præcipuè sibi vendicat. Sicut enim

corticem nucis habere, parum est Patrifamilias; nam nucleum ille exigit; aut sicut corpus, absq; anima, inutile est, ita opera exteriora, absq; internis, non sunt oculis Divinis accepta. Vide ergo, quanta tibi incumbit obligatio, ut non solùm actus externos, sed etiam omnes internos, ordines ad mentem DEI.

30. Tandem Proximus, est etiam nobis, tanquam Villa DEi, demandatus. Quia, ut Eccles. c. 17. ait: *Unicuiq; mandauit Deus de proximo suo,* ut ei bona non solùm corporalia, sed multò magis spiritualia curemus! Tenemur enim proximo facem boni exempli præferre juxta illud monitum Christi: Matth. 5. *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Ita faciunt Sancti illi Seraphini, qui se mutuò incitant, motu alarum, & alterno vocis sono, dicentes ad alterum: *Sanctus Sanctus, Sanctus Dominus DEVS sabbaoth.* Hæc tamen cura præcipuè ad Prælatos pertinet! his enim dicitur illud, quod 3 Reg. 20. dictum est cuidam: *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, anima tua erit pro anima illius.* Simile judicium imminet Prælatis ac Superioribus, quibus Deus subditos hac lege commendat. Hoc idem ostendit Paulus, cùm ait *ad Hebr. 1. Obedite Præpositis vestris, ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.*

FERIA III.

Diffamatus est apud Dominum, quasi dissipâsset bona ipsius.

1. QUis est, qui peccatorem diffamat & accusat? Multi profectò sunt accusatores. Imprimis Angeli mali nos accusant, qui non solùm peccatores, sed etiam justos accusare nituntur, ut patet *in Iob. 1. Nunquid Iob fruſtra timet Deum.* Et ideo Angeli boni dicunt in Apocalypsi. *c. 12. Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos die ac nocte.* Deinde Angeli boni accusant peccatorem & dicunt Matt. 13. *Vis imus & colligimus Zizania* An non conservi venerunt, & narraverunt Domino suo, quod factum fuerat, cùm conservus suffocabat conservum. Hinc ait Christus *Matt. 18. Nolite contemnere unum de pusillis istis, qui in me credunt:*

dico

dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, quasi dicat: Cavete, ne lædatis pusillum, quia Angelus ejus accusabit vos apud Patrem meum, quòd eum læditis, qui ejus custodiæ demandatus est. Proinde audi monitum *S. Bernardi: In quovis diversorio, in quovis angulo, reverentiam habe tuo custodi Angelo: nec audeas cõmittere illo præsente, quod me inspectante non auderes.* Audi & Moysen dantem verba salutis *Exod. 23. Observa Angelum & audi vocem ejus. Nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaveris, & est nomen meum in illo.*

2. Accusant peccatorem ipsæ creaturæ, quibus malè usus est, & petunt à DEo vindictam. Aurum & argentum in arca reconditum, vestes à tinea corrosæ, frumentum servatum, nec pauperibus erogatum, lapides & ligna superbarum domorum, vestium pompa, vasa superflua, hæc omnia clamant, ostenduntq; peccatoris malitiam. Sed quomodo hæc clamant, cùm voce & sensu careant? Audi *Habac. c. 2.* dicentem: *Peccavit anima tua, lapis de pariete clamabit; & lignum, quod inter junctura ædificiorum est, respondebit.* Licèt enim nobis hæc non loquantur, Deo tamen loquuntur. Hinc Paulo *Rom. 8. Omnis creatura ingemiscit, & parturit usq; adhuc* Videns enim illa, se subjici peccatori, & ei obtemperare, clamat ad Deum, quasi vim patiens, quia quod in ejus honorem conditum est, vertitur in peccatum. Iam te hîc reflecte, quot boves contra te clamabunt, quos comedisti, & quorum colla portabant, propter te, gravia juga? quot equi, quos labore attrivisti? quot vituli, anseres, oves, capones, pulli, gallinæ, quas absumpsisti, quorumuè omniùm fructibus abusus es. Omnia ista debuerant te valde excitare ad agnoscendum, laudandum, colendum, reverendum, amandum Deum, tanquam primum fontem largitoremq; horum omnium, adeoq; tibi seruire ad æternam animæ tuæ salutem; ecce verò tu ea conuertisti in contemptum DEi tui, perniciemq; tuam.

3. Tandem accusat peccatorem, coram DEo, ipsa conscientia, & vindictam petit. Testatur hoc Paulus *Rom. 2. Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium.* En conflictum cogitationum contra se pugnantium intuente DEo, tanquam supremo arbitro. Una illorum dicit: pec-

cãsti; hoc & illud commisisti, vel omisisti. Vincere te in hac vel illa occasione debuisti, & non vicisti. Altera dicit: non peccavi, quia hoc propterea & propterea feci, sed & contrà illa dicit: vana est ista excusatio. Prætextus est, color est, in veritate coram DEO id non subsistet. Audit Deus harum cogitationũ conflictum; & suo tempore quod æquum est, decernet. Hinc 1. Ioan. 3. dicitur: *Si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro & novit omnia*, quasi dicat: Tãta est erga nos misericordia Dei, ut quamvis nos cor nostrum reprehendat & accuset, Deus tamen nunc taceat & nostri misereatur. Quodsi te ulteriùs pergat cõscientia tua accusare, & quis te non accusabit? si ergo & tu ipse, & plures accusatores contra te erunt, putasnè quia defectu illorum, judicium tecũ non fiet. Fiet profectò, & gravissimum fiet. Quare *esto consentiens tempestivè adversario tuo, dum est in via, ne forte tradat te judici, & judex tortori Matt. 5.*

FERIA IV.

Diffamatus est, quasi dissipâsset bona illius

1. TUnc dissipantur bona Dei, cùm ex eis non Gloria gustusq; Dei colligitur, sed vel gloria humana, vel propria delectatio, aut lucrum ita captatur, ut in his tanquam in fine ultimo sistat homo, nihilq; amplius quærat. Hinc Prouerb. 18. dicitur: *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Homo enim mundanæ vanitati, aut sensuum delectationi traditus, dum utitur creatura, ut ex ea venetur fumum vanæ gloriæ, vel in ea delectetur, cùm debuerit illâ uti ad gloriam Dei, cuncta dissipare dicitur. Hinc Iob c. 15. de injusto dicitur: *Antequam dies ejus impleantur, peribit, & manus ejus arescent: lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus & quasi Oliva projiciens florem suum.* Sicut enim ille, qui arboris flores & gemmas, antequam in fructum deveniant, amputat vel decutit, dicitur arborem & fructus dissipare, quia illos prohibet eò peruenire, quò natura perducere voluit; Ita planè, cùm omnis creatura ordinata sit à Deo, ad ipsius gloriam; nam *omnia propter semetipsũ operatq; est Dominq: Prov. 16.* si tu, illâ utendo, sistis

in

in gloria vana, aut delectatione vel utilitate tua, omnia dissipare censeris: adeoq; non es prudens dispensator, sed dissipator; non villicus fidelis, sed domini tui defraudator. Non audies ab illo vocem illam optandam: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Matt. 25

2. Dissipat peccator hæc bona domini sui in particulari 1. Potentias tam internas animæ, quàm externas corporis. 2. actus earum multiplices. 3. inclinationes in bonum ab authore naturæ inditas; non quod hæc penitùs destruat, sed quia plura ponit impedimenta, ne in finem suum tendant. Quod à simili declaratur. Est aliquis homo sanus, integer, vegetus, agilis ad cursum, interim tamen tot catenis & funibus irretiri potest, ut estò natura illius integra sit, nihilominùs deambulare imò & progredi nequeat; Ita anima, ex natura sua, velox, ut feratur in Deum, ita tamen funibus peccatorum constringitur, impediturq; ut in suum finem non tendat. Hinc *Psal. 118.* ait: *Funes peccatorũ circumplexi sunt me.* Et *Proverb. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Hic te reflecte supra singulas Potentias, quomodo illis hactenus usus es? quomodo oculo, aure, lingua manu, pede? &c. quot milliones actuum internorum & externorum à te sunt eliciti? quotnam ex illis cesserunt in finem á Deo præfixum? Quot inclinationes ad bonum, deductæ ad praxim.

3. Dissipat etiam pecator omnem substantiam, dum per peccatum amittit gratiam Divinam, virtutes, & omnia bona opera, quæ fecerat, & digna erant præmio æterno, quæ mortificantur, & quàsi in fluvium aut mare jactantur. Audi *Ezech. c. 18* dicentẽ: *Si auerterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, nunquid viuet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Et hoc est illud *Thren: 1. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus,* sed quænam sunt ista desiderabilia? Gratia Dei, Habitus virtutum à Deo infusarum, opera meritoria, jus ad gloriam æternam, desiderabilia tua sunt, thesaurus tuus sunt. Audi Angelum exponentem hunc thesaurum *Tob 12. Bona est oratio, cum jejunio, & elemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.* Audi & Christum dicentem. (Mat: 6.) *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Audi denique Sapien-

tem

tem c. 7. *Præposui illam* (id est Sapientiam, Gratiamq; Divinam) *regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius: Omne enim aurum, comparatione illius, arena est exigua; & denig; infinitus est thesaurus hominibus.* Profectò dives es, imò ditissimus, si hunc infinitum thesaurum possides. Quid verò tibi dæmon svadet, nisi ut peccato lethali hanc substantiam in momento dissipes, & projicias in profundum maris. Audisnè illum hoc suadentem? Postquam *Iacob* præripuit jus primogenitum, Paternamq; benedictionem, fratri suo *Esau*; irrugiit is clamore magno, & consternatus est. *Gen 27.* An non irrugies tu, amisso jure ad primogenituram cælestem? an non dolebis, dissipatâ Domini tui substantiâ?

FERIA V.

Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. jam enim &c.

1. Hîc exprimitur magna Dei nostri longanimitas & Patientia, quâ utitur cum peccatoribus. Licèt enim iniquitates illorum evidenter noverit, ut potè omniscius, & cui nuda apertaq; sunt omnia, tamen ita se nunc gerit, acsi à longè aliquid tantùm audiĕrit, acsi non per se, sed ab alio de ipsis intellexerit. Non exprobrat in faciem crimina; non appellat villicum suum, Furem, Defraudatotem, Dissipatorem, sed solùm: *Quid hoc audio de te.* in communi aliquid innuens, & locum spatiumq; concedens ad se justificandum. Vult Deus nostras audire excusationes, non ut condemnet, sed ut absolvat. Dissimulat peccata hominum propter Pænitentiam, tempestivè præmonet de reddenda ratione, ut sententia judicis decretoria caveatur. Sit in æternum benedicta hæc tua, mi DEus, erga nos, benignitas & æquanimis tolerantia. Posses me, mi DEus, eo momento, quo pecco, plectere, & si id faceres, justum esset & in æternum laudabile judicium tuum. Sustines tamen, cùm sis *longanimis, patiens, & multæ misericordiæ* Ps. 102. Sustines menses, & annos; & non solùm exspectas, ut revertamur, sed revocas ad te, & rationem, examen,

examen, judiciumq; tuum minaris. Nolo ampliùs hac tuâ benignitate abuti. Hæc tua mecum agendi ratio, erit mihi regula agendi cum proximo meo, ne in ejus defectus sagaciter inquiram, ne in faciem exprobrem, &c.

2. Putabat Villicus, nesciri à Domino suas fraudes, ideoq; liberè bona illius dissipabat; cùm ecce insperatè vocatur à Domino, jubetur reddere rationem, deponitur ex officio, bona manibus ejus concredita, ab eo, repetuntur. Quamdiu in hac mortali vita degis, noli esse securus; quantumcunq; justus tibi videaris, habes quod timeas. Sicut ille timebat qui dixit: *1. Cor: 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; quia qui judicat me, Dominus est.* Licèt sæpè superaveris hostes, adhuc tamen in discrimine belli versaris. *Qui stat, videat ne cadat.* 1. Corin: 10. *Ideo cum timore & tremore vestram salutem operamini. Phil. 2.* Dicebat Rex Israël, Regi Syriæ *Benadab* glorianti de fortitudine sua. *Non glorietur accinctus æquè ut discinctus. 3. Reg: 20.* Accinctus est, qui bellum ingressurus, armis & militari cingulo se accingit; discinctus, qui profligatis hostibus & partâ jam victoriâ, securus est, ideoq; arma & militarē cingulum deponit. Rectè ergo Rex Israël ait: *Ne glorieris ô Benadab quasi victor,* cùm nondum certamen supremum inieris. Idem dicendum his, qui se putant jam securos, qui non timent periculum ab hostibus, qui gloriantur, quasi jam parta esset victoria. Noli gloriari, noli securus esse, sed time; nondum finitum certamen est. Etiamsi plures hostes viceris, alii superandi restant, à quibus poteris superari. Accinctus es, noli gloriari ut discinctus. Nondum rationes reddidisti, nondum eas subscripsit Dominus. Quis scit, an in Regestro, cùm à Domino discutietur, & percepta cum expensis conferentur, reus non remanebis?

3. Non est penitùs desperata hujus villici fortuna; nam non ita diffamatus delatusq; est, quòd absolutè ac simpliciter dissipaverit substantiam domini sui; sed solùm cum addito, & sub dubio; *quasi dissipâsset*: hinc etiam Dominus, non statim eum privat officio, non statim amovet ab administratione bonorum; sed jubet priùs reddere rationem, ut ita rebus suis in futurum consulat, seq; in meliori, quàm fama exigebat, statu ponat. Prout

defacto præstitit, prudenterq; sibi providit in futurum. Simili ratione philosophandum est in casu & perditione peccatoris. Non omnino dissipavit substantiam, *sed quasi.* Quamdiu ergo spirat, speret; quia non deest illi Patientia & longanimitas Dei, quæ dum illi prorogat vitam, porrigit & gratiam, permittitq; rationes conscientiæ corrigere, ut non desperet, sed remedium animæ suæ quærat, sibiq; usurpet verba illa Davidis, (quibus consolabatur *Ioab*, qui in bello damna passus fuerat) dicentis *2. Reg: 11 Non te frangat ista res; varius enim eventus est belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius; conforta bellatores adversus urbem.* O homo, qui humi jaces desperans, qui tradidisti te sensualitati, curiositati, ignaviæ, socordiæ, surge, postquam cecidisti. Infeliciter hactenus cum vitiis pugnâsti, non te frangat ista res; hoc enim belli proprium est, ut nunc hic, nunc ille superet. Si superatus hucusq; es, poteris deinceps cum auxilio Dei superare. Exemplo tibi sit hic villicus, qui licét omnino videretur desperatus, non tamen periit, sed usus prudentiâ, servavit sibi vitam & opes. *Conserva me Domine, quia speravi in te.* Ps: 15.

FERIA VI.

Quid faciam? quia Dominus meus aufert à me villicationem.

1. UNde hæc villici de se cura & solitudo? Ex conscientia infideliter administratæ rei œconomicæ, & comminatione auferendæ à se potestatis. Me verò nulla tangit de reddenda ratione solicitudo; quia non seriò recogito, quàm malé administraverim hactenùs, bona mihi à Domino meo concredita. Quia me non reflecto, brevi auferendum à me tempus merendi, & pro peccatis per pœnitentiam satisfaciendi. O si seriò id recogitarem! profectò me salutaris invaderet anxietas; profectò inquirerem: *Quid faciam?* Quomodo præterita errata compensabo? Quomodo præsentia tractabo negotia? Quomodo mihi de futuris prospiciam? Scio, animam cum suis potentiis, & corpus cum suis sensibus, nec non externas omnes facultates, eo fine,

à DEO

à DEo mihi esse concreditas, ut illis ad gloriam Dei, salutemq; meam uterer; at ego illas mundanæ vanitati, sensualitati, vitiosæ curiositati impendi. Quàm severa mihi erit de hoc reddenda ratio? Quàm solicita me cura illius nunc tenere debet, siquidē brevi serus erit labor, sera anxietas.

2. Quia villicus attendit ad maximum suum discrimen, quòd & officio esset privandus, & non haberet, quo se in posterum sustentaret, ideo remedium quærit: *Quid faciam?* Nescit peccator summum, in quo versatur, discrimen; ideo non est anxius, non interrogat: *Quid faciam.* Quisnam Rex videns alium Regem, contra se, cum exercitu maximo, venientem, non dicet: *Quid faciam? Possumné occurrere illi cum 10. millibus, qui cum 20. millibus venit ad me. Lucæ 14.* ut si id non valet, *roget quæ pacis sunt.* Nosti miser peccator, Deum tibi esse inimicum, & adversùs te venire in judicium cum exercitu Angelorum. Audi eum dicentem Levitici 26. *Si me non audieritis, sed ambulaveritis contra me, ego incedam adversùm vos in furore contrario.* An non dices: *Quid faciam,* ne penitùs inteream. Hoc judicium Dei prædicabat Ioannes dicens Luc: 3. *Iam enim securis ad radicem arboris posita est: Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Addit verò *Lucas* fructum hujus prædicationis: *Et interrogabant eum turbæ. Quid ergo faciemus?* En idem nunc dicit villicus: *Quid faciam?* Recole & tu judicium tibi imminens, & seriò te interroga: *Quid faciam?* Scis, quid feciſti? quomodo hactenus vixisti? nunc restat, ut diligenter quæras: *Quid faciam?*

3. Non satis erat villico, speculativè interrogare seipsum: *Quid faciam?* Sed statim practicè accingit se operi, & quod, intra se, meditatus fuerat, deducit ad praxim, atq; cogitata, propositaq; sua mandat executioni. Vocat Debitores, diminuit illis debita, paciscitur cum eis, ut, cùm amotus fuerit ab officio, recipiant illum in domos suas, & congruam ei præbeant sustentationem. Quid & mihi proderit, si multa spiritualia audiēro, legero, meditatus fuero, proposuero, nisi ea studeam executioni mandare, & ad effectum deducere? *Verè similis ero consideranti vultum suum in speculo, sed postquam ab eo recesſit, oblivisceti, qualisnam figura faciei sit* Iac: 1. *aut monti parturienti, sed murem ridiculum generanti.* aut fabro, æs cudere

cudere discenti, sed nunquam artem exercenti. Ergo ô anima mea quamdiu habes tempus, quamdiu gratia Dei adest, utere illâ ad tuum commodum. Fac tibi proventum de bonis Domini tui, quibus per totam æternitatem sustenteris.

SABBATO

Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset; quia filii hujus seculi &c.

1. EX mente Sanctorum Patrum, docent Theologi: *Deum non permittere fieri ullum malum, quin ex eo eliciat majus bonum.* Quid pejus fuit peccato *Adæ?* Hoc enim omnes morbos, ærumnas, calamitates, bella, pestem, famem, mortem, funera, induxit in mundum. Hoc fuit fons & origo omnium peccatorum à posteris patratorum. Hoc æternæ damnationi genus humanũ addixerat; & tamen Deus ex hoc tam grandi malo, majus bonum elicuit; nimirum *Incarnationem sui filii; nisi enim Adam peccâsset, Christus non venisset, saltem vi præsentis Decreti.* Postquam autem venit, præter admirabile *Compositum Hypostaticum,* quod pretio superat infinitos mundos, à se factum, effecit, ut Christus eliceret tot actus Theandricos excellentissimarum virtutum, quorum unus bonitate suâ superat malitias non solùm peccati Adæ, sed etiam quorumcunq; peccatorum à quacunq; Creatura unquã committendorum. Similiter ergo fit in præsenti. Quid fuit iniquius villico iniquitatis? qui toties Dominum suum defraudavit; & tamen illum Dominus laudat, quia prudenter fecisset. Non attendit ad ipsius malitiam, sed solùm ad prudentiam; non considerat injuriam Domino illatam, sed solùm providentiam, in suum commodum, exercitam. Mihi saluberrimum præbens documentum, ut quando adverto, in proximo meo, factum aliquod peccaminosum ac vituperabile, non vertam hoc mihi in ruinam & scandalum, sed in ædificationem & bonum exemplum; omittens hoc, quod est malum, & assumens, quod bonum. Imitando, hac in parte, apem, quæ etiam, ex urtica & absynthio, mella colligit. Ideo *S. Urbanus Papa* appellavit *Cæciliam apem argumento-*

mentosam; quia illa ex nuptiis carnalibus noverat colligere mel cælestis consolationis, ex iuvene pagano, & ad libidinem prono, effecit temperantem, fidelem, & invictum Christi Martyrem, Valerianum Sponsum suum.

2. Magnæ prudentiæ argumentum est, rebus suis in futurum prospicere: atq; hoc negotium, ita hominis proprium est, ut eum totum sibi vendicare debeat. Cætera omnia, estò quòád speciem, grandia & speciosa, non plus apud hominem deberent valere, quàm paleæ, quàm stramina. Unica, ad quam, toto conatu & studio connitendum est, occupatio & cura, salutem æternam in tuto collocare, suæq; indemnitati in æternum consulere. Atq; ita gravissima Principum consilia, ferventes aulicorum ambitus, horrendi motus bellorum, perplexæ mercatorũ negotiationes, causidicorum sudantes contentiones, quid aliud sunt in cõparatione studii ac diligentiæ, circa salutem æternam adhibendæ? nisi crepundia, & pueriles nugæ? Unicum Sapiens consilium, unica prudens ambitio, unica dives negotiatio, unica lucrosa contentio, Deo famulari, salutemq; suam stabilire. Hoc solum & supremum est hominis bonum! Hæc tota felicitas! Projectæ temeritatis est, illud negligere, quod secum tantam periculi immensi molem trahit; quodq; habet tam lubricos progressus, tam dubios eventus, &, si malè semel cedant, nunquam reparabiles. Si ergo Dominus laudat prudentiam hujus villici; quia scivit vitæ suæ temporali in posterum agendæ prospicere; quantò magìs meam laudabit! Si sciam, & studeam, meæ in æternum duraturæ vitæ providere.

3. Attende jam, quantâ curâ & solicitudine, homines seculares, temporalia sectantur commoda! quanto studio, & pænè præcipitio, ruunt ac festinant ad ea, quæ illos mergunt in interitum! quàm vanos & noxios fines sibi præfigunt! ille honorem, hic voluptatem; alius lucrum ac utile suum duraturum brevissimè! quàm multiplicia & astuta ad suos fines disponunt media, & nullum intentatum relinquunt! quàm instant urgentq; impẽsé, ut coronam corruptibilẽ accipiant! prout loquitur Apostolus: 1. Corint: 9. quomodo nulli parcunt labori! vigilias, laborem, sudorem, ætatem, sanguinem, vitam profundunt. Quid verò

no filii lucis, viri spirituales, Dei servitio dediti? quid inquam simile agimus? Ecce illi sunt promptiores ad interitum, quàm ego ad vitam! Illi tàm facilè proficiunt in suis laboriosissimis astutiis, ego in suavissima Christi schola, nihil omnino profeci! nec prima quidem didici Elementa! Si attendo ad scholasticos, ad milites, ad opifices, quis ex illis 20. annis in sua palæstra versatus est? & non evasit in sua arte perfectus? Ego verò tàm multos annos in schola Christi consumpsi, & quæ in me perfectio? quis in virtute progressus? Et tamen ego Filius lucis, ad tàm sublime institutum vocatus! tot gratiis cumulatus! tantis adjutus auxiliis! pro æternitate quasi laborans! Proh, pudor! ubi es frons? ubi fervor? ubi Spiritus? ubi in benè ceptis constantia?

DOMINICA IX.

POST PENTECOSTEN.

Videns civitatem flevit super illam. Lucæ 19.

1. NOn legitur Christus fleviſſe unquam supra alias civitates vel regiones, estò grandes e. g. supra *Samariam, Babyloniam, Cæsaream* &c. Sicut flevit supra *Hierosolymam.* Quia estò & in aliis civitatibus multa reperirentur peccata, quæ dabant Christo gravem doloris materiam, nullibi tamen tantum facinus perpetratum est, atq; Hierosolymis; nimirum *Christicidium.* & ubi maximus honor debuit illi exhiberi, ut potè in loco sancto, ab hominibus cultui Divino specialiter consecratis, ibi ei maxima injuria est irrogata: ac proinde hæc sola civitas tantum illi dolorem inflixit, ut etiam lacrymas ex imo corde elicuerit. Non patitur Deus tantas ab hominibus Ethnicis & secularibus, injurias, quantas à Christianis, Sacerdotibus, Religiosis, & cultui ipsius specialiter deditis. Magis dolet de horum, quàm de illorum peccatis. Unde queritur. (Ierem: 11.) *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Zach: 13. *Si inimicus homo maledixisset mihi, sustinuissem utiq;, & si is. qui*

qui oderat me, super me fuisset magna locutus, absondissem me forsitan ab eo; sed tu homo unanimis, & Pacis meæ, Dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, &c. Ps: 54. O anima mea, qualisnam es tu civitas? es quidem Hierosolyma statu & professione, ad cultum Dei specialiter deputata; sed vide ne occidas Christum. Vide ne supra te tangatur dolore cordis intrinsecùs; ne ei præbeas materiam fletûs & lacrymarum acerbarum. Magis dolent vulnera *Bruti* Clientis quàm *Cassii* extranei.

2. Estò Christus fleverit supra Hierusalem, tamen de illa supplicium sumpsit & quidem gravissimum, ut ostenderet, quòd Deus est quidem valdè misericors (quod indicant lacrymæ) & tardus ad puniendum; diu peccata hominum dissimulans propter pœnitentiam, sed etiam est justissimus, quod testatur horribile supplicium. Tardè quidem punit, sed fortiter & acerbè nimis. Quia vindicta DEi laneos pedes habet, sed manus ferreas, *in quas incidere horrendum est. ad Hebr: 10.* O anima mea, diu te Deus tolerat, diu tibi parcit ejus bonitas; sed vide, ne tibi per hoc *thesaurizes iram ejus in die iræ. ad Rom. 2.* Quo blandiùs te, ipsius misericordia nunc fovet, eò acerbiùs fortè justitia ejus postmodum feriet ac puniet. Ergo *noli altum sapere, sed time. ad Rom: 11.* Si enim ramis naturalibus, id est, Iudæis, ex quibus originem sumpsit, non pepercit; quomodo parcet sarmentis extraneis?

3. Quia vidit, impendentia civitati mala, flevit; nos quia nõ videmus, non flemus. ô si videremus innumera animæ nostræ mala, fleremus! Quamdiu infans latet in utero matris, non plorat; postquam in lucem prodit, luget. Ita quamdiu in utero ignorantiæ degit homo, non deflet mala sua; postquam ex ignorantia exit, lucemq; intuetur, & ad illam, mala sua considerat, lacrymas continere non potest. Ut in visceribus terræ, aquam reperias, necesse est, profundè ligone terram fodere; ita ut lacrymas compunctionis in anima tua sentias, opus est, ut profundâ consideratione, & præterita mala, hoc est, peccata, & futura, hoc est mortem, judicium, æternaq; tormenta revolvas atq; perpendas. *Memorare novissima tua & in æternum* non solùm *non peccabis*, (*Eccl: 7.*) sed etiam præterita deflebis peccata, eaq; ita delebis.

FERIA II.

Si cognovisses & tu, & quidem quæ ad pacem tibi.

1. MUlta homines in hac vita conantur addiscere; nam cupiunt scire artem bellandi, mercandi, medendi, jura tractandi, de cælis, Elementis, herbis disputandi, plurimaq; alia opificia callendi; pauci verò conantur addiscere artem Pacis acquirendæ, & habendæ: ut nimirum sit Pax inter bonam illarum voluntatem, & voluntatem DEi, inter illorum conscientiam & legem Divinam, inter carnem & Spiritum, inter animam & DEum. Ignorantia illa non est multùm damnosa; quia nocet tantùm in temporalibus, & privat solùm meliori esse transitorio; sed ignorantia posterior est plurimùm noxia; quia privat bono simpliciter, & commodo æterno; ne scilicet homo acquirat illam Pacem, in qua requiescat in æternum. Atq; hanc alteram ignorantiam Christus deplorat, ut ostendat, quanto conatu & studio, sit avertenda. Et ego cui rei magis studeo?

2. Est commune Axioma. *Omnis peccans ignorans.* Quia nimirum ignorat & malum culpæ, quanta sit ipsius enormitas,, fæditas, turpitudo, difformitas, & dissonantia, ad legem Dei æternam? Et malum pænæ; quàm acerba, quàm diuturna, quàm severè infligitur, pro peccato amisso! Nam si utrumq; hoc vel saltem alterutrum homo agnosceret, nullâ ratione resolveret se ad peccandum. Hâc utrâq; ignorantiâ laborabat Hierosolyma; nam nolebat agnoscere, quantum sit malum, odio Christum habere, eumq; persequi in fama, honore, & vita, pro eo, quòd ipsum debuit diligere, honorare, & omnibus modis venerari. Insuper nolebat agnoscere, quanta illam pæna pro eo crimine exspectaret! & in hac vita, horrendum illud urbis tam inclytæ excidium, Templi devastatio, populi servitus &c. in altera, æterna tormenta. Ergo ô anima mea, dum sese offert peccandi occasio, dum tentatio urget, disce sapere exemplo alieno; expende malitiam culpæ latentis in peccato, & malitiam pænæ secuturæ post peccatum; & dic: *Momentaneum est, quod delectat, æternum quod cruciat. Non emo tanti pœnitere.*

3.

3. Quidnam non cognoscebat Hierosolyma? *Messiam* & doctrinam ejus. Sed utiq; eum videbat, utiq; audiebat doctrinam ejus? Videbat, sed oculis duntaxat corporeis; audiebat, sed auribus tantùm externis. Quid illi defuit, quominus etiam spiritualibus oculis agnosceret Messiam? quominus internâ aure perciperet doctrinam ipsius? Utiq; habuit præstò auxilia gratiæ Dei illuminantis & excitantis, habuit præ oculis tot miracula à Christo patrata; intuebatur sanctam ipsius vitam, & mores ad omnem pietatis normam compositos? Sed inter Hierosolymitas & Christum, murus erat, qui ponebat obicem, ne eum agnoscerent. Ille murus de quo Isaias c. 59. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis.* Et David Ps: 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.* Hunc ergo murum, ut Christus dejiciat & amoveat, fundit lacrymas, tanquam validos tormenti globos; rogat Patrem, ut non respiciat ad illam populi malitiam, sed illi det auxilia gratiæ intensiora & validiora, quibus illuminati, agnoscant Christum, eumq; amplectantur, ament, honorent revereantur. O Domine *ne respicias peccata mea, sed respice in faciem Christi tui,* (*Ps: 83.*) & Matris ejus pretiosissimæ, plorantium pro me. O Domine gutta lacrymarũ tuarum cavet lapidem cordis mei. Filius lacrymarum sum, non potero perire.

FERIA III.

Et quidem in hac die tua.

1. OMnes quidem dies sunt Dei; habet enim supra illos *Dominium proprietatis;* nam ille *creavit solem & lunam;* ille cum eis concurrit, ad motus ordinatissimos; in quibus consistit ratio temporis. Vita tamen præsens est *Dies mea;* quia mihi Deus eam ad promerendum cælum indulsit. Sed repetet Deus istam diem à me, & evadet dies Domini; ait enim: *Ego cùm accepero tempus;* (*Psal: 74.*) quia rediget illud in suam potestatem, & tunc mihi *ingruet nox, in qua non potero quidquam ad meritum operari.* Ioan: 9. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum;* ad Gal: 6. Dum dies mea decurrit, bene illâ utendum est, ne de isto talen-

to Domini mihi concredito, sed sine lucro & fænore ad Dominum suum redeunte, arguar & puniar. Et quomodo hactenus illo sum usus? quomodo deinceps uti debeo?

2. Si homo in nocte nihil videat, non est mirum; sed si in media die caliget, & solem non videat, hoc demum est argumentum extremæ ac deplorandæ cæcitatis. Quid erat Christus prædicans doctrinam cælestem? miraculis & sanctitate vitæ eam confirmans? nisi media dies & sol meridianus, de quo ipse ait: *Nonné 12. sunt horæ Diei*, id est 12. Apostol. Et S. Ioannes. *Cap: 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem;* Et cap: 8. *Ego sum lux mundi. Ambulate dum lucem habetis, ut vos tenebræ non comprehendant. Ioan: 12.* Et tamen Iudæi, istam lucem non viderunt; quia *cæci erant & duces cæcorum. Mat: 15.* Nam malitia excæcaverat cor illorum; nimirum superbia, invidia, odium, rabies nocendi Christo & opprimendi nomen ejus. Et ego quàm multum cælestis luminis habeo! tot conciones, exhortationes, lectiones libri Spiritualis, tot illustrationes à Deo datæ, nonnè sunt media dies, lux meridiana? *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Psal: 147.* Videonè tamen in hac die mea? ah si viderem! quomodo toties impingerem, & in eosdem defectus relaberer? an non ambularem in via Dei rectè?

3. Debiles oculi magnam lucem ferre non possunt; unde illâ non solùm non fruuntur, neq; recreantur, sed etiam & excæcantur, affliguntur. Atq; tales oculi non sunt aquilarum, qui etiam meridianũ solem irretortâ palpebrâ contemplantur, sed vespertilionum & talparum. Tales non possunt appellari *Filii lucis, sed filii tenebrarum. Ioan: 12.* De talibus fortè dicitur: *Isaiæ 6. Excæca cor populi hujus, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Et, *qui malè agit, odit lucem &c. Ioan: 3.* Christus Eucharisticus est sol meridianus, quem toties tracto manibus, oculis intueor, ore manduco, & aliis manducandum porrigo. Sed quomodo solis hujus radii me illuminant? an non potiùs excæcant? videonè vivâ fide Christum præsentem? venerorné illum agnitum ùt talem? Ah! de quo tandem genere sum? aquilarumnè, an vespertilionum, vel talparum terram diligentium? Ad quam filiorum classem pertineo? Lucisnè an tenebrarum?

FE-

FERIA IV.

Circumdabunt te inimici tui vallo, &c.

1. VOx populi, vox Dei. Dixerant aliquando Principes Iudæorum: *Venient Romani & tollent gentem nostram & locum. Ioan: 11.* Quod illi dixerunt dubitativè, en hoc ipsum, licet aliis verbis, Christus prædicit assertivé: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Non sunt contemnenda monita conscientiæ ac effata & prædictiones hominum; multa enim cælesti spiritu afflati & è mente Dei loquuntur; unde vel corrigenda sunt, vel cavenda; nam ita plerumq; eveniunt, prout enuntiantur. Prout nos conscientia arguit ita arguet Deus.

2. Quod Hierosolymæ Christus comminatus fuit, hoc cuivis nostrûm metuendum est; quia cuivis certò eveniet. Sicut Hierosolymam *Titus Rom: Imperator*, circumdedit exercitu valido, vallo cinxit, commeatum omnem & aquæ ductus ademit, portas ejus cæpit, muros dissipavit, domos evertit & succendit, incolas partim excidit, partim in servitutem abegit; ita quemvis hominem Mors ingenti morborũ exercitu circumdat, tempus ei ad bene operandum præcludit, vires ad orandum & precandum Deum adimit, portas exteriorum sensuum occupat, totum robur hominis enervat ac eripit, corpus estò alioquin validum, febri succendit, vitâ & omnibus rebus spoliat, ac tandem ad terram, ad sepulchrum ita prosternit, ut nec vestigium hominis relinquat. Nemo hunc Imperatorem ejusq; exercitum evasit: nec ego evadam. Quare ergo tempestivè rebus meis meliùs non prospicio? quare ad illam tam arctam obsidionem, vitæ meæ emendationem differo? quare nunc, ita res meas non ordino, quasi tunc non meas, sed alienas futuras?

3. Bis Christus repetiit: *Circumdabunt te, & Circumdabunt te.* ut significaret, à duobus Imperatoribus *Tito & Vespasiano*, duplici quoq; septo cingendam Hierosolymam, nimirum vallo & muro; prout defacto evenit, tum deinde capta est ac devastata. Idem cuivis homini evenire solet, in supremo agone vitæ. Nam præ-

ter mortem cum exercitu morborum, veniet insuper alter Imperator, scilicet Diabolus cum terribili innumerabilium peccatorum exercitu, producet in medium anteactæ vitæ peccata, corde, ore, & opere, perpetrata, & omnia veluti phalanges ordinabit ac sistet oculis morientis. O! in quantis tunc erit angustiis misera anima, undiq; cincta perturbatione, timore, desperatione! *Quid sum miser tum dicturus, Quem Patronum rogaturus? O Castrorum acies ordinata* (Can: 6.) succurre tunc mihi. *S. Michaël Archangele defende me in hoc prælio. O turris fortissima nomen Domini* (Prov. 8.) te invoco, te appello JESU. *Omnis enim quicunq; invocaverit nomen Domini, salvus erit.* ad Rom: 10. *O cavernæ maceriæ* (Can: 2.) *vulnera Christi*, tunc abscondite me, intra vos tunc fugio, & latitare volo. *Intra vulnera tua absconde me, donec pertranseat furor tuus.*

FERIA V.

Eò, quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.

1. ORdinariè DEus intuitu peccatorum ab homine patratorum, subtrahit ipsius intellectui speciales suas illustrationes, & lumina cælestia, de quibus dicit Evangelium (*Ioan. 8.*) *Ego sum lux mundi.* Et Ioan: 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut vos tenebræ non comprehendant.* Speciales inquam seu singulares; nam ordinarias & communes, nulli denegat viatori, juxta illud Evangelii: (Ioan: 1.) *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Illis autem subtractis, ruit homo præceps de peccato in peccatum, tanquam equus indomitus & effrenis, donec corruat in barathrũ desperationis, ac ultimatæ finalisq; impœnitentiæ. Averte à me talem cæcitatem Deus meus. *Da mihi intellectum & vivam.* Ps: 144. *Illumina oculos meos, ut cognoscam tempus visitationis meæ.. ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus Princeps tenebrarum: Prævalui adversùs eum.* Ps: 12.

2. Adventus Christi in terram, ejusq; cum hominibus conversatio, Evangelii ac veritatum cælestium prædicatio tot miraculis comprobata, tot signis & documentis roborata, erat tempus visitationis Divinæ, de qua *Zacharias* in suo Cantico prophetavit dicens Luc: 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit*

tavit nos oriens ex alto. Non qualemcunq; misericordiam tunc Deus erga nos ostendit, quando nobis misit Filium suum, sed viscera misericordiæ; id est, imam, intimam, ac tantam, ut illâ majorem declarare non posset. Quia ergo illam, cæca Iudæorum malitia nolebat agnoscere, ideo super hoc vehementer dolet, ita, ut copiosas profundat lacrymas ex nimio sensu doloris provenientes, & gravem illis minatur Dei vindictam, horrendamq; cladem & supremum excidium. O anima mea, quando te Christus in Sacrosancta Eucharistia visitat, quando te suis insinuat visceribus, nonnè tibi pandit viscera suæ misericordiæ. Corpus suum cum tuo conjungit corpore, sanguinem suum cum tuo commiscet, animam suam tuæ agglutinat, cor suum cum tuo corde unit, totum se cum tua substantia compaginat, viscera sua tuis infundit visceribus. Agnosce tantam ejus erga te dignationem; ama, appretia, super omnia æstima. Alioquin time, ne, nisi agnoscas, gravem incurras indignationem.

3. Tempus præsentis vitæ nostræ, est tempus visitationis Divinæ. Sicut enim ille, qui locum aliquem visitat, non semper in eo dicitur habitare, sed solùm interdum, tunc scilicet, quando invisit; ita & Deus visitat nos modo; quia non semper dat homini auxilium speciale, quamvis commune & Generale ac sufficiens semper suppeditet, cum quo licèt te convertere possis, si nimirùm coneris, defacto tamen id non præstabis. Audi quid loquatur DEus (Amos: 4.) *Plui super unam Civitatem, & super alteram non plui. Pars una compluta est, & pars altera, super quam non plui, aruit.* Pluit nunc Deus super hunc peccatorem, & convertitur, in lacrymas resolvitur, de suis peccatis plorat. Non pluit super alterum, & obdurescit in malo, *computrescitq; ut jumentum in stercore suo.* Ioël: 1. Nam pluere vel non, illi est liberum; cùm sit dominus absolutus omnium donorum suorum; unde pro suo placito, potest de illis disponere, dando ea, cui & quando vult: *Spiritus enim ubi vult spirat.* Ioan: 3. Pluit etiam interdum super te, & in dulces liquescis lacrymas, resolveris gaudio spirituali, emolliris dulci compunctione. Subtrahit interdum salutarem influxum, & aridus ac desolatus evadis, cogerisq; cum Psalmista dicere: (Ps: 29.) *Ego dixi in abundantia mea, non movebor. Avertisti faciem tu-*

ciem tuam, & factus sum conturbatus. Observa ergo hoc tempus, illoq; studeas uti quàm optimè: *Particula bonæ diei non te prætereat.* Eccl: 14. *Ecce enim nunc est tempus acceptabile, nunc dies salutis.* 2 Cor: 6. Interdum tantùm aqua in Piscina Siloé, movetur; (*Ioan: 5.*) dum ergo movetur, descende, eaq; utere. Interdum JESUS penes arborem Sicomorum transit, teq; respicit & vocat; ergo illi cum Zachèo festinans obtempera. *Luc: 19.*

FERIA VI.

Ingressus templum, cæpit ejicere vendentes & ementes.

MAgna reverentia debetur templo, aliisq; locis sacris; hæc enim sunt peculiaris possessio Dei, quam suo honori reservavit. Licet enim Deus, ut potè Creator omnium, sit etiam Dominus omnium; juxta illud Ps: 23. *Dominus universorum tu es.* Et Ps: 23. *Domini est terra & plenitudo ejus;* Potuit ergo sibi servare dominium universorum, & nihil concedere homini; noluit tamen id efficere, sed quasi res universas divisit cum homine, dum sibi quædam servavit, suaq; dixit, reliqua homini concessit, ut eorum dominium ac possessionem haberet, eisq; pro libito uteretur: eâ tamen lege, ne illa in materiam peccati converteret, sed juxta leges, à Deo, præscriptas, eis uteretur. Atq; ita, totum tempus est sub dominio DEi; quia illud ipse educit è thesauris suæ Æternitatis, medio cælorum cursu. Cumq; omne tempus posset sibi usurpare, hominesq; obligare, ut illud universum, in ejus duntaxat obsequio insumerent, nihilominùs pro sua benignitate, servatis sibi paucis diebus, quos suos dixit, reliquos concessit homini, ut in eis, attendat suis commodis Simili quoq; ratione, in locis terræ, se habuit DEus; divisit enim terræ loca inter se & hominem; Licet enim tota terra sit Dei, tamen servatâ sibi aliquâ duntaxat ejus parte, in qua ipse coleretur, reliqua omnia concessit homini, ut coleret agros, plantaret vineas, domos ædificaret, conderet civitates. Hinc *Is: 31.* dicitur: *Dominus cujus ignis est in Sion & caminus in Hierusalem.* Quasi

dicat.

dicat: Sicut tu habes domum propriam, in hoc vel illo oppido, in qua possides focum & ignem; ita DEus habet suam habitationem ac domum, in Hierusalem & in Sion. Cùm ergo templum, aliiq; loci sacri, sint domus Dei, cultui & honori ejus consecrati, hinc magnam illis deberi reverentiam, ne in eis quidquam profanum exerceatur, tum internis tum externis actionibus.

2. Mirum sanè, quòd, etiamsi Deus in lege veteri præceperit, animalia in templum deferri, ut boves, oves, columbas, turtures, tamen modo ejiciat è templo, tales, qui hujusmodi animalia ibidem vendunt & emunt. Sed apparet ratio. Non eo fine præcepit Deus adduci in templum animalia, ut ibi venderentur ac emerentur, verùm, ut ibi mactarentur, & sic Deo in sacrificium offerrentur. *Quidquid agunt homines intentio judicat omnes.* Multum interest, quo animo & fine aliquid agatur. Ejusdem speciei actio potest esse virtuosa, & peccaminosa, laudabilis & vituperabilis. Deducere animalia in templum, ut ibi venderentur, ac emerentur, erat defectuosum ac vituperio dignum: deducere verò illa, ut illic sacrificarentur, & in cultum Dei occiderentur, virtuosum erat & laudabile. Bruti hominum appetitus, seri ac indomiti affectus, in Templo, in domo Dei, non sunt vendendi & exercendi, sed mortificandi, excoriandi, Deoq; sacrificandi.

3. Solent à Regibus constitui judices Limitum, qui apud nos dicuntur *Succamerarii*, ad quos spectat, fundos dividere, & suam unicuiq; tribuere possessionem, injustè ablata prædia, ac malè divisos fundos propriis restituere Dominis. Ita nunc Christus agit Judicem Terminorum; expellit è templo negotiatores, venditores, emptores; ostendens, non ad illorum dominium & possessionem, templum pertinere, sed ad Dei, dicensq;: *Domus mea, domus orationis est*, non negationis; cultui Dei dicata, non profanis negotiis, *auferte ista hinc*, & cujusq; terminus servetur. *An nescitis, quia corpora vestra sunt templa Spiritus S.* ait Apostolus. ad Cor: 6. Si ergo è sententia Christi, nefas est, templum Dei mortuum, & quodq; tantùm erat figura Templorum nostrorum, cõvertere in usus profanos, non compotationis, aut alicujus lasciviæ, sed neq; negotiationis, rerum ad usum sacrificiorũ, cultumq;

Dei

Dei spectantium; quantum erit nefas, in templo vero, quod sanctificat præsentia Christi Eucharistici, aliqua profana tractare negotia! Quantum piaculum erit, in templo vivo, quod est corpus nostrum per vota religiosa Deo dicatum, exercere aliquas actiones, non jam profanas, sed lege Dei graviter prohibitas, & ex se peccaminosas! Quantus pudor erit audire Christum exprobrantem: Mat: 21. *Domus mea, debuit esse domus orationis; tu autem fecisti illam spelunçam latronum!* Corpus tuum debuit esse habitaculum Spiritus S. tu autem fecisti illud speluncam lasciviæ, sensualitatis, curiositatis, immunditiæ, impudicitiæ! Oculus tuus debuit esse sacellum modestiæ & pudoris, tu autem illum fecisti fanum libidinis! Lingua tua, debuit esse sedes prudentiæ, zeli, tu autem illam fecisti receptaculum iniquitatis!

SABBATO.

Cæpit ejicere vendentes & ementes, dicens: Domus mea &c.

1. Quâ ratione Christus de templo ejecerit vendentes & ementes, innuit alter Evangelista Ioan: c. 12. *Cùm fecisset, inquit, quasi flagellum de funiculis.* Non deferebat Christus flagellum, sed modò illud confecit ex funiculis illorum, quos castigavit; nam illi deferebant funiculos, quibus merces suas & animalia ligarent. Funiculi in S. Scriptura significant, cogitationes, consilia, studia, inventiones, intenta hominum. juxta illud *Psal. 13. Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam, & funiculum meum investigâsti.* En hic, idem est funiculus, quod cogitationes, intentiones, studia, consilia, intentiones; Et Isai: c. 5. ait: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* In funiculis vanitatis iniquitas trahitur, quando vanæ cogitationes, intentiones, ac studia, eò usq; perducuntur, ut opere compleantur. Et *Psal. 13.* ait: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Ex his ergo funiculis Deus parat contra peccatores flagellum. Pravorum consilia, quæ sunt contra Deum, in ipsos, Deus retorquet. Putat bombix, quia sibi construit domum pulchram, blandam, commodam; eò quòd illam

illam parat ex serico, quòd ex imis educit visceribus; ecce verò conficit sibi sepulchrum in quo inclusus emoritur; ita peccator, dum sese eviscerat, ad comparandas divitias, commoditates, honores, dum putat se, in his omnibus, reperturum suam quietem, solatia, beatitudinem, ecce verò reperit inquietudinem, afflictionem, tribulationem: atq; ita è suis funiculis parat sibi interitum; ejicitur à facie Dei, é templo cælestis Hierusalē.

2. Mitissimus quidem erat *Moyses* super omnes homines, qui habitabant in terra, ùt ait S. Scriptura; *(Num: 12.)* sed mitior illo fuit Christus, qui ait (Mat: 11.) *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*; ideoq; appellatur Agnus, quo nihil apparet mitius. Ecce verò hic agnus mutatur in leonem, hic mitis convertitur in severum, dum mensas subvertit, æs effundit, homines flagellat, animalia procul abigit, ementes & vendentes violenter ejicit. Quid causæ fuit, quòd eâ Christus irâ fuerit concitatus? Ex eo, causa debet colligi, quòd ejus discipuli hoc factum videntes, dixerunt: ùt refert Ioan: c. 2. *Recordati sunt discipuli, ejus, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.* Sed quid sibi vult? *Comedit me.* Sanè qui comedit cibum, includit eum intra se, eumq; in se convertit, & naturam cibi mutat in naturam suam. Ita nunc, Zelus Christum dicitur comedisse; quia cùm ille naturâ suâ, sit mitis & misericors, peccata hominum fecerunt, ut zelus eum comederit, ac proinde misericordem Deum intra se incluserit, ejusq; dulcedinem in crudam severitatē converterit, ac illum in acerbum commutaverit vindicem. Sicut enim cùm ignis ligna devorat, convertit ea in carbones ignitos, scintillis & flammis erumpentibus inde, gravidos; ita zelus Christum convertit in ignitum carbonem, ex quo erumpunt in prævaricatores, scintillæ indignationis, & flammæ vindictæ iræ. Noli ergo ô anima mea, *thesaurizare tibi iram Dei in die iræ. Rom: 2.* Iam satis superq; materiæ præbuisti Deo ad iram; tempus est, non augendi illam per nova & nova peccata, sed evacuandi per seriam pœnitentiam.

3. Queritur Deus contra Peccatorem Isaiæ 43. *Servire me fecisti in peccatis tuis, laborem mihi præbuisti in iniquitatibus tuis.* Qua ratione dicit: *Servire me fecisti?* Certè eâ, quia Deus dum punit

 pecca-

peccatorem pro suis delictis, servum agere videtur. An non servile munus est? flagellum parare, delinquentes eo plectere, nocentes ejicere, animalia abigere, mensas subvertere, æs effundere, & per pavimentum spargere. Facimus ergo illum servire, cùm illum vindicem & peccatorum nostrorum efficimus punitorem. Sed quo pacto ei laborem præbemus? Certé cùm talia agimus, quæ genio nostro arrident, & naturæ conveniunt, non dicimur laborare, sed potiùs delectari: cùm verò ea præstare cogimur, quæ nollemus, & quæ nostro haud conveniunt ingenio, tunc demùm laborare dicimur; Ita ergo & Deus loquens more hominum, ait: *Laborem mihi præbuisti in iniquitatibus tuis.* Quia me cogis, ut te puniam, ac ultionem de te sumam; quod à natura mea est alienum. Verificatur de Deo illud, quod Ps: 17. ait: *Cùm perverso perverteris.* Quia, ùt ait *Hieronymus: qui mitis & benignus est, cujus natura, clementia & bonitas, nostrorum peccatorum cogitur causâ, personam, quam non habet, crudelitatis assumere.* juxta illud Iob c. 30. *Mutatus es mihi in crudelem.*

DOMINICA X.

POST PENTECOSTEN.

Dixit IESVS ad quosdam, qui in se confidebant, tanquam justi, & aspernabantur cæteros, parabolam istam. Lucæ 10.

IStA vox: *Quosdam* non significat aliquid certum ac determinatum; sed significat Individuum vagum ac indeterminatum, nimirum superbum; Quia homo superbus & arrogans, est individuum vagum, non sistit in se, ut se, suamq; miseriam consideret, ut nimirum corrigat, quod sibi deest, vel vitiosum est, sed se omisso vagatur per alios, defectus illorum cõtemplando, seipsum illis præferendo. eosq; tum apud se, tum apud alios despiciendo: Cùm tamen illi toties occinatur: *Nosce teipsum.* Vide ipse, qualisnam sis? quòad corpus ejusq; sensus? quòad animam ejusq; potentias? quàm multi sunt te robustiores,

sliores, ingeniosiores, meliori judicio præditiores &c. quòad mores, quòad doctrinam, quòad alia talenta &c. Ille è contra &c. Quia sicut Mater omnium virtutum est Humilitas; Humilitatis verò Mater est notitia sui; ita Mater superbiæ est ignoratio sui; Superbia verò est Mater Contemptus aliorum.

2. Bene omnino dictum, quòd *simulata Pietas sit duplex iniquitas.* Nam ille, qui habet fictam Iustitiam, & est *tanquam justus*, duplicem habet ordinariè iniquitatem. Vnam, quòd seipsum magni faciat, suisq; viribus ac dotibus multùm fidat; Alteram, quod alios despiciat, flocci pendat, ac eorum talentis parum aut nihil tribuat. Et quamvis revera in se sit plenus vitiis, & longè deterior aliis, tamen assumit virtutis larvam, sub qua, alios tantò securiùs despiciat. Quid igitur fit? ordinariè illi Deus larvam deponit, detegit ipsius peccata, vel finit illum in grave aliquod & publicum facinus labi, ut appareat ipsius turpitudo & malitia; ut non habeat prætextum, sub quo alios contemnat, sed fiat sicut cæteri. *Implet Deus faciem ejus ignominiâ*, ut quærat nomen ipsius, & seipsum agnoscat, quòd sit homo.

3. Quare illis manifestam veritatem non dicit? quare oculos clarè non aperit? errores non detegit? sed solùm per Parabolam loquitur? Ut ostendat, quòd difficile sit, tales apertè arguere, adeoq; corrigere, qui, estò sint mali, tamen se malos non ostendunt, sed serpentem contegunt, & apparent tanquam justi, quamvis non sint in re ipsa. Atq; talium status est valde periculosus; sunt enim ferè insanabiles; quia destituuntur à speciali protectione Dei. Nam talibus fit illa comminatio: (*Apoc. 3.*) *Utinam aut calidus aut frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Talium medicina non alia est, nisi gravis aliqua ruina. Tales enim sunt veluti Hectici, qui sani videntur, & interim febri interiore consumuntur, ac repente pereunt.

FERIA II.

Duo homines ascenderunt in Templum ut orarent.

1. ITa plerumq; fit, ut quando homines conferunt se ad templum, orandi causâ, solo corpore intrent limina templi, &

secundùm exteriorem duntaxat figuram videantur orare: sed animâ, vel domi degunt, vel in foro, aut platea, aut alicubi peregrè versantur; negotia profana & secularia mente volvendo. Atq; de talibus DEus (*Mat: 15.*) queritur: *Populus hic, labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Talium oratio non ascendit ad Deum, nec impetrat quidquam; quia est mortua; nam caret animâ, scilicet attentione, reverentiâ, ac devotione. Ut ergo mea oratio ascendat ad cælum, habeatq; accessum ad thronum DEi, ac impetret, quod optat, necesse est, ut & corpore & animâ me ad illam applicem, Corpore quidem per exteriorem reverentiam, genu flectendo, manus jungendo, oculos demissos gerendo; mentem verò à terrenis rebus avellendo, & sursum ad Deum elevando, pluris faciendo alloquium Dei, quàm nescio quas curas temporales.

2. Promptiores communiter sunt homines ad tractanda negotia secularia & terrena, quàm ad Divina & cælestia. Majori studio & frequentiâ, adeunt curiam mundanorum Principum, quàm Aulam & curiam Dei. Curia *Pilati Præsidis* integras circa se numerabat cohortes; præter frequentissimum populum, qui eam vel circumstabat, vel intrabat propter agenda, in judiciis, negotia sua. Aula *Herodis*, integris plena erat tum aulicorum tum militum exercitibus. Domus Pontificia, perpetuo fluxu & refluxu variorum hominum gaudebat. Templum autem Salomonis, esto fuerit amplissimum & magnificentissimum, tamen duo duntaxat homines dicuntur adiisse orationis causâ; idq; cum lucta quadam & arduitate, quia ascenderunt, quasi inviti, & cum difficultate, se à terra ad cælum, à sua domo ad templum elevantes. In me qualis est promptitudo? quale studium ad obsequium & cultum Dei? an non magis me impendo transitoriis & terrenis actibus? Dum agitur de captando alicujus Principis favore, quàm accurata solicitudo! ut inveniam gratiam in oculis Dei, quàm remissa opera!

3. Duo ascenderunt ad orandum in Templum, sed diversæ conditionis homines. Unus Pharisæus, & alter Publicanus. Ille vir Religiosus, & cultui Divino specialiter consecratus, hic autẽ Telonio, congregandis, per fas & nefas, pecuniis addictus, totus

in

in avaritia demersus. Quis non putâsset, Pharisæum oraturum fuisse religiosè & juxta suum statum? Publicanum verò secularitèr, & prout dictabat ratio status? Et ecce è contra evenit! Publicanus orat humiliter, attentè, devotè; nam stat à longè, non audet levare oculos in cælum, sed eos defixos humi tenet, se solùm & peccata sua respicit, ideoq; misericordiam Dei implorat. Pharisæus autem orat quidem, sed arroganter, distractè, remissè; nam stat propè sanctuarium, liberè respicit non tantùm sanctuarium, sed etiam Porticum, in qua Publicanus à longè orabat. Non recogitat peccata sua, sed solùm benefacta sua, eaq; recensèt; præfert se aliis; veniam peccatorum, quibus quilibet homo est obnoxius, non rogat, nihil sibi deesse quòad justitiam putat. Et meæ orationes quales coram Deo? suntnè juxta statum Religiosum? an illas non confundent orationes artificum anicularum, mendicorum? qualis in me reverentia, attentio, devotio? & qualis in illis? Væ mihi peccatori! Væ justitiis meis!

FERIA III.

Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, Gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum &c.

1. MOres & actus externi, sunt index animi & cordis. Est *vultus testis, quales intrinsecùs estis.* Pharisæus ille erat intùs elati animi, sublimiter de se sentiens ac multùm præsumens, alios verò superbâ mente despiciens. Ergo id non solùm verbis prodit: *Non sum sicut cæteri, raptores, injusti, adulteri, &c.* Sed etiam habitu corporis exteriori; siquidem in illa sua oratione, non inclinato capite flexit, sed erecta cervice stabat. Modestia exterior non solùm hominibus placet, sed etiam Deo. Et è contra, immodestia ac irreverentia præsertim in actionibus ac functionibus Divinis, non solùm Deum non placat, sed etiam irritat & exacerbat. Nonnè canis præsente leone, nonnè mus præsente fele tremit?

2. Multùm hîc Pharisæus aberravit; nam contulit se ad tem-

plum orationis causâ, eratq; oraturus apud Arcam Dei, apud Sanctuarium, Propitiatorium &c. quod illi repræsentabat majestatem DEi; ille autem redit ad seipsum, & orat apud seipsũ. Quia nimirum illa sua bona opera, Jejunia, Eleemosynas, Decimas &c. contemplabatur, tanquam numina, in iisq; summè sibi complacebat, multumq; illis confidebat. Ad hoc autem, quod præ oculis habuit, non attendebat, abreptus ad sua idola, sicut nimiâ complacentiâ, ita nimiâ illorum æstimatione ac prædicatione. Etiamsi aliquid boni egero, non est, in quo mihi complaceam. *Iustitiæ meæ coram Deo, tanquam pannus menstruatæ,* (Isaiæ 64.) undiq; sensibus & immunditiis scatent. *Væ etiam laudabili apud homines vitæ, si eam Deus, remotâ misericordiâ discutiat.* Si Pharisæus non fuisset intùs abreptus ad veneranda suorum operum idola, vidisset Cherubinos expansis alis cum omni reverentia stare ad Arcam Dei, & ille quoq; ab eis didicisset reverentiam in orando. Et mihi illorum Sanctorum, imagines, quas præ oculis habeo, quale addunt incitamentum, ad virtutem & pietatem sectandam!

3. Temeraria de aliis judicia sunt nobis valde periculosa & damnosa; dum enim alios censuramus, despicimus, damnamus, eo ipso, à Deo censuramur, despicimur damnamur; majusq; propter alios detrimentum ipsi patimur, quàm eis inferamus. Quid enim aliis, meæ censuræ, & despicientiæ nocent? Dei autem censura, & despectus ô quàm intolerabilis mihi est! O anima mea, memento istius formidandæ censuræ, ac despectionis de te, à Deo ferendæ, & cave, ne alios temerè judices. *Qui stat, videat ne cadat;* (1. Cor: 10.) *Et qui cadit, Domino suo cadit; ad Rom: 14* potens est autem Deus illum erigere; sicut me, si sto, stantem prosternere, subtrahendo mihi auxiliarem manum, & sic me in statu perditionis relinquere. Censuravit Pharisæus cæteros, etiam Publicanum, atq; posthabuit, & ecce à Deo ipse censuratus, & Publicano est postpositus!

FERIA IV.

Veluti etiam hic Publicanus.

1. HOc est ingenium Hypocritarum, & iniquorum; Colo-

res

res virtutum suarum potentiores reddere umbris defectuum alienorum. Aperire Errata aliorum, ut suam probitatem venditent. Pro scabello alios supponere ac deprimere, ut per calcata illorum colla, fastuosum gloriæ suæ equum conscendant. Nolim ego per diminutionem aliorum, ipse crescere; nolim per aliorum ruinam, in sublime attolli. Si sunt aliqua bona in me, multò plura in aliis reperiam; modò velim attendere; nec me amor proprius obnubilet. Si autem sunt aliqua mala in aliis; multò in me plura reperiuntur, aut reperiri possunt. *Si odisti fratrem, levia ejus objicis, quàm facis S. Augustl*: Nullum enim peccatum est, quod fecit unus homo, quod non possit facere alter homo, si illi tantillum de manu auxiliari subtrahat Deus.

2. Magnæ dementiæ argumentum est, insultare pereunti proximo, si ipse, eidem pereundi periculo, sis obnoxius. Si enim una ex duabus navibus per mare tempestuosum navigantibus, jam jam absorberetur fluctibus & mergeretur, interim alia illuderet ejus periculo, amens profectò esset! cùm non insultare, sed condolere deberet, ac valde metuere, ne idem casus eidem contingat. Absorbebatur magnis gravium peccatorum fluctibus Publicanus, & jam propè in barathrum inferni demergebatur; Videt hoc Pharisæus, non condolet, non compatitur, sed insultat; & ecce ipse damnationis barathro, in momento absorptus est! Publicanus autem è gurgite illo fatali emersit. *Vera sanctitas alieno lapsui non insultat, sed compatitur* ac dicit: *Quod illi hodie, mihi cras.*

3. Non postremæ virtutis indicium est, vicinum quamvis vitiosum æquanimiter ferre, & cum illo in concordia vivere, ita, ut non solùm bona fortunæ illum concernentia non invadas, sed etiam famam ipsius, & honorem, salva ac integra conserves, & absentibus non detrahendo, & multò magis præsentibus contumelias non irrogando. Nam hoc malum, præ illo, est longè gravius: & ordinariè non abit impunè; nam estò unus alterve vicinus toleret hanc injuriam, tertius tamen, vel saltem decimus vindicat, & injurianti tum pro se, tum pro aliis injuriatis abundè compensat & solvit. Caruit hac virtute Pharisæus; nam cum vicinis malè conveniebat. Hinc & absentium mores carpit, & præsenti Publicano in faciem vitia exprobrat, honoriq; ipsius

contumeliam irrogat. Unde quamvis ab illis, quorum absentium vitam rodebat, non est repassus, tamen propter præsentem Publicanum, contumeliâ lacessitum, in tribunali Divino damnatus est.

FERIA V.

Publicanus autem à longè stans, nolebat nec oculos ad Cælum levare.

1. STat à longé Publicanus; ut ostendat, se per peccata, longé à Deo recessisse; qui enim peccat, elongat se à Deo, juxta illud: *Longé à peccatoribus salus. Ps: 118.* Et Filius prodigus, peccando, dicitur *in Regionem longinquam abiisse. Lucæ 15.* Nam non tantùm distat Cælum à terra, quantùm Deus à peccatore; non intervallo locorum, sed dissimilitudine gratiæ & amicitiæ. O dissimilitudo nunquam satìs deploranda! O similitudo, omnibus modis, etiam vitâ & sanguine comparanda! *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Ps: 33. *Appropinquate Deo per seriam contritionem, & ille appropinquabit vobis per dilectionem.* Iac: 4.

2. Corpore quidem à longè stabat, propter verecundiam, pudorem & timorem, reputando se indignum, ut propiùs accederet ad latus & faciem Dei, utpotè delictorum suorum conscius, quæ illi timorem incutiebant, & omnem adimebant audaciam. Nam estò sciebat Deum esse valde bonum & misericordem, simul tamen apprehendebat justum ac tremendum in suis judiciis; unde metuebat ad illum accedere. Corpore inquam à longé stabat, sed animâ & spiritu, Deo appropinquabat; sed corde & mente ad thronum Dei accedebat. At quibus gradibus & passibus? Quia à longè stabat; quia oculos in cælum levare non audebat; quia pectus suum percutiebat; quia se peccatorem agnoscebat; quia misericordiam Dei implorabat; quia sibi ipsi attendebat; quia aliorum se censurantium & condemnantium respectum non habebat, sed solius DEi.

3. Ita plerumq; fieri solet, ut quando unus homo intuetur alium, & oculos suos, in ejus etiam oculos ac faciem defigit, ille

alius, oculos suos avertat ab intuente; quando verò intuens, oculos vel demittit vel aliò avertit, tunc ille alius oculos suos ad eum convertit, eumq; contemplatur. Usus est hac arte Publicanus erga Deum. Nolebat Cælum aspicere, ut aspiceretur à Cælo; non audebat oculos levare ad thronum Dei, ut DEus oculos suos in eum converteret, prout defacto convertit. Discam modestiam oculorum, ne eos defigam in oculos aliorum.

FERIA VI.

Non audebat nec oculos in cælum levare.

1. PRæ pudore & confusione non levabat oculos ad Cælum. Egregia profectò scientia est, *Scire erubescere* & cognoscere causam, ob quam homo debeat potissimùm pudore affici, nimirùm ob peccatum. Nam defectus naturales, ùt cæcitas, surditas, deformitas corporis, non sunt tantoperè justa causa erubescendi; quia horum omnium ipse Deus est Author; ipse fecit hæc, optimo fine sibi noto. Sed morales defectus, seu peccata, hæc demum sunt justa & unica erubescendi materia! Væ illis, qui frontem perfricuêre! eaq; perfrictâ, non faciunt peccandi finem! *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*, ait Ierem. *c. 3.*

2. Non audebat oculos ad Cælum levare; quia se illo reputabat indignum, sed eos in terram defixit; tum ut esset memor suæ vilis Originis, quòd de terra productus & formatus sit, ac in terram brevi convertendus, & tamen, cùm tam vilis esset, ausus fuit insurgere in Deum, ejusq; mandata prævaricari. Tum ut expenderet supplicium peccatis debitum, quòd scilicet meruerit, ut non solùm in sepulchro à vermibus & putredine consumeretur, sed etiam in inferno, qui est intra viscera terræ, igne sempiterno torqueretur.

3. *Percutiebat pectus.* Tum ut cor lapideum contereret, vel contritum jam signo externo monstraret. Tum ut percussione istâ latens in corde peccatum castigaret aut expelleret. Tum ut Deo per indulgentiam & gratiam ad se venienti portam aperiret. Tum ut pulsaret cælum & reseraret juxta illud: (Luc: 17.) *Regnum Dei intra vos est.* Tum ut obsessam à Dæmone arcem pectoris

ris arietaret, expugnaret, ac per deditionem Deo traderet. Tum ut cor suum quasi dormiens à lethargo peccati excitaret. Tum ut scintillas Amoris Divini, ex silice sui pectoris eliceret.

SABBATO

Descendit hic justificatus ab illo.

1. PRæceperat olim DEus per Moysen (*Exod: 23.*) *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Qui enim vacuis coram Deo manibus comparet, vacuus etiam revertitur; qui autem cum plena muneribus manu, liberaliùs à Deo remuneratus regreditur. *Euntes ibant & flebant,* ait Psaltes, (Ps: 125) *mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos.* Quia nimirum manus Dei est fertilissimus ager, cui semina concreduntur, qui tempore suo reddet fructum centesimum, immo millesimum. Pharisæus coram DEo apparuit vacuus; nullum enim munus oculis Dei dignum attulit. Sed solùm stetit tanquam *vas tinniens,* & vanam gloriam personans. Iam verò Publicanus obtulit munera digna Deo, verecundiam, timorem, humilitatem, cor contritum & humiliatum, spem ac fiduciam in misericordiam DEi, confessionem peccatorum, patientiam, contumelias Pharisæi æquo animo ferebat; talem se agnoscebat, qualis à Pharisæo publicabatur. Unde ille vacuus, hic autem veniâ peccatorum, justificante gratiâ, & favore Dei cumulatus, domum revertitur cũ Iubileo; quia implevit conditiones ejus. Verificatum est in illis, quod *Beatissima* cecinit: (Luc: 1.) *Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Repudiavit Deus *Caimum,* cum suo fastu & arrogantia, respexit ad *Abelem* & ad munera ejus. *Gen: 4.*

2. Nolebat Deus offerri sibi in veteri testamento Aquilam, milvum, & Gryphem; imò nolebat hæc animalia manducari à populo suo, tanquam immunda. Passerem autem, columbam, ac turturem non respuebat, imò offerri sibi præcipiebat. Pharisæus ille erat Aquila sublimè volans per altam de se opinionem, per vanam gloriam, & jactantiam bonorum operum, per despicientiam cæterorum; erat Milvus & Gryphs, per injuriationem

tũm

tùm cæterorum, tùm præcipuè Publicani, quem & in fama & in honore lædebat, dum ei in faciem vitia exprobrabat. Publicanus autem erat veluti *Passer solitarius sub tecto*, (*Psal: 101.*) à longè stans, veluti columba & turtur, gemens pro suis peccatis, eaq; deplorans, igitur Deus illum repudiavit, hunc acceptavit.

3. *Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Mat: 3. *Filios Regni ejicit*, advenas autem & exteros adoptat in filios. Conterit multos & innumerabiles, & alios facit stare pro illis. Sic pro superbis Angelis, humiles ex humo creatos homunciones elegit; pro elato *Saule*, *Davidem* pusionem; pro Iudæis, Gentes; pro *Iuda* Proditore, *Matthiam*; pro Pharisæo Publicanum. Et mihi timendum, ne me tanquam inutilem arborem, tanquam elatam Cedrum, sed nullum fructum, nisi umbram, facientem, exscindat & in locum mêi plantet humilem olivam, sed fructiferam. *Securis ad radicem posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur.* Luc: 3.

DOMINICA XI.

POST PENTECOSTEN.

Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem. Marci 7.

1. NOluit Dominus longam trahere moram in Regionibus Gentilium, nec eas profundè intrabat, sed solùm in finibus earum aliquantùm degebat, idq; confestim revertebatur, ne daret occasionem scandali Iudæis, ut eum existimarent ac traducerent, tanquam transgressorem legis prohibentis, ne Iudæi còûterentur Gentilibus, eorumq; familiaritati & conversationi indulgerent. Nos admonuit, ut maximè fugiamus, ne demus aliis occasionem scandali, & dum versamur inter seculares, ne ilis nos valde communicemus, sed in finibus tantùm, libando eorum conversationem, sed non saturando nos illâ, neq; ingurgitando, ne fortè inficiamur.

2. Quare Dominus non prædicet Evangelium Tyriis & Sido-

niis, sed solùm de finibus illarum exiens, transit per horum Regionem? Quia nimirum Tyrus & Sidon fuerunt Civitates maritimæ, negotiatorio portu celebres; unde ipsarum cives & incolæ nimium erant dediti negotiationi ac mercaturæ, toti ad lucra, merces, pecunias, ad modos emendi ac vendendi effusi. Vidit illos Christus ineptos capiendo verbo Dei, nolebat ergo *projicere margaritas ante porcos, (Mat. 7.)* nolebat bonam sementem salebrosæ terræ committere, aliò transtulit opus prædicandi Evangelii, ubi major affulgebat opportunitas. Non est immergendus animus negotiis & curis mundi, ne reddar ineptus ad capienda & tractanda Divina. Quærenda opportunitas loquendi spiritualia, *ne effundam sermonem, ubi non est auditus; Eccl: 32.* alioquin littus arabitur, & secùs viam semen spargetur.

3. Non æqualiter se suaq; beneficia DEus communicat hominibus; nam aliis plenâ manu; aliis, extremis duntaxat digitis ea largitur. Iudæis & Israelitis totum se communicabat, inter illos manebat perpetuò, coram illorum oculis, innumera patrabat miracula, multas eis doctrinas, & vitæ exempla quotidiana dabat; Gentilibus autem, Tyriis ac Sidoniis, aliquid sûi impertiebat; nam fines illorum tantum attigit, per transennam & obiter habuit se ad illos. Fortè ut illi essent inexcusabiles, hi autem minùs damnabiles. Et mihi ô quantùm se Deus quotidie communicat! & quomodo ex ejus beneficiis proficio?

FERIA II.

Adducunt ei Surdum & Mutum, & deprecabantur illum, ut imponat illi manum.

1. ILli, qui ad Christum adduxerunt Surdum & Mutum, ipsimet fuerunt bene audientes & loquentes; unde ipsi sani, hoc obsequium infirmo præstiterunt. Si volo ad Christum adducere surdos & mutos, hoc est, peccatores, debeo ipse timere Deum & audire vocem ejus: alioquin conatus meus erit frustraneus; & unâ manu adducam homines ad Deum, alterâ verò repellam.

2.

2. *Quis Surdus*, ait Deus per Isaiam Prophetam, c. 42. *nisi ad quem nuntios meos misi.* Quot remorsus conscientiæ, quot inspirationes, quot illustrationes, quot Conciones, quot lectiones libri spiritualis, quot internas admonitiones habeo, tot nuntios mittit ad me Deus, qui me avertunt à malo, & impellunt ad bonum, qui me arguunt de vita præterita, ut illam defleam, & admonent de futura, ut illam aliter instituam. Obsequornè his nuntiis? exequornè monita illorum. An non surdus dici debeo?

3. Non satis est, ut adducam ad Christum Surdos & mutos, verbo & exemplo, bonis colloquiis & probis moribus; necesse est, ut etiam pro illis orem Deum, quatenus illos illuminet, visitet, & ad se efficaciter pertrahat. Hæc enim est specialis meæ vocationis obligatio; ad hoc sum ad Religionem vocatus, & Sacerdotio initiatus, ut mediem inter Deum & homines, eosq; illi reconciliem. Eo fine, fundata sunt collegia ac Domus religiosæ; ut pro peccatoribus, præsertim iis, à quibus beneficia accepimus, oremus Deum. Sic *S. Stephanus* lucratus est Deo *Saulum* sic *Ambrosius* & *Monica Augustinum*; sic *Martinus Briccium* &c. Sed ah quomodo ego Deum orabo pro aliis, qui pro meipso nescio, vel negligo illum orare! nec sum dignus, ut in meis necessitatibus exaudiar, vel ad illum recurtam, tot offensarum in eum admissarum conscius!

FERIA III.

Et apprehendens eum de turba seorsum &c.

1. Sicut Christus, ut sanaret corporalem hominis infirmi surditatem & loquendi defectum, inprimis illum eduxit de turba, in locum solitarium, & remotiorem à tumultu; ita ut ego, spiritualem animæ meæ surditatem, quâ obsurdescit ad audiendas Divinas inspirationes, & mutam inertiam, quâ in orando Deo laborat, persanare possim, necesse est, ut violentiam mihi ac sensualitati meæ faciam, & secedam à turba vanitatum mundanarum, sensus meos, oblectantium, ut me subducam à strepitu passionum & pravorum habituum perversorumq; affectuum, & recipiam me intra me; ut *ducam animam meam in solitudinem*, &

tunc *ei Deus loquetur ad Cor. Oseæ 2.* Taceant ergo mihi deinceps, mi Deus, omnes Creaturæ? nolo cum illis conversari; nolo eis oblectari; tu solus mihi loquere, *ecce audit servus tuus.* 1. Reg: 3.

2. Quare Christus non in oculis hominum, sed remotis arbitris & spectatoribus, in loco secreto, sanat surdum & mutum. Utiq; hoc miraculum erat grande? adeoq; dignum, quod aspiceretur ab hominibus, & ob quod, Christus debitam referret laudem? Ut ostensionem, & vanam gloriam à longè fugeret, nosq; admoneret, quòd opera nostra debeant quidem ex se laudabilia & glorioſa esse, at non debemus nos optare, ut ex eis laudem & honorem actu capiamus, sed solùm attendere, ut homines, illa videndo, ædificentur *& glorificent Patrem, qui in cælis est; qui videt in abscondito, (Matt: 5.)* si quid boni in oculis & propter oculos ejus agamus. *Si enim,* (ùt ait S. Chrysostomus) *dignus fueris agere aliquid, quod Deo placeat, & adhuc præter hoc ipsum, quod placere merueris, mercedem requiris, verè nescis, quantum boni sit placere Deo.*

3. Non solùm in publico per conciones & exhortationes, sed etiam in privato per confessiones & colloquia salubria, possumus Deo lucrari homines; & quidem cum obstinatis durisq; peccatoribus, non in præsentia hominum, sed separatim ac remotis arbitris agendum de salute, vitæq; emendatione; nam tunc sunt capaciores doctrinæ cælestis, dum non impediuntur à rubore externo, & aculeos conscientiæ faciliùs suscipiunt. Vide ergo, ut munus audiendi confessiones, & privatim loquendi cum aliis, valde æstimes, habeasq; in promptu, quænam proximis tuis instilles.

FERIA IV.

Misit digitos in auriculas ejus, & tetigit linguam ejus, & suspiciens in Cælum, ingemuit.

1. NOn unum digitum immisit in auriculas surdi, sed duos; non solo digito tetigit linguam muti, sed imbuto Salivâ; ut sanaretur; quià estò unus & siccus digitus sufficeret, tamen volebat speciale aliquid, tali modo agendi exprimere. At quid-

nam

nam illud? Dum Deum oramus, loquimur ad Deum, & non sumus muti, dum verò libros salutares legimus, & audimus conciones monita spiritualia loquitur nobis Deus, & non sumus surdi. Si ergo illa negligamus, jam profectò & surdi & muti sumus. Ut ergo hæc surditas & impedimentum linguæ tollatur, atq; sanetur, non qualicunq; Gratiâ Spiritûs S. qui est *digitus Dei*, sed copiosâ, sed multiplici opus est; humor devotionis est necessarius.

2. Ut ergo hæc dentur, docuit nos Christus, quidnam sit faciendum? Suspiciendum est in cælum; quia inde petendum est omne remedium. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Iacob: 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Ps: 120. *Ad te levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.* Ps: 24. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Ps. 122. Et non quomodocunq; suspiciendum, sed cum gemitu & lacrymis, dolendo de peccatis, quibus illa surditas & mutitas est inducta, & illa, ex intimo ac imo corde, abominando & ejurando.

3. Quoties cælum intueor, toties ingemiscere debeo, vel tanquam *Exul in hac lacrymarum valle* ad illam beatam Patriam aspirans, juxta illud Psalmi 136. *Illic sedimus, & flevimus, cùm recordaremur tui Sion.* Et. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est* Ps. 119. Vel tanquam reus læsæ Divinæ Majestatis, quòd jus ad illud Regnum amiserim toties peccatis meis; & incertus sum, an illud recuperaverim. Vel tanquam nauseabundus super terram *Heu quam sordet mihi terra cùm cælum aspicio!* S. Ignatius. Vel tanquam nimio tædio anhelans, ac dicens: Luc: 15. *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo! In domo Patris mei mansiones multæ,* (Ioan: 14.) & ego his angustiis coarctor. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Phil: 1. *Melior est una dies in atriis tuis cælestibus, quam millia annorum super terram,* (Ps: 83.) *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Ps: 83.

FERIA V.

Epheta, quod est, Adaperire.

1. NAves, versùs cælum, sunt apertæ, versùs mare verò sunt maximè clausæ, ne fluctus in se sorbeant, & ab illis sorbeantur, ac demergantur. Homines autem pleriq; contra: versùs cælum sunt clausi, versùs mare, id est, mundum, ejusq; vanitates & oblectamenta, sunt apertissimi, Unde pestilentes ipsius aquas per sensus hauriunt, & sic demerguntur in abyssum inferni. Imitabor navem; versùs cælum ero apertus, versùs mare, hoc est, mundum, curabo, ut sim occlusus. Atq; hoc ipsum docet figura cordis, quæ versùs cælum est dilatata & ampla, versùs terram angusta, & in conum desinens; admonens me, quòd terrena nonnisi puncto cordis sint attingenda, cælestia verò, ampliſſimo cordis ampliati & explicati sinu, poscenda.

2. Antequam Christus dixit: *Epheta Adaperire*, priùs multas præmisit Ceremonias. Nam illum surdum ac mutum apprehendit, tum è turba eduxit, ac digitos misit in auriculas, exspuit, salivâ linguam attigit, suspexit in cælum, ingemuit; modò primùm jussit aperiri aures & linguam. Quia priùs viro Apostolico præmittendæ sunt mortificationes, jejunia, suspiria, orationes, antequam aggrediatur concionem, confessionum auditionem, colloquia spiritualia, si vult aliquem fructum his mediis in proximo præstare. Sic cecinerunt Angeli, qui deducentes in cælum cum triumpho Christum, inclamabant suos confratres, Portarũ cælestium custodes. Psal: 23. *Aperite portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Cùm verò quæreretur: *Quis est iste Rex Gloriæ?* responsum est: *Dominus fortis, & potens, Dominus virtutum, Dominus potens in prælio.* Vis & tibi & aliis aperire portam cælestem? Sis fortis, sis potens, sis Dominus virtutum, sis victor in prælio.

3. Toties ad me Christus, tum per internas inspirationes, tum per voces concionatorum, tum per libros spirituales clamat: (Can: 5.) *Aperi mihi Soror mea Sponsa.* Aperi mihi anima, ita à me dilecta, ùt Soror, ùt Sponsa. Expelle à te inimicos meos, in-

os, inordinatos affectus, amorem sensualitatis, curiositatis, gulositatis, impatientiam, rixas, aliaq; ejusmodi monstra. *Mihi aperi*, qui te sincerè diligo, qui pro te, tot mala sustinui, sanguinem & vitam profudi, qui tibi æterna bona paro. Introduc me humilem, mansuetum, mortificatum, imò mortuum. Me intuere, & *fac secundùm exemplar, quod tibi monstravi. Exod: 25.* Quousq; igitur ejus desideria differo? quare me tam inurbanum erga Sponsum & Dominum adeo dilectum tamdiu gero? quare hodie obstacula non removeo? feras non refero? portas non aperio? En quotidie *stat ad ostium & pulsat. Can: 5.* Si ei aperuero, intrabit ad me, & cænabit mecum; imò *præcinget se, & faciet me* unà cum amicis suis *discumbere*; imò *transiens ministrabit mihi*, prout ipse pollicetur. *Lucæ 12.* Sin minùs; timendum mihi est, ne mihi reddat pænam talionis; ne & ego cum fatuis virginibus pulsem in hora mortis ad ostium gratiæ ipsius, ille verò respondeat: *Nescio vos; clausa est janua. Mat: 25.*

FERIA VI.

Solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

1. R*Arò sunt nostræ solvendæ repagula linguæ*; quia ex lingua dissoluta nascuntur innumera mala; cùm hæc juxta D. Iacobum, c. 3. sit *universitas iniquitatis*; quia ex illa tanquam ex universitate, prodeunt artes mille nocendi, tum sibi, tum proximo. Hinc ipse Christus Dominus antequam vinculum linguæ, illius muti solvisset, ingemuit, ostendens, cum quanta difficultate, linguam muto restitueret, sciens illam esse originem multorum malorum. Hinc ille *Epulo in inferno sepultus*, postulabat vel guttam aquæ, ad refrigerandam linguam suam; *(Lucæ 16.)* quia estò totus arderet, vel maximè tamen cruciabatur in lingua; hâc enim plurimas culpas commiserat: unde quanta fuit culpa, tanta correspondebat & pæna.

2. Ideo lingua muti loquebatur rectè; quia eam Christus digito suo, tangendo sacraverat, & salivâ suâ ab omni sorde purgave-

gaverat, abluerat, baptizaverat. Meam quoq; linguam Christus, non jam uno digito, sed toto sacratissimo corpore, quod in Eucharistia accipio, toties tangit, totiesq; consecrat, abluit illam toties, non jam salivâ, sed pretioso sanguine suo. Quare igitur de illa non verificatur? *Loquebatur rectè.* Cùm erumpit in verba mendacia, iracunda, elata, famam & honorem alienum lædentia. O Domine! jam bonitas tua prævaleat malitiæ meæ!

3. Utrumq; Christus in illo infirmo æqualiter sanaverat, & Aures, & linguam; utriusq; repagula æqualiter sunt reclusa, vincula dissoluta. Et tamen auribus non apponitur hæc epigraphe: *Et audiebat rectè;* sicut linguæ apponitur: *Et loquebatur rectè.* Quia nimirum Aures non ita sunt periculosæ, nec ita amplâ gaudent libertate, atq; lingua. Hinc etiam natura, nulla dedit retinacula auribus, linguæ autem labia tanquam vallum, dentes tanquam murum; ut nimirum priùs verbum decies veniret ad limam, quàm semel ad linguam. Quia ergo lingua illius muti, non est abusa libertate sua, & cùm posset, non loquebatur malè, & mala, sed rectè & recta, ideo meruit hoc Elogium: *Et loquebatur rectè.* Audi multa & tace, si vis vivere in pace.

SABBATO.

Quantò autem præcipiebat, tantò magis plùs prædicabant.

1. Quanta hinc mea confusio! quantus pudor! Spectatoribus illius beneficii à se collati præcipiebat Christus, ne illi dilaudarent ac prædicarent, nihilominus illi ex abundantia cordis, & grati animi obligatione, non cessant prædicare Christum, ejusq; factum extollere. Ego verò è contra, etiamsi non spectator, sed acceptor sum tot beneficiorum Divinorum, etiamsi urgear præceptis Divinis, ut illum laudem, glorificem, honorem, nihilominus ex pigritia & ingratitudine mea, frigesco, tepesco, congelasco in laude Dei mei. Quamvis infinities plura & ampliora ab illo beneficia accipio quotidie, quàm ille surdus & mutus; illi enim, duæ duntaxat Potentiæ, auditiva & locutiva,

cutiva, sunt restitutæ, mihi autem tot potentiæ & facultates datæ, & in integro conservatæ: cùm tamen illis toties potuerim vel ob culpas meas, vel ex placito Dei, privari.

2. Ad eum, qui beneficium confert, spectat, illud reticere, dissimulare, occultare, ne illud exprobrare videatur; sed ad eum, qui beneficium accipit, pertinet gratum se ostendere & exhibere. Neq; verò sufficit, gratum esse, sed interim gratitudinem abscondere, & intra duntaxat ac in corde illam fovere; necesse est, ut eam prodamus exteriùs, & argumentis patentibus, tum ipsi benefactori, tum aliis manifestemus. Hoc enim est & Deo & hominibus acceptum; taliq; agendi modo ostendimus rationalem ingenuitatem, & animos aliorum ad beneficia ulteriora provocamus. At! quam ego gratitudinem Deo, pro tot ejus beneficiis, opere aliquo externo exhibui? Sicut exhibent illi, qui templa & aras exstruunt, qui sanguinem & vitam pro illo fundunt, qui longas peregrinationes obeunt, qui castigationes corporis adhibent. *Honorabo Deum de mea substantia.* Prov: 3.

3. *Sicut ille, qui fert aromata, etiamsi nolit, ex odore proditur; ita qui Spiritum Dei habet, velit, nolit, ex verbis operibusq; suis agnoscitur. Climacus.* Quamvis nullos adhibuero modos, ad me extollendum, dummodo vivam religiosè, & juxta mearum Regularum, institutum, inveniet Deus modos, ut mihi debitus honor detur. Sicut è contra, si artes dolosas ad me extollendum adhibuero, etiamsi velim illas occultas esse & secretas, facilè prodentur. *Jacta curam meam in Dominum, & ipse me enutriet.* Ps: 54.

DOMINICA XII.

POST PENTECOSTEN.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc: 10.

1. CHRISTVS post Resurrectionem suam S. Thomæ dixit: (Ioan: 20.) *Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Præferendo sortem eorum, qui non viderunt in carne mortali Christum, & tamen in eum crediderunt, supra sortem illorum, qui viderunt, & crediderunt. Nos

modò, eadem quidem præsentiâ Christi fruimur, quâ olim Apostoli fruebantur; sed diversimodè. Nam illi oculis corporalibus Sacrosanctam illius humanitatem aspicientes, facieq; ad faciem videntes, crediderunt in eum; nos autem illam in Sanctissima Eucharistia absconditam, verè tamen ac realiter ibi existentem, oculis quidem corporis non videmus, tamen in illum credimus: adeoq; illum oculis animæ, scilicet Fide & Religione, intuemur, confitendo illum verum DEum, & ùt talem colendo, adorando. Oculi ergo nostri adhuc sunt beatiores, quàm Apostolorum. O Domine! clarifica, illumina, conforta istos oculos meos, ut videndo te per speciem & in ænigmate, merear dignus evadere, qui te postmodum videam facie ad faciem.

2. Multum interest, qualibus oculis aliquis aspiciat unum idemq; objectum; nam si aliquis aspiciat illud per perspicilia rubra, rubrum ei objectum apparet; si verò alius per viridia, viride ipsi apparebit. Pariter quoq; *pròût quisq; est affectus, ita judicat.* Qualem quis erga alium affectum habet, tale de illo format judicium. Eundem olim Christum viderunt Apostoli & Pharisæi, sed oculis, non eodem modo, affectis. nam Apostoli aspiciebant illum oculis benevolis; hinc etiam illum judicabant esse Filium DEi, Messiam, magnum Prophetam, & ùt talem colebãt ac reverebantur; Pharisæi verò aspiciebant illum oculis invidis, odio & livore, plenis; unde pessimum de illo ferebant judicium; arbitrabantur ùt seductorem, ùt impostorem, ùt magum: atq; ùt talem crudeliter persequebantur. Meritò igitur oculi Pharisæorum erant maledicti; oculi autem Apostolorum beati. Depura Domine oculum mentis meæ ab omni inordinato affectu, ut bene & convenienter sentiam de omnibus.

3. Inter ipsos Apostolos non omnes æqualiter proficiebant ex aspectu Christi. Viderat illum *Petrus, Ioannes, Andreas* &c. Viderat & *Iudas*, noverat ejus faciem, sciebat, quantæ esset staturæ, quales capilli, qualis color, qualia ipsius vestimenta. Tam hic, quàm illi conversabantur cum illo, comedebant, colloquebantur, &c. Et tamen illis, aspectus in Christum fuit salutaris, Iudæ autem funestus & exitialis. Planè sicut aspectus in solem, Aquilæ oculis est gratiosus & salubris, oculis autem talpæ aut vespertilionis

tilionis est molestus & excæcativus. Aut sicut ex eadem rosa apes accipiunt mel, scarabeus autem vel araneus venenum. Idem modò evenit in usu Eucharistiæ, in auditione Concionis, in conversatione cum hominibus &c.

FERIA II.

Quid faciendo, vitam æternam possidebo?

1. NOn dixit: Quid cogitando, aut quid loquendo, vitam æternam possidebo? sed quid faciendo? Quia nimirum ad vitam æternam non pervenitur per meras speculationes & pulchra verba, sed per bona opera. His enim solis datur merces & stipendium æternum; juxta illud. Ioan: 5. *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam.* Multi, multa, de vita æterna speculantur, meditantur, differunt, disputant; quia tamen suas cogitationes & locutiones ad effectum non deducunt, bravium vitæ æternæ non apprehendunt; quia currunt quidem, sed ad metam non pertingunt. Sunt nubes infæcundæ ac steriles, quæ pluviam præseferunt, sed non demittunt. Sunt ficus infructuosæ, quæ viridibus verborum & cogitationum foliis abundant, sed maturos fructus non producunt, aptos gustui Dei, adeoq; sunt maledicto ejus obnoxiæ.

2. Valde quidem utilis & salubris est ista quæstio, sed rara admodum in mundo. O quam multi quærunt: Quid faciendo, favorem Principis obtinebo? Quid faciendo, talem ac talem honorem adipiscar? Quid faciendo, vindictam sumam de hostibus meis? Quid faciendo, tantam ac tantam pecuniæ summam colligam? talia bona còémam? Sed quotus dicit: Quid faciendo, vitam æternam possidebo? Sæpiùs & impensiùs vires activitatis nostræ convertimus ad quærendas vanitates, curasq; temporales, quàm ad seria negotia, studiaq; æterna. O si vel decimam partem diligentiæ nostræ impenderemus virtuti acquirendæ! quam impendimus, tot ineptis, citò transituris, & ad nullum emolumentum profuturis!

3. Hæc interrogatio est quidem ex se Practica; sed ex subjecto malè dispositio non practicabilis. Pharisæus ille, qui eam instituit,

stituit, non ad veritatem discendam, sed ad tentandum veritatis magistrum hoc fecit. Prætendebat solùm ignorantiam, & interim suam volebat jactare scientiam: Unde nullam utilitatem ex ea retulit. Non permittas Domine, ut talento doctrinæ, mihi, à te, datæ, abutar, illudq; ad captandam inanem populi auram convertam; da, ut per illud, meæ & proximorum utilitati incumbam; sicut fecerunt Sancti tui, singulari doctrinâ præditi, *Augustinus, Ambrosius, Thomas, Ignatius, Xaverius*; quorum doctrina erat *lucerna ardens & lucens.* Ioan: 5.

FERIA III.

Diliges D. Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis vivibus tuis &c.

1. EN motivum adæquatum, propter quod Deus, est diligendus; quia nimirum est *Dominus.* ô qualis! quàm bonus, quàm misericors, quàm longanimis, quàm liberalis! Deinde quia est DEUS. ô quantus! quàm excellens, quàm Sanctus, quàm perfectus, immo pelagus perfectionum, imò ipsa essentialis perfectio! &c. Quia est *Tuus.* Quidquid habes, omnia sunt dona ipsius; nihil est Tuum, quòd non sit ipsius. *Se nascens dedit Socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Prosa Eccl: *Tuus* est creatione, *Tuus* conservatione, *Tuus* gubernatione, *Tuus* glorificatione, sed potissimùm hîc *Tuus* est in Eucharistia, quandocunq; vis, potes illum adire, alloqui, intra te sumere, obtinere ab eo, quidquid tandem desideras.

2. Non vult Deus, ut illum, parte tantùm cordis amemus, quatenus nimirum Cor ita dividamus, ut partem illius demus divitiis, partem honoribus, partem voluptatibus, tum etiam partem Deo; sed vult & imperat, ut illi totum cor præbeamus. *Fili præbe mihi cor tuum.* (*Prov: 23.*) ut toto, quantum est, corde illum diligamus. *Non enim habitat in corde subdito peccatis,* (*Sap: 1.*) Sicut *Arca Dei* non potuit simul in eodem templo habitare cum *Dagone*; (1. Reg: 5.) *Quæ enim conventio lucis ad tenebras?* 2. Cor: 6. *Non est ergo claudicandum in utramq; partem* (3. Reg: 18.) ut & vanitati serviam

serviam & Deo; unicus & solus Deus amandus est propter se; reliqua autem propter illum; unde ille magis. *Nam propter quod unumquodq; tale, & ipsum magis.*

3. Totæ vires animæ nostræ sunt, *Nutritiva* seu *Vegetativa*, *Sensitiva*, *Rationalis*. Si ergo Deum totis viribus diligere volumus, prout debemus, necesse est, ut ei, has omnes vires subdamus ac impendamus. Quodsi aliquis dicit, se diligere Deum, & interim est gulæ deditus, facilè murmurat de incommodis in cibo & potu, *Deo ventri* commoditates providet solicitè, is jam Deum non amat virtute nutritivâ. Similiter si quis minimum verbum sentiat, non vult, ut eum afflet Spiritus asper, is non subdidit Deo virtutem sensitivam. Sed estò aliquis moderatus sit in cibo & potu, estò sit injuriarum patiens, si tamen intellectum non excolit doctrinâ cælesti, is Deo non subdidit Virtutem Rationalem. *Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum & liberator meus. Ps. 17.* Diligam te ex omnibus viribus meis.

FERIA IV.

Et proximum tuum sicut teipsum.

1. AD obtinendam vitam æternam, non satis est diligere Deum, opus est insuper, ut diligamus proximum. Qui enim diligit Deum, diligit & imaginem ejus; nam *qui non diligit fratrem, quem videt, quomodo potest diligere Deum, quem non videt.* 1. Io: 4. Gradus, per quem certò ascenditur ad amorem Dei, est amor proximi. *Qui viderit fratrem suum, necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab illo, quomodo charitas Dei manet in eo. 1. Ioan: 3.* Sicut fumus est signum latentis intùs ignis; ita opera charitatis proximo exhibita, sunt indicium degentis in anima Amoris Divini.

2. Siquidem toto corde & totâ animâ diligendus est Deus; ergo jam nihil cordis restare debet, quo diligatur proximus? Sed enim in eadem totalitate cordis manere debet Amor DEi & Amor proximi. Nam hi amores sunt unum idemq;; nam estò terminentur ad diversa objecta materialia, tamen habent unum idemq; objectum formale motivum, à quo utiq; habent specificari

cari actus. Non aliter namq; proximus est diligendus, nisi propter Deum. Unde & Amor Dei efficax eminenter in se continet amorem proximi; quia hic, ex illo, tanquam ex radice & primo fonte manare potest: & amor proximi ordinatus, formaliter respicit Deum dilectum, tanquam motivum suum formale immediatum ac principale. Quodsi aliter diligitur proximus, jam hæc dilectio non bene compatitur secum in eodem corde amorem Dei. v. g. Si diligatur proximus, præcisè, propter pulchrã formam, propter suum utile, & commodum, sine respectu ad Deum.

3. Dilectio sui est optima mensura dilectionis proximi. Iam ergo debeo metiri, si tantùm diligo proximum, quantùm me. Nonnè dum ego delinquo, facilè mihi parco? nonnè me apud meipsum excuso? nonnè libenter audio, quando apud alios est de me, bona opinio? nonnè indignor, quando contemnor? Si ergo idem proximo meo præstare studeo, legem implevi: Sin minùs, verè non diligo proximum, sicut præceptum est. Ah, volo, ut alii strictè corrigantur, & ipse corrigi nolo! Libenter haberem alios perfectos, & ipse nolo meos emendare defectus. Displicet longa aliorum licentia, & tamen nolo quidquam mihi ex iis negari, quæ peto. Unde manifestum est, quòd non diligam proximum, sicut meipsum.

FERIA V.

Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui despoliaverunt eum.

1. IN isto homine spoliato, & vulnerato à latronibus, depingitur à Christo, miserrimus cujusvis peccatoris status. Sicut enim ille, primò ex *Hierusalem* ibat in *Iericho*, ex civitate opima, ampla, florentissima, ad urbeculam vilem, tum incidit in latrones, tum ab illis fuit spoliatus, tum etiam graviter vulneratus, tandem semivivus, absq; ullo auxilio derelictus; quò longiùs ejus conditio ibat, eò fuit deterior ac deterior. Ita quoq; Peccator, à minoribus defectibus prolabitur sensim in graviores culpas,

culpas, tum deinde de uno peccato gravi ruit in gravius, ita, ut unum impellat eum in aliud, tamdiu, donec in foveam desperationis ac æternæ damnationis præcipitetur. O utinam ab Hierusalem non descendam in Hiericho! hoc est, à Divinis, non descendam ad terrenos actus! hinc enim ducunt originem omnia mala.

2. Via illa ducens ab *Hierusalem* in *Iericho*, erat periculosa; siquidem fuit infesta latronibus, qui latentes in speluncis viam obsidentibus, peregrinis insidiabantur, in eosq; erumpentes spoliabant, vulnerabant, trucidabant multos. Vita mortalis, quam agimus in mundo, per *Iericho*, designato, est periculosissima; nam in ea sunt multæ latronum speluncæ, quas effugere est valde difficilè. Insidiatur nobis Dæmon, juxta illud Ps: 9. *Insidiatur in abscondito sicut leo in spelunca sua.* Insidiatur Caro, cum sensibus, tanquam cum latrunculis. De oculo conqueritur Propheta. Thr: 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Alter autem vir justus debuit cum oculis tanquam hostibus fædus inire, ne ab illis nocumentum pateretur: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem &c. Iob: 31.* Quot sunt in mundo peccandi occasiones, tot sunt speluncæ latronum; illæ autem sunt multæ valde! Siquidem S. *Antonius* vidit totum mundum laqueis ac decipulis plenum. Quis jam tutus erit? nisi tu Domine *custodias nos ut pupillam oculi, & sub umbra alarum tuarum nos protegas.* Ps: 16.

3. Antequam illi homini latrones plagas inflixerunt, detraxerunt illi ornamenta vestium. Ita fit cum Peccatore; nam dæmon, concupiscentiæ, peccata perpetrata, detrahunt illi vestem pretiosissimam Gratiæ Divinæ, donorumq; supernaturalium; tum ei gravissima vulnera infligunt, scilicet cæcitatem intellectui, voluntati obstinationem, ac desertionem ab auxiliis Divinis, nauseam & horrorem ad bonum faciendum; & ita relinquunt semivivum cum sola fide informi, & spe, per quam aspiret ad Deum, *Non derelinquas tu me Domine; quoniam Orphano tu eris adjutor.* Ps: 9.

FERIA VI.

Accidit autem, ut eâdem viâ descenderet Sacerdos & Levita, Samaritanus autem &c.

1. OPortebat quidem, ut Sacerdos & Levita ostenderent misericordiam illi vulnerato; hoc enim ab illis Ratio statûs exigebat. Sed aliter evenit! Quamvis illi viderint miseriam hominis, tamen nullâ commiseratione tacti pertransiêre; immo nec verba solatii dedisse afflicto, vel oculo commiserante, leguntur illum respexisse. Samaritanus autem, homo alienæ fidei & gentis, illac transiens, ubi advertit calamitatem hominis, compassus est, ex equo descendit, vulneribus ejus oleum & vinũ infudit, alligavit, atq; ita Sacerdotem & Levitam, misericordiâ vicit. O quantum & mihi, qui sum Sacerdos ac Religiosus, cavendum est, ne ab hominibus secularibus, misericordiâ, pietate, castitate, patientiâ, moderatione passionum, aliisq; virtutibus superer! Siquidem hæc omnia, ob rationem statûs mei, in ampliori forma debent in me reperiri; cùm ego ad hæc acquirenda, longè majora auxilia à Deo acceperim; *cui autem plus datum est, plus requiritur ab eo.*

2. Hic spoliatus & vulneratus à latronibus, designat populum infidelem, vel etiam rudem; qui incidit in varios errores, jacet in multitudine peccatorum, cælestibus auxiliis & donis est destitutus. Deberent quidem Sacerdotes, Prælati, Pastores, illorum salutem procurare; sed ipsi lucris temporalibus inhiantes, animas Christi sanguine redemptas, suæq; fidei concreditas passim negligunt, ac sinunt perire in æternum. Ego igitur Samaritani vices obire debeo, hoc enim à me exigit ratio mei instituti; quare teneor illis opem congruam ferre, partim pro illis orando, partim eos in viam veritatis reducendo, vulneribus eorum, oleum commiserationis, & veritatis vinum infundendo, ducendo ad stabulum Ecclesiæ, fidei, confessionis, Emendationis morum &c.

3. Per istum Samaritanum, rectè Christus intelligitur; ille enim

enim ab *Hierusalem* descendit in *Iericho*, quia de cælo venit in terram, ut vulnera peccatorum nostrorum curaret, oleum suæ misericordiæ, & vinum pretiosi sanguinis pro nobis fundendo. Cõplacuit ille sibi in hoc titulo; cùm enim illi à Iudæis per calumniam objiceretur (*Ioan: 8.*) quod esset *Samaritanus & dæmonium haberet*? hoc negavit, illud non. Quia revera fuit *Samaritanus*, quod significat Custodem: mihi in exemplum, ut ego quoq; sim vigilans Custos legum mearum, disciplinæ religiosæ, sensuum meorum. *Corpus & sanguis D. N. J. C. custodiat animam & corpus meum.*

SABBATO

Alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum, & duxit in stabulum &c.

1. VUlnera, illi homini spoliato à latronibus, inflicta erant patentia oculis intuentium, denudata, unde & ab aura rigidiore incrudescentia. Samaritanus illa obtexit, circumligavit, fovit; ut ab ejus exemplo discam, quòd, quando video defectus & errata mei proximi, non debeo illa magis propalare, exaggerare, aliorum notitiæ ac risui proponere, sed contegere, abscondere, excusare. *Charitas enim operit multitudinem peccatorum.* 1. Petr: 4.

2. Per oleum intelligitur misericordia, per vinum justitia Dei. Ut possim sanare vulnera peccatorum meorum, non debeo attendere solam misericordiam; quia nimirum Deus facilè mihi peccata ignoscet, eò, quòd sit valde misericors: Sicut jam ignovit multis peccatoribus. Nec solam justitiam DEi; quia nimirum valde est Deus severus in puniendis peccatis, quæ punit tum temporali, tum æternâ pœnâ: ùt constat ex tot anteactis exemplis. Sed utrumq; debeo misereri; & quòd misericors, & quòd sit justus. *Unde cum timore & tremore debeo salutem meam operari 2. Cor: 7.* nec nimiùm deflectendo ad dexteram per præsumptionem, nec etiam nimis declinando ad sinistram per desperationem; sed procedendo viâ regiâ, & spei & timoris. *Timete*

Dominum omnes Sancti ejus; quoniam nihil deest timentibus eum. Ps: 32:

3. Non dixit Samaritanus Stabulario: Cura illum; seu, *Sana illum.* Sed solùm dixit: *Curam illius habe.* Quia nimirum, quãdo nobis agendum est cum peccatoribus, debemus quidem curam circa illos adhibere, admonendo, cohortando, suadendo, blandiendo, arguendo &c. uno verbo, facere, quod nostri muneris est; sed non debemus omnino cum anxietate soliciti esse, ut actu curentur, hoc enim Deo relinquendum est. Planta, riga, fimum adhibe, alliga, & tuas partes expleviſti. Si Deus voluérit, dabit *incrementum* illi plantationi; (*1. Cor* 3.) si autem noluerit, tu Deo non respondebis sed ille, qui noluit labori tuo & auxilio Dei cooperari, tibi verò nihil præmii peribit.

DOMINICA XIII.

POST PENTECOSTEN.

Cùm ingrederetur in quoddam castellum, occurrerunt ei 10 viri leprosi. Luc: 17.

1. Sicut olim Christo castellum quoddam ingredienti occurrerunt 10 viri leprosi; ita hodie eidem Christo animam meam, in Eucharistia, ingredienti, occurrunt potentiæ meæ, internæ & externæ, ùt memoria, intellectus, voluntas, visus, auditus, gustus tactus, odoratus, vis locutiva, progressiva &c. At mundanè sunt omnia? Minimé verò. *Inquinatæ sunt viæ illarum in omni tempore.* Ps: 6. *A planta pedis usq; ad verticem capitis, non est in me Sanitas.* Isaiæ 1. Plena hic omnia leprâ curiositatis, sensualitatis, tepiditatis, amoris proprii. Ergo tu medice cæleſtis *miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Ps: 10.

2. Quòd leprosi Christo ingredienti castellum, occurrerint, non casu fortuito, sed consilio Divino est factum. Ut nimirum Christus illis, quibus occurrebat, etiam succurreret, tanquam clementissimus medicus, qui sanando corpora, sanabat simul & animas. Sæpè incidimus in rem aliquam, ex qua fructum spiritualem reportamus; e. g. in hominem Religiosum, vel imaginem,

nem, vel librum pium, ùti contigit *S. Augustino* legenti fortuitò Epistolas *S. Pauli*, & vitam *S. Antonii*; item *S. Ignatio* legenti vitas Sanctorum &c. Putamus id casu fortuito esse factum? Minimè verò; Dei hæc ordinatio & combinatio fuit; sicut quòd *Philippus Diaconus* adjunxerit se currui, *Eunuchi, Thesaurarii Reginæ Candacis. Actor: 8.* Ergo ubiq; veneremur Providentiam Dei; sine illa nihil unquam nobis seu adversi seu prosperi contingit. *Sinè tuo numine, nihil est in homine.*

3. Ingreditur Christus castellum; ad quid? Ut leprosi ad illum veniant, & sanitatem recipiant. Ergo id prompti faciunt, nullas nectunt moras, confestim Christo occurrunt, necessitate, illos, impellente, calcarq; addente. Quia nimirum, nisi Deus priùs quærat Peccatorem, nunquam hic ad Deum redibit & accedet. *Erravi sicut ovis quæ periit. quære servum tuum.* Ps: 118. *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni & adjuvando prosequere.* Leprosus & ego sum; ergo me antecedat gratia tua, & optata sequetur sanitas. *Citò anticipent me misericordiæ tuæ Domine, quia pauper factus sum nimis.* Ps: 78.

FERIA II.

Steterunt á longè, & levaverunt vocem suam dicentes: JESV Præceptor miserere nostrî.

1. OPtimus modus convertendi oculos Dei erga se, & obtinendi veniam peccatorum, veluti emundationem à lepra, stare à longè. Ita fecit ille publicanus, & descendit justificatus. Ita fecerunt hi 10. leprosi, & mundati sunt. Quid verò est stare à longè? nisi reputare se indignum oculis Dei, & ùt talem se gerere. Quamvis enim aliquis revera sit indignus oculis Dei, si tamen se pro tali reputat, & pro tali coram Deo sistit, jam eo ipso dignus benigno Dei aspectu evadit. Ille enim libenter *humilia respicit in cælo & in terra*; Ps: 112. *sicut respexit humilitatem ancillæ suæ:* Luc: 1. & quod mirabile! etiam *Achab* quamvis impium Regem, quia tamen humiliatum, respexit; (3. Reg: 21.) iramq; suam distulit super eum, donec iniquitas ejus compleretur. *Corpora*

magnanimo satis est prostrâsse leoni. Deo autem nostro sat est prosternere corda.

2. Ut exprimerent intensum ac fervidum cordis affectum, cum quo Christum pro sua sanitate orabant, *levaverunt vocem suam.* Vox igitur elevata, signum erat fervoris interni. Non eos, qui remissè ac frigidè Christum precantur, sed qui intensè ac fervidè exorant, libenter Deus audit & exaudit. Qui enim intendit affectum, gemitu sui pectoris flectit erga se misericordiam DEi. Ita fecit & *Mulier Chananæa,* quæ clamabat post JESUM; unde exaudita est. *Matt: 15.* Ita fecit *Iudith, Hester, Anna,* orantes impensè DEum, in suis necessitatibus, & oratio illarum accepta fuit coram Deo. Meæ verò orationes seu mentales seu vocales ah quam frigidæ! quam remissæ! *Preces meæ non sunt dignæ.*

3. Brevis illa oratio sed nervosa: *JESU Præceptor miserere nostrî.* Quia plures bonas qualitates complectitur. Humilitatem à longè stantium, fervorem intensè clamantium, memoriam nominis JESU hoc est Salvatoris; item memoriam Præceptoris. Bonus erat Præceptor Christus, nam quæ præcipiebat, ipse exemplo suo incipiebat. *Cœpit JESUS facere prius, tum docere. Acto: 1.* Tandem complectitur unanimem charitatem; siquidem non dixerunt singuli: *miserere méi;* sed omnes unanimiter clamârunt: *miserere nostri.* nam perfecta charitas & pro se & pro aliis orat. Tales conditiones deberent reperiri in mea quoq; oratione.

FERIA III.

Ite, ostendite vos Sacerdotibus.

1. Siquidem juxta legem Moysis ad Sacerdotes Veteris Legis pertinebat, videre lepram, & de illa judicium ferre, an esset vera? tum si talis esset, leprosos à consortio hominum excludere ac separare; ideo Christus remittit leprosos ad Sacerdotes, ne illorum authoritati fieret præjudicium, sed eorum officium honoraretur. Ut, qui leprosos viderant, ac pro talibus judicaverant, eosdem nunc mundatos & sanatos viderent, ac officiosé approbarent ut tales. Declinat Christus honorem, defert cum Sacerdotibus. Quia omnis potestas à Deo; igitur ei debi-

tus

tus honor deferri debet; nam *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. ad Rom: 13.* Peccator, ubi resipuerit, debet malè sua facta, bonis exemplis abolere, eosq; ædificare per pœnitentiam, quos per licentiam vitæ scandalizaverat. Charitas erga proximum exercenda, sed absq; præjudicio Regularum.

2. Poterat quidem Christus gratis omnino leprosos curare, noluit tamen; sed eis adjecit conditionem onerosam, ut sisterent se Sacerdotibus, & per hoc probarent suam obedientiam, atq; humilitatem. *Ite ostendite vos.* Sicut olim *Elizeus Naaman Syro* præcepit, ut, si vellet à lepra liberari, septies lavaretur in Iordane. *4. Reg: 5.* Vult Deus, ut ipsius voluntati & gratiæ, quâ me intendit salvare, cooperer; frustra igitur spero, me fore Sanctũ, sine meo labore. *Ora & labora;* Quia *Regnum cœlorum vim patitur. Matt: 11.* Omnibus quidem per merita Christi apertum est cœlum, sed tamen *angustam habet portam,* (*Matt: 7.*) debeo contendere, & pravos habitus deponere, si per illam volo intrare.

3. Appellaverant leprosi Christum Præceptorem, *JESU Præceptor.* Ut ergo probaret, an sincerè illi talem titulum darent, statim eis præcepit: *Ite ostendite vos.* ut scilicet, quod verbo edixerant, reipsâ exhiberent, & authoritatem Præceptoris non solùm verbis, sed etiam factis in eo agnoscerent. Novit Christus ingenium nostrum. Sæpé illum rogamus, ut simus humiles, modesti, mansveti, temperantes &c. pulchra sunt verba! Sed quando se offert occasio istarum virtutum exercendarum, resilimus à proposito, & reipsâ ostendimus, quàm inania ac sterilia fuerint desideria votaq; nostra. Quando igitur peto à Deo virtutem aliquam, debeo ejus exercendæ occasionem prævidere, & ad illam me præparare; atq; dum sese offert, ipsam libenter arripere, imò ultro inquirere, & mandare executioni.

FERIA IV.

Dum autem irent, mundati sunt.

1. VEriſſimé dictum: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* En illi leprosi, quia voci Christi obediverunt, atq; id, quod nullam videbatur habere connexionem cum illorum

rum emundatione, promptè sunt executi, nō disputantes: Quorsum nos Christus jubet ire ad Sacerdotes, eorumq; oculis nos præsentare? utiq; illi jam nos viderunt, & tamen ipsorum aspectus nihil nobis attulit levaminis & solatii? imò afflictionem & meram præbuit confusionem? Siquidem illi judicârunt nos indignos consortio reliquorū hominum; ideoq; nunc debemus extorres vagari. Nihil horum dixerunt; sed cæcam obedientiam imperio Christi præstiterunt; ideoq; insperatum illius fructum retulerunt; nimirum sanitatem. Quod Deus jubet per superiores, etiamsi judicio meo repugnare ac sensui contrariari videatur, promptè debeo exequi. Certè auxilium Dei non deerit, ut hoc cedat in meam notabilem utilitatem.

2. Leprosi illi non stando vel retrocedendo, consecuti sunt optatam sanitatem, sed eundo, iterq; peragendo. Et mihi, si ad religiosam perfectionem pertingere cupio, non est standum in via Dei, oscitanter & perfunctoriè meas actiones absolvendo, sed quotidie aliquid boni agendo, & de uno virtutis actu, ad alium progrediendo, juxta illud: *Ascensiones in corde suo disposuit.* Ps: 83. *Ibunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion.* Ps: 83. Sol nunquam quiescit, semper ascendit, & causat æstatem; vel si descendit, causat frigus & rigidam hyemem; ita & meæ religiositati semper est ad altiora progrediendum; alioquin erit mihi retrocedendum, & quid tunc eveniet? nisi frigus gravioris alicujus peccati; nisi rigor iræ Divinæ.

3. Dum hi leprosi irent ad Sacerdotes, vixq; in eorum conspectu comparuerunt, quamvis hi nullas circa illos adhibuerint ceremonias, nullosq; exercuerint ritus, statim tamen à lepra sunt mundati. Tum ut doceamur: Sacerdotem ita debere esse perfectum, ut solus aspectus ipsius possit conversantes cum illo homines corrigere, & ad meliorem reducere frugem. Nam Apostolis dictum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus &c.* Mat: 5. *Væ quidem mundo à scandalis.* Matt: 18. Sacerdotum præsertim! Sed etiam væ gravissimum Sacerdotibus propter scandala mundo exhibita! Tum ne Sacerdotes illam emundationem sibi imputarent, quasi illorum virtute ac oratione fuerit perfecta; indeq; frustra gloriarentur, vel mercedem requirerent. Si quem fructum

ctum spiritualem meâ concione, exhortatione, vel conversatione in animabus hominum fecero, non mihi hoc imputabo, vel meæ virtuti, sed totum honorem dabo Deo, & Spiritui Sancto, qui solus novit & movet corda filiorum hominum; multò magis nullam mercedem requiram. Sic enim exigit ratio instituti mei, & boni exempli proximo præbendi.

FERIA V.

Vnus autem ex illis, ùt vidit, quia mundatus est, regressus est &c. & cecidit in faciem suam?

1. NOn unus leprosus petebat à Christo sanitatem, nec unus ab illo eam accepit; omnes, elevatâ voce, clamabant: *miserere nostri*! omnes jussi sunt ire ad Sacerdotes, dumq; omnes irent, emundati sunt, & tamen unus duntaxat rediit extollens vocem laudis & gratiarum actionis. Quamdiu aliquâ necessitate vel afflictione premimur, solicitè rogamus Deum, ut ab ea liberemur. Multa tunc Deo promittimus, multis nos votis obligamus; ubi vero ab illa miseria erepti fuerimus, vix ac ne vix quidem recordamur acceptæ gratiæ, neq; prout par est, gratos nos exhibemus. Verificatur de nobis illud: *Quando languebat, Monachus lupus esse volebat: Postquam convaluit, talis ùt antè fuit.* Hinc etiam rarò aliquid impetramus; quia nimirum prævidet Deus nostram ingratitudinem, quæ nos facit ineptos ac indignos beneficiis Diuinis.

2. Non solùm pro se, sed etiam pro aliis, profusas egit Christo gratias. Quia ingenuus animus communia beneficia reputat ùt propria: multumq; gaudet, se esse membrum communitatis beneficio affectæ. Nam arbitratur, quòd, si seorsim fuisset, caruisset illo dono, solumq; se indignum existimat illo munere: quòd autem etiam ipse particeps illius evadat, intuitu aliorum, inter quos versatur, fieri sibi putat. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum: Ps: 232.* Sicut è contra; ingratorum ingenium tale est, ut beneficia, quæ in commune conferuntur, pro nullis reputent, & benefactoribus nullam exhibeant gratitudinē.

O quantum ego tibi, Domine Deus meus, pro hoc debeo! quia in numerum sociorum tuorum me coóptâsti. Quàm multa beneficia, intuitu illorum mihi confers! quibus proculdubio carerem, si extra *Societatem* viverem. Ergo te pro me & pro meis sociis, inter quos dego, benedico, adoro, glorifico.

3. Dum iste à lepra mundatus, unà cum aliis peteret à Christo sanitatem, à longè stabat, vocem elevando, & misericordiam implorando; sanatus verò, longè plus præstat; nam regreditur ad Christum, accedit ad illum propè, voce intensâ magnificat ejus misericordiam & potentiam, ad pedes ejus, in terram, pronus & adorans procumbit, ponit in pulvere faciem suam. Non parcit faciêi suæ, modò primùm sanatæ, & decorum colorem indutæ, sed illam suâ veneratione deprimit, & pulvere deturpat; quasi diceret: Eo, te, Domine, honoro, adoro, veneror, quod mihi clementer dedisti; accepi à te nitorem faciêi, & munditiem totius corporis, libens igitur eam impendo tuæ venerationi & honori. Ego vero mi Deus, etiamsi omnia acceperim de tua manu, tamen facultates viresq́; meas in tûi contemptum converto. Offendo te oculis meis, linguâ, manibus, memoriâ, intellectu, voluntate, abusu ingenii, doctrinæ &c. non ita fiet in posterum.

FERIA VI.

Nonne 10 mundati sunt? & 9. ubi sunt? non est inventus, qui rediret & daret gloriam, nisi hic alienigena.

1. UNus tantùm ex 10. mundatis rediit, & humillimas gratias Christo persolvit. Quia unus vidit, hoc est, intimè agnovit magnitudinem beneficii sibi collati. Nam estò reputabat se indigniorem præ reliquis, beneficio curationis, eò quòd fuerit samaritanus, alienigena, Sectæ, à Iudaica fide, diversæ; quia tamen ita mundatus est sicut & reliqui, plus beneficii arbitrabatur sibi præstitum esse, quàm reliquis, qui erant Iudæi, adeòq́; digniores & propiores ad illum favorem. Ex cognitione mali & indignitatis, dependet æstimatio boni, quo malum illud in sub-

jecto

cto indigno tollitur. O si ego recognoscerem! quòd beneficio vocationis ad Societatem fuerim longè indignior aliis, inter quos vivo, quantùm illam æstimarem! quantopere datorem illius colerem! Si fæditatem peccatorum meorum, à quibus me Deus per Sacramentalem absolutionem emundat, penetrarem, quanti facerem beneficium illiorum condonationis, meiq; justificationis; quàm studiosè curarem morum emendationem!

2. Omnes quidem dies vitæ meæ, omnes horæ, imò quadrantes, imò singula momenta, innumera beneficia à DEo accipiunt. at impendonè vel decimam partem diei, aut horarum, gratiarum actioni, ac laudi Dei mei? Agnosconè vel centesimum aut millesimum beneficium de manu Dei acceptum? exhibeonè vel millesimam partem gratitudinis Deo, quam illi debeo? minimè verò. Ah! quàm longè sum deterior illis novem, *qui non sunt inventi, ut redirent, & darent gloriam Deo. O mihi præteritos revocaret si DEus annos!* Sed frustraneum votum. *Dies mei, sicut umbra declinaverunt! Ps: 101.* Non inveniam illos in regestro Dei, ut eos mihi compenset ac præmiet. Utinam saltem hoc reliquum vitæ, quod superest, impendam amori ejus!

3. Dat quidem beneficia sua Deus, & nemini improperat; tamen ingratitudinem accipientium ita horret ac detestatur, ut doleat se benefeciisse ingratis. *Tactus enim dolore cordis intrinsecùs, ait: Pœnitet me hominem feciisse: Gen: 6.* Unde etiam hìc dolens lamentatur: *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo.* Hinc *ab ingratis beneficia tollit, & confert illa gratis.* Repetit mnam suam ab ignavo servo nolente lucrari aliquid, ac deferre Domino lucrum grati animi, & dat illam ei, qui per 5. mnas lucratus est alias 5. Luc. 19. *Malos malè perdit, & vineam suam locat aliis agricolis, qui ei reddant fructum temporibus suis. Matt: 21.* Exscindit arborem infructuosam, ne frustra terram occupet, (*Lucæ 13.*) & aliam pro ipsa plantat. Mavult publicanos, peccatores, meretrices præcedere in Regnum Dei, (*Matt: 21.*) quam Scribas & Pharisæos beneficiorum suorum ingratos. Præfert unum Samaritanum, alienigenam, sed beneficii memorem, supra Iudæos terrigenas, sed nullam gratitudinem ostendentes.

SABBATO.

Surge, vade, fides tua, te salvum fecit.

1. VAlde ille Samaritanus se depressit; nam pronus ante pedes IESU cecidit, humi se totum prostravit, faciem in pulvere posuit, totum corpus abjecit in terram. Non patitur tantam humiliationem Christus, erigit abjectum, surgere jubet prostratum. Qui enim se propter Deum humiliat, & aliquam actionem abjectam exercet, eo ipso attollitur & sublimatur. Sic *David* saltando coram *Arca Dei*, dum illuderetur à *Michol* uxore sua, generosè dixit: *Ludar amplùs & deludar, & vilior fiam in conspectu Dei mei*; sed eo ipso evasit glorioſior. 2. Reg: 6. *Ibant Apostoli à conspectu concilii gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Act: 5.* Carceres, compedes, vincula, flagella, quæ pro gloria Dei perferebant, magnam illis claritatem dederunt. Martyrum nobilitas & stemmata consistunt in infamibus instrumentis, quæ illos affligebant, in lapidibus, craticulis, gladiis, rotis &c. *Si quem Christus participem suæ Crucis facit, ad stemma suum, illum admittit.*

2. Provolvendo se ad pedes IESU, Samaritanus ille faciebat se mancipium ejus, & veluti servum obsequiis ipsius addicebat, agnoscendo in se magnam obligationem. Poterat hoc Christus acceptare, & retinendo illum ad suum latus, operâ ejus uti: Nolebat tamen. Liberum illum facit, manu mittit. *Surge, vade*, scilicet in Regionem ad domum tuam, inter notos & cognatos. Interim contentus fuit promptâ ejus voluntate; desideravit, autem ab illo, ut in sua patria promoveret fidem in Christum, & augeret gloriam Dei, prædicando illud miraculum suis contribulibus. Quod alii affectu & ipsâ re, hoc tu præsta saltem affectu & promptitudine; & tantundem imò plus poteris lucrari, atq; illi. Dant alii largas eleemosynas, templa ædificant, aras construunt, pretioso apparatu altaria ornant, longas obeunt peregrinationes, jejunia, disciplinas faciunt; non potes reipsâ hæc præstare, saltem ergo affectu & voto præsta, & reddes contentum Deum. Relinquendus interdum Deus propter Deum; & ab una occupa-

occupatione, quâ Deus colitur, transeundum ad aliam, per quam magis potest coli ac honorari.

3. Non sibi suæq; omnipotentiæ Christus imputat illam à lepra emundationem sed fidei Samaritani. *Fides tua, te salvum fecit.* Cùm tamen in veritate ac revera ipse Christus, virtute suâ, illum fecerit salvum, seu spectemus salutem corporis, seu animæ, quam ei contulit per gratiam justificantem, emundativam animæ à lepra peccati. O quàm magnificus est Remunerator Deus noster! quàm amplam vicem homini reddit pro vice! Detulerat illi Samaritanus honorem, recognoscendo se de manu ejus accepisse sanitatem, adorabat, colebat, osculabatur pedes JESU; reddit illi honorem JESUS; fidei ipsius totum negotium imputat, simulq; docet: *Fortunæ suæ quemq; esse fabrum.* Si tu bene agis cum Deo, meliùs adhuc Deus aget tecum: sin minus, non mirere, adversari tibi fortunam & Deum. *Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente, innocens eris; & cum Electo Electus eris; & cum perverso, perverteris*, pronuntiat de Deo nostro, *Psal: 17.*

DOMINICA XIV.
POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus dominis servire. Mat: 6.

1. POssumus quidem simul, imò debemus servire duobus Dominis, quorum unus est *Summus*, qualis est DEUS; alter verò ei *subordinatus*, quales sunt superiores, locum DEi tenentes, dum nihil repugnans voluntati Dei imperant. Quia, estò hi domini, sint duo materialiter ac entitativè, tamen sunt unum formaliter ac moraliter; nam unam habent formam moralem, ob quam pari ratione est superiori atq; Deo parendum; Scilicet voluntatem DEi. Hæc enim tam in jussu hominis, quàm in jussu DEi, unicè ac principaliter attendi debet: hinc in Persona superioris, consideranda mihi est Persona DEi. Atq; hoc exigit Apostolus dum ait: ad Col: 3. *Obedite Dominis temporalibus, non solùm bonis & modestis, sed etiam discolis, tanquam Domino & non hominibus.* Hoc insuper exigit ratio instituti mei, votum obedien-

tiæ includens. Hoc exigit mens ac intentio S. Fundatoris.

2. Nihilominùs duobus Dominis sibi contrariis, cujusmodi est DEUS & *Sensualitas*, nemo potest servire simul. Quia hi Domini omnino contraria & incompossibilia imperant. Deus enim jubet resistere cupiditatibus, appetitus frangere, speciosa quæq; contemnere &c. Sensualitas autem è contra jubet, sibi indulgere, appetitui obsequi, vanam gloriam captare &c. Sicut ergo impossibile est, ut idem objectum simul ames & oderis, prosequaris & fugias, appetas & detesteris; ita impossibile est, ut simul & Deo, & sensualitati obtemperes. Sensualitas est Dominus illegitimus, Tyrannus, perniciem tuam ultimam intendens: Deus autem est Dominus legitimus, connaturalis, saluti tuæ in omnibus prospiciens. Quousq; igitur illi Tyranno servies & quidem ultrò ac spontanèé? Non potes utriq; Domino servire. Ergo elige legitimum; illum adora, illi te totaliter subde: quod fiet tunc, quando *subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Gen: 4. O *Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus & Filius ancillæ tuæ humilis.* Psal: 115.

3. Non possum ita dividere cor, ut unâ ejus parte serviam Deo, & alterâ sensualitati; siquidem cor divisum non est cordi Deo. Nam ita est resolutus DEus, ut aut totus sis ejus, aut si non es totus, ex nulla parte eris. *Diliges D. D. tuum ex toto corde tuo.* Mat: 22. *Fili præbe mihi cor tuum,* (*Prov: 23*) non partem cordis. Porro ille est totus Dei, qui soli Deo servit; nulli rei Deum postponit, ob nullos respectus Deum offendit. *Claudicat in utramq; partem,* (*3. Reg: 18.*) qui vult placere & Deo & Creaturæ. Mentitur, qui asserit, se utrumq; posse obtinere, ut & voluntati Dei, & voluntati carnis obsequatur. *Quæ enim conventio lucis ad tenebras, Christi ad Belial,* (2. Cor: 6.) *Arcæ ad Dagon.* 1. Reg: 15. Ergo te totum Deo trade. *Suscipe Domine universam libertatem meam; accipe memoriam, intellectum, voluntatem. accipe omnes sensus corporis mei, oculos, aures, manus, pedes. Quidquid habeo, vel possideo, hoc totum tibi trado.*

FERIA II.

Non potestis servire Deo & mammonæ,

II.

1. OB tres rationes. 1. ex parte hominis. Quia homo cùm sit unus, non potest esse divisus, ac proinde non potest tendere nisi in unum finem adæquatum; neq; potest habere duos fines. Qui ergo servit fideliter Deo, constituit illum pro ultimo fine vitæ suæ, ac proinde ad illum, omnes actiones suas dirigit; unde illis non potest occupari circa aliquid diversum à Deo. Et è contra, qui se impendit servitio mammonæ, seu avaritiæ, omnes actiones ponit in congregandis divitiis, ac proinde non potest obsequi Deo. *Mihi autem adhærere Deo, bonum est; Quid mihi est in cælo & à te quid volui super terram. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Ps: 72.

2. Est ex parte Dei. Quia cùm Deus sit omnium Creator & Salvator; est etiam omnium ultimus finis; unde vult coli & amari super omnia; neq; patitur, aliquem sibi in amore comparari. *S. Gregorius* ait: *Quia Deus totum hominem condidit, habere eum communem cum adversario non dignatur.* Adversatur ergo Deo, qui se dividit; partem illi, partem mundo impendendo. *Diligo te Domine non parte cordis, sed ex toto corde meo, ex tota mente mea, ex totis viribus meis.*

3. Est ex parte Divitiarum. quia Divitiæ, ita cor avari ad se attrahunt, ut illud non sinant tendere in Deum; ita mentem ad curas terrenas inclinant, ut eam elevari ad cælestia non permittant; ita affectus hominis occupant & possident, ut in eis commorari desiderium Divinorum non patiantur. ùt patet in tot avaris, quorum tota mens, tota solicitudo, in excogitandis artibus, divitias corrogandi. Nam verissimum debet esse illud: (Mat: 6.) *Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* E contra verò Deus, servientem sibi movet ad superiora; nam serviens Deo, cogitat de cælestibus, æternis, Divinis; vilescunt illi terrena omnia; libenter omnia sua temporalia tradit pro Deo vel saltem tradere desiderat. *Omnia arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat.* ad Phil 3. *Sordet illi terra, dum cælum intuetur.* S. Ignatius *Vade & tu fac similiter.* Luc: 10.

FE-

FERIA III.

Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis? neq; corpori vestro, quid induamini?

1. INnuit hic Christus de Sanctissima Eucharistia, quæ est cibus animæ, ut ipse ait: Ioan: 6. *Caro mea verè est cibus; est Panis vivus confortans & vivificans cor hominis.* Ps: 103. Alii cibi vegetant, nutriunt, & augmentãt corpora; hic autem cibus vegetat, nutrit, & augmentat animam: dando ei vires & auxilia supernaturalia ad salutariter operandum; & faciendo in ea augmentum virtutum, præsertim fidei, spei, charitatis, Religionis. De hoc ergo animæ cibo jubet nos Christus non esse solicitos; siquidem ipse illum nobis & facilè & abundè providit. Facilè quidem; quia ad illum comparandum, non est necesse, grandes impensas profundere, labores graves subire; sufficit, aliquot verba, ab illo, ad hunc finem, instituta proferre. Abundè verò, quia ad illum habendum non est opus, longinquas adire terras, maria tranare; in quavis civitate, vico, templo, sacello, nobis prostat. Si in uno duntaxat orbis loco, à nobis remotissimo, hunc cibum appositisset, debuissemus tamen ad illum accurrere. Si magnas pecunias pro eo postulâsset; erogare debuissemus. O quantùm jam est colenda! quantùm adoranda tam profusa ipsius erga nos munificentia! Solùm ergo soliciti esse debemus, cum quali præparatione ad hunc cibum accedamus? quomodo eum manducemus; cum qua gratitudine ab hac mensa recedamus, de qua dictum: *Parâsti in conspectu meo mensam.* Ps: 22.

2. Hæc est genuina vitæ Religiosæ felicitas, non esse solicitum, quid comedam? quo vestiar? ubi habitem &c. Siquidem Providentia Dei, de his omnibus longè meliùs mihi prospicit, quàm ego ipse prospexissem mihi in statu seculari. Quantis curis implicantur seculares! ut sibi procurent victùm, amictum, habitationem! &c. Impendunt interdum sanguinem, vitam, multisq;, ex hac occasione, peccatis sese involvunt, ob quæ reduntur obnoxii æternæ damnationi; & tamen vix interdum hoc

assequun-

assequuntur, ut sufficienter habeant. Mihi autem DEus non solùm ad sufficientiam, sed etiam ad delicias providet necessaria ad mêi sustentationem; atq; per hoc eripuit me ab omnibus perplexis curis ac solicitudinibus nimiis; idq; ideo, ut illi soli pro hoc serviam, & unicè sim solicitus circa honorem ejus. Quantum igitur debeo Deo meo, pro hac profusa ejus, circa me, solicitudine & providentia! quantoperè mihi cavendum est, ne in me cadat illa comminatio: (Iob: 20.) *Divitias quas devoravit evomet, & de ventre illius extrahet illas Deus.*

3. Si de alimentis ac vestibus non vult Christus nos esse solicitos; quid diceret de honore, de dominatu, de cæteris vanitatibus minimè necessariis vel utilibus? imò perniciem animæ sæpè afferentibus? O fumi! qui nihil aliud agitis, nisi oculos perstringitis, cerebrum perturbatis, obscuratis phantasiam, caput obnubilatis! quot sectatores habetis, qui vestrî causâ pereunt! O *vanitates & insaniæ falsæ*! quàm multos dementatis, quàm multos tollitis in altum, *ut casu graviore ruant*! O ignes fatui! qui fugitis persequentes vos; & insequimini vos fugientes! quàm sunt fatui, qui vos insequuntur, captant, apprehendunt, & delectantur in vano splendore vestro! Verè, sicut nubes densæ, aspectum solis eripiunt; ita nimiæ de rebus terrenis anxietates tollunt studium rerum cælestium. *Dominus solicitus est mêi*, (Ps: 39.) *& nihil mihi deêrit, in loco pascuæ, ibi me collocavit*, (Ps: 22.) *ubi servire Deo regnare est*, & inter mancipia Divina numerari, plusquam regium.

FERIA IV.

Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neq; nent &c.

1. COnsideratio est veluti manducatio animæ. Sicut enim, ut Corpus sit salvum & vegetum, necesse est, ut cibum ori ingestum manducet, in partes eum dividendo, comminuendo, ruminando, masticando, tum in ventrem demittendo; ita quoq;, ut anima sit vivida, & ad bene operandum expedita, opus est, ut

consideratione pascatur, expendendo præterita, præsentia, futura; prævidendo pericula evitanda, lucra comparanda, modos bene agendi, artes evadendi malas occasiones. Nam sicut ex carentia comestionis, sequuntur multa incommoda corporis, ùt vertigo capitis, perturbatio cerebri, molesta insomnia, languor ac debilitas membrorum, macies &c. ita ex omissione considerationis, nascuntur perturbationes, inquietudines, suspiciones, iræ, rixæ, diffidentiæ, ariditates, defectus devotionis, pietatis, obedientiæ, humilitatis &c. Hinc illud Psalmi: *Aruit tanquam testa virtus mea,* (Ps: 21.) *quia oblitus sum comedere panem meum.* Ps:101.

2. Sicut imprudentibus & incautis, Creaturæ solent esse in laqueum ac in muscipulam: ita, ut illi videndo Creaturæ alicujus pulchritudinem, suavitatem, oblectamentum, soleant ei nimio affectu adhærescere, eamq; sibi pro ultimo fine statuere, & in ea ultimatè conquiescere; atq; ita averti à Deo, ejusq; memoriam deponere; ita considerantibus, solent esse occasio & motivum ascendendi ad Deum, ejusq; amore inardescendi. Ex aspectu unius floris, homo consideratus, multùm potest in spiritu proficere. Unum pulchrum lilium potest illi esse gradus & scala, per quam ascendat ad contemplandas Dei perfectiones, illasq; glorificandas. Ita *Magno Antonio* mundus fuit *Liber, & Creaturæ* in eo existentes, *literæ* explicantes illi Dei bonitatem, sapientiam, omnipotentiam &c. ita *S. P. Ignatius* ex aspectu unius flosculi, vel vermiculi, ascendebat ad cognoscendam Dei majestatem, eamq; amandam, colendam, adorandam, dicendo cum Davide: (Ps: 91.) *Delectàsti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum.*

3. Non quemcunq; florem sed Lilium jubet nos considerare Christus; quia quod lilium est inter cæteros flores, hoc justus bene consideratus est inter reliquos homines. Lilii radix est parva, humi latens, inaspectabilis, nullo odore pollens; ipse tamen flos Lilii, præeminet aliis floribus, ramorum proceritate, foliorum candore, odore suavissimo; ita consideratus justus debet esse bene radicatus in humilitate, tum dilatare bona opera, morum candore micare, puritatẽ animæ & corporis tenere, diffundere in proximos odorem boni exempli; juxta illud: 2.Cor:2.

Christi

Christi bonus odor sumus. Languet lilium ad minimum contactum manûs, marcescit, contabescit; & anima considerata, minimos defectus tanquam graves pestes debet horrere, aversari, detestari, & ob illorum lapsum contabescere, ut fiat illud: *Iustus germinabit sicut Lilium, & florebit in æternum ante Dominum* Oseæ 14.

FERIA V.

Nec Salomon in omni gloria sua cóopertus est, sicut unum ex istis.

1. QUis hoc unquam crederet? nisi id Christus, qui est summè infallibilis veritas, enuntiaret; Quod etiam Iob asseruisse videtur dicens; c. 14. *Homo quasi flos egreditur, & conteritur.* Alia sunt rerum pretia in reputatione hominum, & alia in reputatione seu scientia Dei. Homines judicant de rebus, secundùm ea, quæ foris apparent, sensibus subjiciuntur; *Deus autem intuetur cor,* (1. *Reg:* 16.) & intimam ab ipsa natura productionem. Tota gloria Salomonis consistebat in auro, argento, lapidibus pretiosis, in vestibus & aulæis sericis, in palatiis magnificis; hæc autem omnia, sunt extrinseca prorsus accidentia, data à Fortuna, quæ plerumq; dantur hominibus impiis & reprobis, ab irato Deo, nolente homines præmiare donis æternis, sed solùm temporalibus. Decor autem Lilii consistit in candore niveo, in odore suavi, in foliorum pulchritudine; hæc autem sunt accidentia, ab ipsa natura, data, & per intrinsecam emanationem, ab ea, producta, & nunquam absunt à lilio connaturaliter existente, cum illoq; vivunt vitâ vegetativâ. Porro modus essendi vitæ, altior est, quàm modus essendi tantùm. Item modus habendi naturaliter, & per intimam emanationem, sublimior est, quàm modus habendi fortuitò, & per extrinsecam tantùm adjacentiam. Meritò ergo Christus præfert decorem ac vestitum ejus lilii, supra totam pompam Salomonis. Deus enim ita judicat de rebus, prout sunt in se, & in veritate objectiva. Iam ergo non habet Pompa mundana, quod tantopere jactet; siquidem in judicio Divino vincitur ab uno flore. Non habet sensus humanus

comparabilis! quis te non redamet? ô dilectio summa! quis te non appretiet?

3. Sæpè Domini temporales sciunt necessitates subditorum suorum, sed scientiâ speculativâ non prodeunte ad praxim; vel quia non possunt; vel quia non curant illis succurrere. Deus autem scit indigentias nostras Scientiâ Practicâ congruâ Providentiæ suæ. Quia scilicet novit & vult providere alimenta volucribus, & vestimenta liliis, quorum est Creator; quantò magis hæc providebit Filiis adoptivis, quorum est Pater. Meæ scientiæ, quibus mihi provideo commoditates, sunt incertæ & erroneæ; puto hunc aut illum locum esse mihi proficuum, hanc aut illam occupationem esse mihi congruam, ideoq; illam opto, ac designari mihi curo, sed persæpé fallor; nam ubi commoditatem sperabam, ibi perturbationem & inquietudinem invenio. Totaliter igitur debeo me projicere in sinum Providentiæ Divinæ, quam mihi explicat & pandit dispositio superiorum.

SABBATO

Quærite primùm Regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis.

1. PRima, præcipua, ac prædominans cunctis curis debet esse cura de quærendo Regno Cælorum. Quo enim intervallo Cælum superat terram, aut æternitas diem; eo intervallo curæ de acquirendo regno cæleſti superare debent curas de rebus terrenis ac temporalibus. Si terra conferatur cum cælo, punctum est; si dies comparetur cum æternitate, momentum est. Eodem modo, si terrenæ ac temporales curæ conferantur cum curis cælestibus, deberent esse modicæ & punctuales. Punctum temporis si illis tribuatur, satis est; reliquum totum cælestibus esset tribuendum. Ah deplorandam inertiam cæcitatemq; mortalium, ac inprimis meam! qui plurimum præcipui temporis impendo magis temporalibus; Divinis autem tractandis vix aliquid, idq; fastidiosè & perfunctoriè! quantopere id dolebo in hora mortis, & tota æternitate!

2.

2. Sicut olim Patriarchæ *Iacob* Deus ostendit non solùm Regnum suum, sed etiam scalam, ad illud, pertingentem. *Gen: 28. Ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum. Sap: 10.* En via seu scala perducens ad Regnum æternum, est Scientia Sanctorum. Ita hic ostendit Christus & Regnum Dei, & iter, quo ad illud est perveniendum: nimirum justitiam, quæ reddit unicuiq; quod suum est. Scilicet, DEo, mihi, Proximo. Deo cultum, amorem, laudem, gratiarum actionem &c. Mihi mortificationem, vilipensionem, curam conscientiæ. Proximo, charitatem, observantiam, reverentiam. Per hos nimirum gradus ascenditur ac pervenitur ad salutem æternam. Quàm paucos hactenus ego gradus conscendi! Quàm longa mihi adhuc restat via! *Iacob* in sua scala vidit Angelos ascendentes & descendentes; (*Gen: 28.*) Video & ego alios collegas meos per quotidianum virtutum exercitium ascendentes, me verò computare debeo inter descendentes. Quò enim longiorem vitam traho, eò deterior evado. Vigent in me passiones, recrudescunt cupiditates &c.

3. En Pactum Dei cum hominibus, quo ille se obligat, ut si homines primam curam posuerint circa quærenda cælestia, & justitiam sectandam, Deus etiam illis adiecturus sit bona temporalia; sin minus, Deus etiam non tenebitur pacto. Hæc enim est natura & conditio pacti. *Fidelis revera Deus est in omnibus verbis suis.* (*Psal: 144.*) Modò ego ex parte mea non desim in adimplendis pacti conditionibus, certè ille non dèerit in adimplendis suis promissis. Non frustra enim Christus utitur hoc termino, *Adjicientur vobis.* Quia sicut adiectivum cum substantivo, juxta leges Grammaticas, concordat in eodem genere, numero, & casu; ita juxta legem Christi, si cura circa res Divinas, salutemq; æternam, apud me fuerit substantia, primum quid, radicale, fundamentale; bona temporalia, quæ sunt adiectiva, pari proportione, & mensurâ, mihi correspondebunt.

DOMINICA XV.

POST PENTECOSTEN.

Ibat JESVS in Civitatem Naim, & ibant cum illo discipuli ejus. Lucæ 7.

1. NOn dicit Evangelista: *Ivit*, sed *Ibat*; ut hâc imperfecti temporis locutione indicaret maximam Dei ad benefaciendum nobis propensionem. Nimirum Deus est fons perennis, nunquam à diffundendis beneficiorum suorum rivis cessans, sed jugiter illos in omnes effundens. Quocunq; tempore, seu mane seu vesperi, seu meridie, seu mediâ nocte ad eum accesseris, promptiorem illum invenies ad benefaciendum, quàm te ad postulandum. Quippè non solùm postulatis annuit, sed etiam illa prævenit, cumulateq; illa, & supra vota largitur. Nam infinitâ, erga nos, charitate flagrat. Semper habet unde det, cui plenum est pectus charitatis.

2. Ibat simul JESUS cum discipulis suis, ut eos doceret, quòd in via virtutis nunquam sit cessandum, sed semper eundum & progrediendum. Imitandus quippé est sol, continuò in suo cursu procedens. Imitanda *Beatissima V.* à primo conceptionis instanti nunquam ab amore Dei cessans, sed quovis instanti, novum ac novum actum meritorium eliciens, adeoq; in immensum, Gratiam Sanctificantem, in se, augmentans. Imitandus deniq; ipse Deus, qui postquam semel condidit mundum, nunquam ab opere cessat; semper enim vel antiqua conservat, vel destructis antiquis, nova producit. Verificare debemus effatum illud Psalmi. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion. Trahe me Domine post te, curram in odorem unguentorum tuorum.* Can: 1.

3. Fideles Christi Assectæ, Apostoli, ex quo semel constituerunt sequi Christum, semper ejus lateri adhærebant, semper illum comitabantur, tanquam apes Matrem, tanquam boni milites Ducem, tanquam discipuli charum Magistrum. Ibat orandi causâ ad montem, sequebantur; ibat ad mare in navim, sequeban-

bantur ; ibat in Canam Galileæ ad nuptias, sequebantur ; ibat Hierosolymam ad Passionem mortemq́; acerbissimam, sequebantur ; At ego non ita! Dum prospera fortuna mihi blanditur, dum omnia fluunt è voto, tunc laudo ac benedico Deum ; sed ubi adversus ventus incipit flare, protinùs vela contraho, recedo à Deo, per impatientiam, per murmurationem, indignè ferendo, temerè judicando, temerius loquendo. *Domine, quo ibo? verba vitæ æternæ habes.* Ioan: 9. *Non me permittas separari à te. Adhærere tibi, bonum mihi est.* Psal: 72.

FERIA II.

Cùm appropinquaret Portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur.

1. AD portam Civitatis Christus reperit adolescentem defunctum; quia nusquam citiùs anima, per peccatum grave, mortua effertur, quàm per patentes Portas sensuum. *Mors intrat per fenestras.* In primam generis humani Parentem *Evam*, quânam intravit spiritualis mors? nisi per portas sensuum. *Vidit comedit ; Gen: 3.* & per has portas Gratia elata est ex ipsius anima, *mors autem intravit.* Ionathas lamentatur: *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior.* 1. Reg: 14. *Ut vidi, perii! Oculus meus deprædatus est animam meam!* Thren: 3. Quanta igitur custodia circa has portas est adhibenda! Romani olim in periculo constituti exclamabant: *Annibal ad portas!* Idem mihi esset dicendum, cùm periculosum aliquod occurrit objectum. *Periculum æternæ mortis ad portas. A porta inferi erue Domine animam meam. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Ps: 140. *Custodi me Domine ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me.* Psal: 16. *Custodi Domine introitum meum & exitum meum.* Psal. 120.

2. Ut in Civitatem *Naim* Christus ingrederetur, defunctus è Civitate efferebatur. Naim significat *Pulchritudinem;* ut ergo gratia Dei in animam intret, eamq́, pulchram in oculis Divinis reddat, necesse est, ut inde peccatum lethale, per hunc defunctū, significatum efferatur, ejiciatur, exterminetur, per confessionem

 since-

sinceram, humilem, dolorosam, obsequentem; hi enim sunt 4. veluti portitores, quorum humeris debet è penetralibus animæ exportari cadaver peccati. Nam sicuti, ut introducatur substantialis forma in subjectum, prærequiritur in eo, expulsio qualitatum illi formæ contrariarum, tanquam negativa quædam dispositio; ita, ut in animam inducatur Gratia justificans, priùs necesse est, inde expelli per animosam & claram confessionem, contrariam peccati gravis affectionem. *Surge surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, (Can: 4.)* expelle ab eo morbidas, qualitates, & *fluent aromata* odorifera Deo.

3. Quia Christus appropinquat Portæ Civitatis, prodit illi obviam lugens de obitu Filii sui vidua, multo civitatis comitatu, stipata. Inaudiverat forsitan illa, Christum esse *Resurrectionem & vitam; Ioan: 11.* ergo ad illum, ut Filius suus à mortuis resurgat vitamq; recipiat, confestim accurrit, cum multis intercessoribus. Quò in tribulatione recurrendum? nisi ad Consolatorem Deum? Adjutorem in opportunitatibus? *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi.* Ps: 120. *Domine vim patior, responde pro me.* Isaiæ 38. *In te speraverunt Patres nostri, & liberasti eos; speraverunt, & salvi facti sunt. Psal: 21.* Libenter Christus habuit illum celerem viduæ, ad se, recursum; nam ultrò ad loculum accessit, & datâ consolatione, afflictæ, in conspectu multorum, defunctum ejus Filium suscitavit à mortuis vitæq; reddidit. Confidam & ego in ejus bonitate, quòdsi ad ejus auxilium in meis necessitatibus recurrero, & remedium imploravero, non repellar ab eo? *Veniens veniet & non tardabit,* (Habacuc 2.) *veniet in tempore opportuno, multis affluens miserationibus.*

FERIA III.

Ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matri suæ, & hæc vidua erat.

1. EN hic depingitur viva imago vanitatis mundi & futilium ejus bonorum. Nonnè hic defunctus diu se victurum sperabat, ut potè ætatis floridæ adolescens? nonnè multis commoditatibus

ditatibus vitæ, imò deliciis affluebat? ut potè unicus apud Matrem viduam & opulentam? Nonnè oculos intuentium, præsertim suæ Matris, aspectabili suâ formâ recreabat, & corda vicinorum suavi alloquio ad se trahebat? Nonnè Mater unicam spem domûs & familiæ suæ, illum fore sperabat, & ut talem suspiciebat, fovebatq; ? Nonnè tota Civitas illum magnis olim honoribus ac divitiis cumulandum arbitrabatur? Ecce verò repentina mors turbavit omnia! & adolescenti vitam, & matri solatium, ac spem, & civitati expectationem inopinatò eripuit! Ille formosus, fædum cadaver; ille gratum odorem exhalans, fætet; ille vivax & flammeus, jacet; ille tot bonorum heres, effertur; illud delicium oculorum, amovetur ab oculis; ille in agendo dexter, é domo materna, è Civitate, alienis manibus exportatur. Nulli rei mundanæ multùm fidendum! nulli nimis adhærendum! nihil enim hîc est firmum & stabile! illuc sunt affectus nostri transferendi, ibiq; fundandi, ubi est æterna & nunquam nobis eripienda possessio.

2. Vidua hæc designat animam meam, unicus verò ejus Filius appetitum meum volitivum; Hôc enim nihil habeo charius, nihil amabilius. Porro iste Filius, tunc vivit, cùm per amorem inhæret Deo, Primæ vel radicabili vitæ. *Qui enim adhæret Deo, unus cum illo Spiritus efficitur; 1. Cor: 6.* vitamq; ab eo participat. *Anima plùs ibi est, ubi amat, quàm ubi animat.* Tunc verò moritur, quando à Deo per aliquod peccatum avertitur, & ad Creaturam præpostero affectu convertitur. Effertur autem è domo & civitate, cùm opere externo, consummat internum consensum, & opus peccaminosum perficit, ita, ut etiam aliis innotescat, eosq; scandalizet. Anima verò tunc efficitur vidua; quia spoliatur gratiâ & favore Dei, & repletur amaritudine ac remorsu conscientiæ affligitur. Ut ergo iste Filius reviviscat, & hæc vidua solatium accipiat, necesse est ire ad Christum, illi obviare, illi præsentare miseriam nostram, per submissam confessionem, per dolorem, per lacrymas, per implorationem Sanctorum, DEo, gratorum

3. Rectè ista vidua typum gerit *Virginis Beatissimæ.* Imprimis quòad hoc, quia & illa unicum Filium suum è Civitate Hierosolyma, cum funesto crucis feretro exeuntem, cum lacrymis suit

comitata; ac insuper mortuum, de cruce depositum, in suas ulnas recepit, tum ad sepulchrum, cum fletu & mærore est prosecuta; deniq; suscitatum à mortuis ac redivivum, cum inenarrabili gaudio vidit, salutavit, amplexata est. Deinde quòad hoc; quia, cum suos clientes, seu Filios adoptivos videt per grave peccatum, spiritualiter in anima mortuos, magis & ardentiùs pro eis Christo supplicat, quàm hæc vidua, pro suo unico defuncto, aut *Monica* pro *Augustino*, tamdiu, donec illi Christus dicat: *Noli flere*; donec efficaci gratiâ tangat illorum cor, & vitæ spirituali eos restituat. *Salve Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve.*

FERIA IV.

Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motûs super eam, dixit illi: Noli flere.

1. NOn sola vidua, funebri illi Processioni aderat; interfuerat quoq; multa civitatis turba: & tamen non legitur Christus turbam vidisse, sed solùm viduam. Quia nimirum illa turba officii duntaxat & humanæ politiei causâ tunc aderat; sola autem vidua, nimiùm afflicta & fundens amaras præ dolore lacrymas. Speciale oculorum Divinorum objectum est cor plenum amaritudine, & oculi manantes dolorosis lacrymis. *Super quem respiciam,* (ait Dominus Isaiæ 66.) *nisi super humilem & pauperculum, & compunctum corde.* Ita Christus libenter respexit *Petrum flentem amarè*; (*Mat. 26.*) ita lacrymæ *Magdalenæ* gratiores fuerunt Christo, quam lautæ Pharisæi epulæ, & vina: (*Lucæ 7.*) *Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Ps. 50.

2. Non aliter gravissimi quiq; Peccatores resipiscunt, & à peccatis resuscitantur, nisi recurrant ad implorandam opem Sanctissimæ Virginis, quæ cùm tanquam Mater peccatorum, pro illis Christo supplicat, tunc ille movetur misericordiâ super eam, dat eis Gratiam verè ac seriò pœnitendi, & sic illos à morte spirituali eruit ac restituit suæ amicitiæ, salutiq; æternæ. Testatur

hoc

hoc *Theophilus*, qui cùm se Dæmoni per datum chyrographum mancipâsset, verumq; Deum ejurâsset, postquam ad opem Sanctissimæ Dei Matris confugit, ipsius interventu, chyrographum recuperavit, & veniam suorum peccatorum est consecutus. Testatur *S. Maria Ægyptiaca*, quæ postquam eidem Sanctissimæ totam se devovit, aditum ad templum, & osculandam S. Crucem invenit, ac tandem secedens in Eremum, in magna austeritate, vitam pœnitentem multis annis egit. Testantur alii innumeri peccatores, quorum Ego sum Primus. *Per te ulteriorem accessum habeam ad Filium, ò benedicta inventrix Gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis, Domina mundi.* S. Bern.

3. Iubet Christus plorantem de obitu Filii sui viduam, cessare à lacrymis, fletumq; sistere; nam in præsentia Christi non erat locus & campus tristitiæ. Siquidem per illum, homo erat eliberandus ab omni malo. Quæ anima habet præsentem sibi Deum per gratiam justificantem, non est obnoxia mœrori. *Secura mens juge convivium. Prov: 15.* Habe bonam conscientiam, & habebis semper lætitiam. Iustorum lætitia, de Deo & in Deo est, Nemo securè gaudet, nisi bonæ conscientiæ testimonium habeat. *Salomon* inter tot divitias, voluptates, magnificentias mundanas non habet plenam lætitiam; agnoscit in illis omnibus vanitatem, quæ illum perfectè exhilarare non poterat. *Petrus* autem, estò vinctus catenis, & compedibus, estò ad mortem è fœtido carcere propediem esset educendus, dormit securus, dulcesq; somnos trahit intrepidus, *Act: 12.* quia *Salomon* non habuit Deum propitium; nam turpi erat contaminatus idololatriâ; *Petrus* autem nullius fuit culpæ conscius, mens ejus possidebat inhabitantem Deum.

FERIA V.

Et accessit, & tetigit loculum; & ait: Adolescens, tibi dico, surge.

1. MOrtuale illud feretrum è ligno compactum, in quo defunctus portabatur, juxta *S. Ambrosium*, imago erat *Ligni Crucis, in quo vita mundi pependit.* Sicut ergo, quando Christus accessit

cessit ad loculum, eumq; manu tetigit, defunctus adolescens ad vitam rediit; ita quando ad *Lignum Crucis*, veluti suum loculum, Christus accessit, illudq; Sacro suo corpore attigit, & sanguine profudit, mundus per peccata mortuus, vitæ salutiq; æternæ est restitutus. Feretrum Sactæ Crucis mortem à nobis exportavit, & salutis antidotum vitamq; nobis attulit.

2. Sicut defunctus adolescens designat Peccatorem, ita loculus, in quo jacebat ac efferebatur, significat pravos habitus, & vitiosas consvetudines, per frequentatos peccatorum actus, contractas, in quibus peccator delitescit, & quibus impellitur ad labendum ac delinquendum. Accedit ergo Christus ad loculum, eumq; manu tangit, ut ostendat, difficillimum esse, peccatorem è feretro pravorum habituum consurgere. Non satis hic est, vocem proferre & alloqui, sed opus est forti accessu Gratiæ Divinæ prævenientis, opus est speciali manûs Divinæ impulsu; ut nimirum Deus *faciat potentiam in brachio suo; Luc: 1.* ut cor, talibus vitiis implicitum, tangat timore judiciorum suorum ac pœnarum inferni; tum vividâ spe misericordiæ & veniæ peccatorum obtinendæ.

3. Non rogantis fuit ista vox, sed imperantis: *Adolescens tibi dico: Surge.* Quia Deus vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Non vivebat ille adolescens, non poterat audire, & tamen Christus, illum tanquam viventem & audientem alloquitur. Si poterat Christus ut Deus, & animam & corpus adolescentis producere ex nihilo, cur unionem horum, esto fuerit destructa, producere non potuit? Certè illam potuit producere primò, tunc, quando iste adolescens cæpisset primò vivere, cur illam non posset producere secundò? vel quoad individuum, vel quoad speciem? *Non est enim apud Deum impossibile omne verbum. Luc: 1.* Quod fecit Christus cum uno adolescente, hoc faciet cum omnibus hominibus. Veniet tempus, *ut omnes, qui sunt in monumentis, audiant vocem Filii Dei, & prodeant ad judicium; hi in vitam, illi in mortem æternam Ioan: 5.* Et ego, de quorum tunc numero ero? *Credo, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die, de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt, Iob: 19.*

FE-

FERIA VI.

Hi autem qui portabant steterunt, & resedit qui erat mortuus, & cæpit loqui.

1. HI Portitores, qui defunctum Adolescentem efferebant, ex mente *S. Ambrosii*, designant quatuor Elementa, quæ nos ad sepulchrum quotidie efferunt. Quia homo constat ex 4. Elementis, ut potè habens corpus mistum, habet sibi insitas 4. qualitates contrarias, illorum proprias, ut siccitatem, frigus, humiditatem, calorem; dum ergo hæ qualitates, ut potè contrariæ, secum pugnant, invicem sese atterunt, ita ut vis & activitas illarum quotidie imminuatur, & à primævo suo statu ac temperamento desciscat; donec tandem contra calorem & humiditatem, prævaleat frigus & siccitas, quæ quia sunt qualitates terræ propriæ, ideo nos ad terram & ad sepulchrum tandem deducunt. Atq; hæc quotidiana contrariarum qualitatum nobis immanentium pugna, quotidie deberet nos admonere de instante periculo vitæ, ne ei fidamus, sed quotidie de fine ipsius latente cogitemus. Quamdiu lychnus & oleum in lampade supereſt, tamdiu lampas ardet, & lucet; ubi illa defecerint, etiam ardor & splendor lampadis deficit. Lychnus iste & oleum, est in me *Humidum Radicale* calori contemperatum. Non constat mihi, quandonam hoc humidum calidum ultimò tandem superabitur à siccitate & frigore? an hodie? an cras? ergo quotidie expectandus finis vitæ.

2. Sicut 4. contrariæ qualitates pugnando secum, & una prævalendo alteri, quotidie vitam nostram corporalem efferunt ad sepulchrum; ita potissimùm 4. vitiosæ affectiones, vitam spiritualem animæ eripiunt, & ad sepulchrum desperationis ac damnationis æternæ exportant. Nam ira furibunda per ignem, superbia & vana supra alios elatio, per aërem, luxuria per aquam, Acedia & torpor in servitio Dei per terram, earumq; qualitates proprias designantur. Si ergo aliqua ex his affectio prædominatur in anima, jam vita animæ sensim effertur ad desperationis tumu-

tumulum: quodsi omnes istæ pravæ passiones regnent alicubi, jam veluti portitores, efferunt animam, & appropiant morti damnationiq; æternæ. Ut ergo anima vivat Deo, & felici æternitati, oportet has indomitas passiones sistere, cohibere, reprimere. Domine sicut imperâsti ventis, mari, procellis, & continuò obediverunt imperio tuæ vocis; *Qualis est hic? quia venti & mare obediunt ei. Mat: 8.* ita impera his efferatis passionibus, frenumq; illis injice, & fiet tranquillitas, redibitq; spes vitæ.

3. Non est quidem expressum, quidnam & ad quem adolescens ille resuscitatus fuerit locutus? facilè tamen conijci potest, illum esse locutum inprimis ad Christum, tanquam Authorem vitæ sibi redditæ, gratias agendo illius bonitati, laudando ipsius omnipotentiam, magnificando ipsius misericordiam, adorando ipsius summam authoritatem & excellentiam. Tum deinde ad Matrem, & ad circumstantem turbam, ea est locutus, quæ illi suggerebat pietas & devotio. Non est autem opinabile, ipsum tunc vacâsse otiosis & mundanis confabulationibus; nam status illius, hæc minimè patiebatur. Egregium profectò vitæ novæ argumentum est, vacare orationi laudiq; Divinæ; tum eos cum proximis miscere, sermones, qui ipsos ædificent, & ad morum probitatem excitent. Sicut vanæ secularesq; collocutiones, produnt animam Spiritu Divino vacuam, & cæleſtium prorsus expertem.

SABBATO.

Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant DEum, quia &c.

1. POterat quidem Christus resuscitatum adolescentem ad suum latus retinere, eumq; suis applicare servitiis; quia erat verus vitæ sibi recèns datæ Dominus. Maluit tamen illum reddere suæ matri; Tum ut ostenderet se esse verum Deum, qui cùm omnibus det omnia, ipse tamen nullius eget. *Deus meus es tu, bonorum meorum non eges. Ps: 15.* Tum ut plenum faceret matri solatium, & dolentes lacrymas integrè ab ejus oculis abstergeret: quod

quod tamen non fuisset, si illum matri non redditum, suis addixisset obsequiis. Tum ut illum mater, tanquam de manu Christi acceptum, in omni pietate & morum integritate, deinceps educaret. Tum quia non metuebat Christus de ipsius corruptela, utpotè quem jam mors in suis manibus tenebat; nam ab illa probè didicerat timorem Dei, ejusq; judiciorum, quo sufficienter refrænari poterat à peccando. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes; Psal: 54.* Ut nimirum horum memoria, conitineat illos à perpetrandis peccatis. *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl: 7.

2. Spectatores omnes, qui aderant resuscitationi Adolescentis defuncti, viso tanto beneficio, timent. Quo plura & majora accipimus à Deo beneficia, eò magis eũ debemus timere. *Cui enim plus datum est, plus requiretur ab eo.* A servo habente 3. vel 2. talenta, non requiruntur lucri, nisi etiam talẽta 3. vel 2. Cæterùm à servo habente talenta 5. requiritur etiam lucrum 5. talentorum. Non ille censendus beatus, qui multis & magnis beneficiis cumulatur à Deo, sed ille, qui eis benè & utiliter novit uti. Quid prodest stomacho, quòd ei multi ac delicati cibi ingerantur, si eos non possit concoquere, & in substãtiam bonam convertere: tortura una est, non oblectatio. Melius est, parum comedere, modò hinc sequatur commoda valetudo. Agnosco, & confiteor, me de tua manu, Domine Deus meus, innumera & maxima beneficia accepisse; sed simul recognosco, me ne pro minimo illorum puncto, debitas tibi egisse gratias, vel ut par est, illis usum esse. Unde præ timore deficit Spiritus meus; & sub illorum pondere, veluti arbor sub fructibus, fatiscit.

3. Variè Deus homines erudit ad magnificandam suam dignitatem. Filium hunc erudivit inopinatã morte, & restitutã miraculosè vitã. Matrem ipsius gravi afflictione & deinde consolatione. Alios verò spectatores, timore proveniente ex visa miraculi magnitudine. Pæna & consolatio venit ad paucos, metus autem ad omnes, qui in eis causavit debitam gratitudinem, laudem & magnificentiam Dei. *Benedic & tu anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus*

tatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam. Ps: 102.

DOMINICA XVI.
POST PENTECOSTEN.

Cùm intraret IESVS in domum cujusdam Principis Phariſæorum, Sabbato manducare Panẽ Luc: 14.

1. PRudens medicus, ibi primò adhibet medicinam, ubi advertit morbum maximè dominari, ut ita in radice & in fonte malum opprimat. Omnes quidem Phariſæi, laborabant gravi morbo invidiæ & odii erga Chriſtum, vel maximè tamen hoc malum dominabatur in Principe Phariſæorum; ille authoritate ſuâ fovebat hæc vitia in cordibus aliorum; ad illum tanquam anteſignanum reſpiciebant reliqui, & contra Chriſtum tumultus ciebant. Chriſtus ergo tanquam prudentiſſimus medicus, pergit ad illum primò curandum, ut hac ratione etiam reliquos ad meliorem frugem revocaret faciliùs. Domine ego ſum Princeps Phariſæorum; nam de me principaliter verificatur. Iſaiæ 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Veni ergo in domum cordis mei, ſub ſpeciebus Sacramentalibus exiſtens, & ſalva me. *Cor contritum & humiliatum* ſit tibi panis inſtar; appono illud tibi; ſume ergo illud, & converte ad te, ac in te. *Docebo iniquos vias tuas & impii ad te convertentur, Pſ: 50.* ſi me priùs converteris & in te mutaveris. Priùs à me incipe, ſi vis alios per me convertere.

2. Hoc vel maximè vitium eſt reprimendum, quod magis & frequentiùs in me regnat Nam edomito hujusmodi vitio, facilè reliqua compeſcuntur ac ſuperantur. Si anguillam vel carpionẽ à cauda comprehendas & capere velis, facilè tibi elabitur é manibus; quodſi hoc à capite fiat, tunc faciliùs tenetur. Si *David Goliam* non ſuperâſſet, Philiſtini populo Dei inſultâſſent; ſed quia illum fundâ dejecit, & caput gladio præcidit, exercitus Philiſtinorum Iſraéli ſuccubuit. 1. Reg: 17. *Quisq; ſuos manes patitur.*

Habet

Habet unaquæq; arbor suum vermem, qui illam rodit; & unaquæq; vestis suam tineam, quæ illam sensim exedit atq; corrumpit; & unusquisq; homo habet speciale suum vitium, quod est veluti radix & antesignanus cæterorum vitiorum. Contra hunc igitur *Achabum* fortiter est depugnandum, & facilè reliquus exercitus in fugam convertetur. 3. Reg: 22. Si per unum annum, unum saltem vitium eradicarem, hortus animæ meæ esset plenè purgatus, & proferret fructus virtutum uberrimos.

3: Traducebant Christum Pharisæi ac infamabant, quasi esset Homo *vorax, Potator vini &c. Matt. 11.* refutat Christus istam calumniam. Ostendit ad mensam Principis Pharisæorum, suam in victu parsimoniam. Non cibos opiparos, non lautas epulas, sed Panem manducat; idq; non gratis omnino; nam à Pharisæo accipiendo Panem corporalem, reddit illi panem spiritualem doctrinæ cælestis, & boni exempli. Cavere debeo, ne præbeam proximo materiam & occasionem, malè de me sentiendi ac loquendi: vel si iniquè traducor, curandum, ut contrariis moribus falsam illam traductionem ostendam, ne meritò id mihi eveniat. *Non tam curandum est, ut homines nihil mali de me dicant, quàm satagendum, ne verum dicant.* ut nimirum *mentiatur iniquitas sibi, Ps. 26 & obstruatur os loquentium iniqua. Ps: 62.* alioquin frustra incuso malitiam alienam. *Non fac, & non dicent.*

FERIA II.

Et ipsi observabant eum.

1. HInc patet, quo animo & fine Princeps Pharisæorum invitaverit in domum suam, Christum; ut nimirum cum suis assectis observaret eum. Sabbato illum invitavit; quia putabat, ipsum, facilè Sabbatum, violaturum. Hydropicum præ suis foribus vel statuit, vel toleravit; ut haberet in promptu muscipulam & occasionem capiendi illum. Convocavit ad se alios complices, superbos censores, & obtrectatores Christi, ut haberet testes oculatos & auritos suarum impostrarum, & calumniarum. Quot retia iste araneus pro capiendo Christo tetendit! Maculas in sole quærebat, ipse cæcus. Festucam in oculo Christi

deprehendere volebat, cùm oculi ejus pleni essent trabibus. Quàtò feciſſet conſultiùs, ſi eum tanquam ideam morum, ad imitandum obſervâſſet! Si in ſe mentis oculos reflexiſſet! Nonné & ego feſtucam in oculo alieno adverto, & trabem in meo non conſidero? nonnè ſum lynceus in ſectandis defectibus alienis; talpa in videndis meis? *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Pſ: 18.

2. Eum obſervabant & notabant, à quo obſervabantur & notabantur. Quæ eſt iſta perverſitas? Quis præpoſterus ordo? Iudicem rei, Dominum iniqui ſervi, ſolem titiones inferni cenſurant. *Ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectum corde.* Pſ: 10. Quoties & ego Chriſtum in proximis meis obſervo ac temerè judico, immemor, me ab illo etiam pro hoc judicandum! Cùm tamen ſicut oculus meus alios conſiderat, ſic viciſſim notor ab aliis. Ad meipſum deberem oculos reflectere, & cavere à cenſura factorum alienorũ. In judicando alios, fruſtra homo laborat, ſæpiùs errat, & facilè peccat: ſeipſum verò judicando & diſcutiendo, ſemper fructuosè agit: *Noverim te Domine, noverim me.*

3. Si vita Chriſti, eſtò eſſet norma ſanctitatis, omniſq; perfectionis idea, tamen cenſorios obſervatorum oculos, & critica judicia Phariſæorum non evaſit; quomodo ſperare audeo, ut vita mea plena erroribus ac defectibus, ſit immunis à cenſuris ac judiciis temerariis? Etiamſi Chriſtus obſervabat Phariſæos, hoc eſt, honore afficiebat, non declinando illorum converſationem, ſed cum illis amicè colloquendo, converſcendoq;, tamen illi eum non honorârunt, mores & actiones ejus cenſurando. Iam non mirabor, ſi ego, ab iis, quos doctrinâ vel ſuffragio meo ad aliquem honoris gradum extuli, contemnar ac deſpiciar. Si mores meos corrigere, & ad omnem amuſſim componere cupio, debeo meminiſſe me à multis obſervari, multorumq; oculos in me eſſe intentos. *Nam ſpectaculum factus ſum mundo & Angelis & hominibus.* 1. Cor: 4. Spectat proinde me Deus, cui debeo amorem ac honorem; Spectat Cuſtos Angelus, cui reverentiam; Spectat proximus, cui bonum exemplum. Mihi enim dictum: Mat: 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent*

cum *Patrem &c.* Spectat conscientia propria, cui debeo rectitudinem & honestatem. Nisi horum spectatorum meminerim, vix religiosè vivam.

FERIA III.

Et ecce hydropicus erat ante illum. Ipse verò apprehensum sanavit eum.

1. Duplex capitale vitium repræsentat hic Hydropicus, *Superbiam* & *Luxuriam*. Illa enim benè designatur per tumorem, hæc autem per continuam sitim. Sicut enim in hydropico, caro apparet quidem magna & aliquid aspectabile, sed non solidum beneq; compactum, verùm cute inflatâ tumescens; ita superbus nihil habet solidæ virtutis & doctrinæ, typho tantùm & specie externa tumet; juxta illud: 1. Cor: 8. *Scientia inflat.* Et sicut hydropicus continuò sitit, quò autem plus de potu sumit, eò major, in eo, sitis accenditur; ita luxuriosus, quò in suas cupiditates est indulgentior ac effusior, eò magis illis inardescit. Quò magis eis cedit, eò amplius illæ invalescunt. Utramq; Christus in illo hydropico affectionem sanavit, & tumorem, & sitim. Utinam meas quoq; affectiones perfectè sanet! Fastum quidem, memoriâ suæ humilitatis; concupiscentias verò exemplo suæ parsimoniæ ac modestiæ; per quam nos obsecrat Apostolus: *Obsecro vos per modestiam Christi.* 2. Cor: 10.

2. Ut ille hydropicus optatam assequeretur sanitatem, *stetit ante* JESUM: Optimum verò remedium contrà hydropem cujusvis peccati, *stare ante* JESUM. Porro ille stat ante JESUM, qui semper cogitat, quòd videatur à JESU. Ita dictum Abrahamo: Gen: 17. *Ambula coram me & esto perfectus.* Sic omnes Prophetæ, in omni ferè actione sibi ingeminabant: *Vivit Dominus in cujus conspectu ego sto.* 3. Reg: 17. *Memorare novissima tua,* (ait Sapiens Eccl: 7.) *& in æternum non peccabis.* Quæ verò sunt istæ mea novissima? nisi Deus inprimis tanquam principium, à quo totaliter pendeo in esse, conservari, & operari. Deinde tanquam finis terminans vitam meam, me judicans, me vel pœnâ, vel præmio

afficiens. Potens omnino frænum, ad me, ab omni peccato, continendum.

3. Bene Sciebat JESUS, Pharisæos, contra se, murmuraturos, eò, quòd Sabbato curaverit infirmum; ipse tamen minimè curat ipsorum murmurationes, utpotè irrationabiles; propter vanum illorum respectum non intermittit salutare charitatis opus; hydropicum manu suâ apprehensum sanat, pristinæq; valetudini restituit. Quia nimirum eximia illius erga proximum charitas vicit omnia impedimenta, & acerbas observatorum obtrectationes pro nihilo duxit. Sic oblatrant canes lunæ! hæc tamen cursum suum promovet; idem facit Christus. Pueri ob timorem canum nolunt transire per viam, quia pusillo sunt animo; sed vir cordatus, latratus canum contemnit, & viam necessariam animosè ingreditur. Qui ob siniſtrum vulgi sermonem timet in virtute progredi, puer est, pusillanimis est. Imitabor Christum, *qui exultavit ut Gigas ad currendam viam.* Ps: 185. *Qui sustinuit crucem, confusione contemptâ.* ad Hebr: 12:

FERIA IV.

Cujus vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati?

1. ARguitur hîc stulta Pharisæorum malitia & malitiosa stultitia, quibus major erat cura circa bovem & asinum, quàm circa proximum, animamq; propriam. Si asinus aut bos caderet in puteum, continuò, etiam die Sabbati, inde illos extrahebant; proximùm autem sinebant per longum tempus in gravi malo degere; similiter animas suas in puteum invidiæ & odii, erga Christum prolapsas, non curabant inde emergere. Utinam & mihi non contingat stultitia similis! cùm & mihi major sit cura circa commoditates corporis, per asinum & bovem, designati, quàm circa virtutes animæ inserendas, aut vitia extirpanda. Nam si corpus egeat cibo, potu, somno, veste vel habitatione commodiore, nonné curam diligentem adhibeo, ne desint talia, vel si desint, quàm sum anxius, solicitus! &c. Quamvis autem

tem anima multis egeat virtutibus, plurimis abundet vitiis, hoc me non afficit tantopere. Permitto illam in profundo vitiorum, per multos dies, menses, imò & annos jacere; atq; sic *ut jumentum computrescit in stercore suo*

2. Ostenditur hic facilis in peccatum lapsus hominis, sed difficilis à peccato resurrectio. Utrumq; jumentum, quod Christus in exemplum adducit, est laboriosum circa terram, circa portanda graviora onera. Nulli citiùs contingit in puteum alicujus vitii cadere, quàm ei, qui circa terrena ac temporalia negotia occupatur. Nam multæ occasiones é terrenis occupationibus ortæ impellunt in ruinam & puteum interitûs, ex quo emergere, est valde arduum ac difficile. Nam sicut asinus aut bos potest quidem mole suâ ultrò in puteum cadere, sed inde virtute suâ exire non potest, nisi adiutus forti eoq; speciali auxilio; ita homo potest quidem sponte sua in peccatum prolabi, sed ex illo resurgere vi suâ non potest, nisi opitulante speciali gratiâ Dei. Nam si hæc deesset, remaneret peccator in illo profundo, & sic, quò longiùs volutaretur ibi, eò profundiùs demergeretur. *Facilis descensus averni, sed revocare gradum superasq; evadere ad auras, hoc opus, hic labor est.* *Domine non urgeat super me puteus os suum.* Ps: 68. *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Ps:69. *De profundis clamavi ad te Domine, &c.* Psal: 129.

3. Nullum animal citiùs venit ad Christum, quàm bos & asinus. Nam ei recèns nato adfuerunt, eumq; in præsepio reclinatum agnoverunt, adoraverunt, halitu suo foverunt, & à frigore defenderunt. Asinus quoq; illum in triumpho Hierosolymitano portavit; unde de Christo optimè fuit meritus uterq; : & tamen permittit ambos in puteum cadere. Quando tamen cadunt, citò illis optat subveniri; etiam die festo vult illos extrahi. Noli multùm fidere annis, quos in servitio Dei consumpsisti. Etiamsi pridem sis in Religione, pridem servias Christo, adhuc tamen potes cadere. Omnibus quippe dictum: *Qui stat, videat, ne cadat.* 1. Cor: 10. Cautiores interdum sunt novitii & adolescentes in Religione, quàm veterani, & in multos annos provecti. Hi enim, dum sibi præfidunt, in varias occasiones audacter sese ingerunt, & sic miserè prolabuntur. Quodsi labaris, noli desperare; potens est Deus

tibi

tibi subvenire. *Non dabit in æternum fluctuationem justo.* Ps: 54. & tibi lapso, non dabit. *Justus si ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Psal: 36. memor utiq; præteritorum ejus obsequiorum. *Nunquid in æternum irascetur furor ejus?* Ps: 84. *Nunquid obliviscì potest Mulier infantem suum ut non misereatur filio uteri sui; etsi illa oblita fuerit, Deus tamen recordabitur servi sui.* Isaiæ 49.

FERIA V.

Recumbe in novissimo loco.

1. NOvissimus locus, centrum terræ; huc feruntur omnes partes terræ, ideoq; stabilis est; quia centrum nullò jam movetur, ad ipsum verò omnia. juxta illud Psal: 103. *Qui fundàsti terram super stabilitatem suam.* Si partes terræ, locum sublimem, singulæ appeterent, mox terrena hæc moles tota dissolveretur. Pari modo novissimus locus est centrum viri humilis; eò fertur toto pondere humilitatis, ideoq; est maximè stabilis in sanctitate. Quodsi in hujusmodi centrum non feratur, sed impetu superbiæ contendat ad sublimiora, mox ibi tota virtutum compages & structura dissipabitur. *Non veniat mihi pes superbiæ,* (Psal: 35.) *ut non ambulem in magnis & mirabilibus super me.* Ps: 130. *Non exaltetur cor meum,* Psal: 130. sed humiliter de me sentiam.

2. Talem nobis locum Christus persuadet, qualem ipse elegit; nimirum novissimum. Nam sive spectemus primum ejus ingressum in mundum; in novissimo loco, nimirum in præsepio inter duo animalia jacuit. Sive ultimum ex hoc mundo exitum, in novissimo quoq; loco recubuit, hoc est in Cruce. Hinc ait de se. Ps: 83. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei.* Hinc vocatur, *Isaiæ 53. Novissimus virorum, abjectio plebis.* Et *Exinaninit semetipsum. ad Phil: 2.* Et *Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis. Ibidem.* quâ nulla erat ignominiosior. Porro ille in novissimo loco recumbit, qui se nemini præponit, sed omnibus viliorem se reputat, & ùt talem gerit. Qui autem vel uni sese anteponit, jam non sedet in novissimo loco, adeoq; Christum sibi postponit, cùm is ultimum ac novissimum locum tenuerit. O si recordarer, qualem peccatis meis locum meruerim! quia infernalem,

nalem, eumq; novissimum, certè sub pedibus Luciperi aut Proditoris Iudæ, quàm humiliter de me sentirem!

3. Vel ideo quoq; novissimus locus esset eligendus ac tenendus. Quia est tranquillissimus. Nam propter locum sublimem, sæpe oriũtur multæ cõtentiones, lites, rixæ; propter novissimum autem locum nemo contendit. *Feriunt excelsos fulmina montes*: demissæ valles non patent eorum ictibus. *Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani; transivi, & ecce non erat!* *Ps: 36.* quia illum turbo alienæ invidiæ vel fortunæ adversæ dejecit ex alto. Quàm multi in sublimi loco positi, violento inde fato deturbati sunt! vel vitam multis molestiis implicitam duxerunt! qui tamen, si in humili latuissent, fuissent securi ab æmulorum impetitionibus, lætosq; dies habuissent.

FERIA VI.

Da huic locum.

1. IN locum *Iudæ Proditoris* suffecit olim Deus *Mathiam*, eumq; Apostolorum Collegio sociavit; ita & hodie multos ejicit è Societate, & in locum illorum, alios substituit; quid verò tunc dicit? nisi illud: *Da huic locum*, siquidem illo tu es indignus: & sic *Episcopatum unius accipit alter*! sic *Malos malè perdit, & vineam suam locat aliis agricolis*! Sic arborem infructuosam exscindit, ne frustra terram alteri occupet! *sic veniunt multi ab Oriente & occidente, & recumbunt cum Abraham in Regno Dei, Filii autem Regni ejiciuntur foras.* *Mat: 8.* Domine pepercit mihi oculus tuus.

2. Non respicit Paterfamilias ad antiquitatem temporis, sed ad dignitatem Personæ, in collocandis ad mensam suam hospitibus. Non attendit, quòd priùs aliquis venerit ad convivium, sed quòd sit honoratior, atq; hunc priore loco ponit. Similiter Deus in Regno suo facit. Non considerat multitudinem annorum, quos aliquis in Religione vixit, sed solùm ad intensionem bonorum operum & meritorum magnitudinem. Venient ad judicem Deum Senes grandævi, postulabunt primum, penès illum, locum, utpotè Veterani Emeriti, quàm multis dicetur: *Da huic Adolescenti locum, da locum Stanislao, Aloysio, Berchmanno.* Quis pudor

meus erit? quando & ego incipiam novissimum locum tenere? siquidem nunc in illo recumbere nolo.

2. Quisnam sit iste, cui Christus dare locum præcipit? explicat Apostolus dicens: *Date locum iræ.* Incidis in aliquem iratum, da illi locum, noli cum eo contendere, *ignem gladio ne fodias; ne affundas oleum flammæ; crabrones ne irrites. Cedere te potiùs, quàm superare juvet.* Insigne prorsus Christianæ victoriæ genus est, cum altero irato non altercari. *Percutienti unam maxillam, præbere alteram; Matt: 5.* Eripienti pallium dare & tunicam. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. Mat: 5.* Eo ipso, quia cedis, evadis superior. Quodsi te, priore loco, statuere satagis, jam ad infimum, judicio Dei delaberis, teq; ipsum prostituis.

SABBATO.

Amice ascende superiùs, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Omnis enim qui se humiliat &c.

1. QUemnam Christus tam honorifico, tam favorabili titulo compellat? *Amice.* illum, qui recubuit in novissimo loco. Dum *Iob* spoliatus omnibus bonis, insuper in toto corpore, percussus ulcere pessimo, sederet in sterquilinio, testâ saniem radens, venerunt ad eum tres amici, qui per hoc, stabilem suam, erga Iobum, amicitiam probârunt, quia unà cum illo sederunt in eodem sterquilinio, & ibi familiariter sunt collocuti. *Iob: 6.* Iob iste optimè exprimit Christum Crucifixum, ab omnibus derelictum, nudum, vulneribus plenum, in sterquilinio Crucis morientem. Qui ergo penes illum, eligit novissimum locum, per hoc, suam, erga illum, probat amicitiam, ac proinde meritò illi Christus dicit: *Amice ascende superiùs;* sicut & ego ascendi; *Qui enim ascendit super omnes cœlos, nisi qui & descendit: Eph: 4,* nisi qui se *Humiliavit usq; ad mortem, mortem autem Crucis. ad Phil: 2. Elegi abjectus esse in Domo Dei mei.* Ps: 83.

2. Aliud est Regestrum mundi, & aliud Dei, Quo aliquis est inferior in hoc; eò est superior in illo: Et è converso. Qui se ultrò demittit propter Deum, ad novissimum in hoc mundo locum,

cum, huic Deus dicit: *Amice ascende superius; Tunc erit illi gloria coram simul discumbentibus.* Non dicit Christus: nunc est gloria, sed *tunc erit*, id est, in Regno cælorum; *quando Iudex confutatis maledictis, flammis acribus, addictis, vocabit amicos suos cum Benedictis. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Matt. 25.* Simul discumbentes erunt convivæ cælestes, tot Angeli, Archangeli, Cherubini, Seraphini, tot Patriarchæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines. *Tunc erit gloria coram simul discumbentibus.* O gloriam ineffabilem, & incomparabilem! de qua dictum: *Nimis honorati sunt Amici tui Deus.* Ps: 138. Quæ ergo est dementia mea! quòd hîc extremum non eligam locum, siquidem ibi supremum tenerem.

3. Non dicit Christus: *Qui humiliatur, exaltabitur.* Sed *qui se humiliat, exaltabitur. Luc: 14.* ut ostendat, se loqui, de vera & solida humilitate. Aliud enim est, humiliari; & aliud, humiliare se. Potest aliquis humiliari, & tamen non esse verè humilis: quia nimirum recalcitrat contra humiliationem; indignatur contra eos, qui eum humiliant, eosq; odit ac persequitur. Ut ergo sit verè humilis, necesse est, ut humiliet se, ultrò, benevolè, spontaneè; ut æquo imò libenti animo ferat se ab aliis humiliari: ut eos, qui se humiliant, amet, putetq; illam humiliationem meritò sibi irrogari: atq; talis certò à Deo exaltabitur. Sicut factum cum Christo, Apostolis, Martyribus. O quàm illi modò gaudent, se fuisse humiliatos, depressos, abjectos, peripsema mundi!

DOMINICA XVII.

POST PENTECOSTEN.

Accesserunt ad IESVM Pharisæi, & interrogavit eũ unus Legis Doctor tentans eum. Mat: 22.

1. SI quis externo oculo vidisset Pharisæos ad Christum accedentes, & ad solam exteriorem illorum speciem ac modestiam attendisset, putâsset viros probos, & à Christo adhuc meliorandos. Quis enim accedit ad ignem, & non incalescit?

lescit? quis faciem opponit soli, & non illuminatur? Sed quia corpore duntaxat, & perverso corde, accesserunt ad Christum, ut scilicet eum per unum è medio sui tentarent, atq; in sermone caperent, accessus ille non reddidit eos meliores, sed deteriores. Ut ergo aliquis ad IESUM accedat salubriter, opus est, ut & corpore venerabundo, & spiritu sincero id faciat; implebiturq; illud Psalmi. 33. *Accedite ad illum & illuminamini & facies vestræ non confundentur.* Meus verò ad Deum accessus in oratione, Sacrificio, meditatione qualisnam? Nonnè de me verificatur illud Isaiæ 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longè est à me.* O Domine *adorem ego te in Spiritu & veritate.* Ioan: 4.

2. Semper iniqui facilè inter se conspirant & firmiter uniuntur contra justum; dicunt enim. *Venite opprimamus justum, quia contrarius est operibus nostris. Sap: 2.* Nimirum qualitates contrariæ intendunt vires suas ad præsentiam sui contrarii. Nam *oppositum positum penes aliud oppositum, conatur magis eluescere.* Ergo & in præsenti, ita contra Christum Pharisæi conspirant, ut unus loquatur pro omnibus, & omnes loquantur per unum. Qui interrogat Christum, non ut ab illo doceatur vel emendetur; nam honore magisterij, & gradu Doctoratûs inflatus, nec doceri vult, nec emendari (siquidem sublimi, de se ipso ebrius opinione, nihil sibi deesse putat, quòad scientiam & probitatem) sed ut tentet illum, fingens se multa & sublimia scire, cùm tamen parum caperet. Dona mihi Domine *Cor humile ac docile; 3. Reg: 3.* ut cum aliis consentiens studeam ab illis necessaria addiscere.

3. Invidia & odium est vitium plusquam diabolicum. Tentavit Christum diabolus in deserto; sed hoc non adeò mirum! quia nondum viderat ulla miracula à Christo patrata; nondum audierat responsa Divinam Sapientiam continentia: At Pharisæus, & plurima miracula vidit, & cælestem doctrinam ex ore Christi audivit; unde bene conjicebat, utpotè Legis Doctor, Sagax, argutus, Christum pollere Sapientiâ Divinâ, & tamen audet illum interrogare, non discendi aliquid gratiâ, sed tentandi causâ. Quia illum invidia & conceptum, contra Christum, odium excæcabat, ne adverteret, quid ageret? Sed ausu temerario resolveret se ad tentandum. Ab hoc igitur vitio, magis mihi cavendum,

vendum, quàm à dæmone, ne me impellat in actus enormes charitati proximi contrarios.

FERIA II.

Magister, quod est mandatum magnum in Lege?

1. HÆc interrogatio fuit otiosa & superflua; tum quia evidens ad illam est responsio: Omnia Legis Divinæ mandata esse magna; quia à magno legislatore Deo conduntur, & res magnas, (nam ad vitam æternam spectantes) præcipiunt. Hinc etiam Christus respondendo non dixit: Hoc est magnum, sed *Primum & maximum mandatum.* Tum quia non eo fine fuit proposita, ut responsio ad praxim revocaretur; sed solùm ut sciretur. Pharisaica conscientia, à magnis duntaxat peccatis prætendit se cavere, minora flocci facit: cùm tamen per hæc, viam sibi sternat ad majora & magna perpetranda. Conscientia verè religiosa transgressionē omnium præceptorum pari conatu & studio evitare curat, non indagando, quodnam magnum mandatum? & quod parvum? sed omnia appretiando & æstimando: atq; sic cavendo transgressionem minorum præceptorum, præservat se à lapsu in peccata majora. Quia sicut *ille solus in illicitis non cadit, qui se & à licitis caute restringit,* juxta *S. Gregorium*; ita & qui se à minoribus peccatis & transgressionibus continet. Non est sistendum in scientia modorum colendi Deum, & curandi propriam conscientiam; ad praxim hæc debent tendere. *Nam servus sciens & non faciens vapulabit multis. Luc: 12.* Scientia talentum est; qværendum illo, talentum aliud, nempè praxis.

2. Dolosus interrogator videtur Christum honorare, compellando illum titulo *Magistri*: hoc tamen ille non eo animo facit, ut Christum extollat, sed ut habeat occasionem, eum deprimendi. Quid sunt tituli mundani, nisi meræ deceptiones? videntur quidem hominem in altum elevare, in hoc seculo, sed in altero valde illum deprimunt; juxta illud: *Tolluntur in altum, ut casu graviore ruant. Væ tibi Corozaim! Va tibi Betsaida! Quia exaltata es usq; ad cœlum, sed descendes usq; ad infernum. Matt: 11.* Quò grandiores tituli, eò graviora habent annexa onera. *Cui plus datum est,*

plus requiretur ab eo. Magistrum appellat, ut si erraverit, magis ei illudat, eumq; arguat.

3. Pharisæus hic tentator, duo simulat & præsefert. Primò venerationem Christi; hinc illum, nomine Magistri appellat. Secundò magnam suam solicitudinem, circa servanda præcepta Divina; unde interrogat quodnam sit ex illis *Primum?* ut veluti se accingat ac expediat & applicet ad illud implendum. Sed neutrum horum præstat; nam de illo dicitur: quòd *tentans accesserit.* Quia nimirum aliud habebat in ore, & aliud in corde; quod est valde damnabile. *Os bilingve abominatur Dominus Prov: 8.* qui aliud corde volvit, & aliud ore loquitur, bilingve os habet unum in corde, quo sibi loquitur, & alterum in lingua, quo loquitur proximo. *Væ duplici corde! Eccl: 2.* iis nimirum, quibus aliud cor est in pectore, & aliud in ore, dissimilia, & ad diversos fines, tendentia.

FERIA III.

Ait illi IESVS Diliges D. DEum tuum ex toto corde tuo &c.

1. VIdet JESUS depravatam hominis intentionem, & tamen ei non cum iracundia, sed cum magna modestia respondet. Necesse est, ut bonus Magister induat Patientiam; ut seipsum priùs doceat, quod alium docturus est; ut in seipso practicabilem doctrinam suam ostendat. Sicut enim pluvia minuta, quæ lentè decidit, profundiùs terram penetrat, & magis eam impinguat ac fæcundam reddit, quàm ea, quæ cum impetu & vehementia delabitur; ita doctrina leniter & patienter instillata, non solùm aures ferit, sed etiam cor profundè penetrat, & animam reddit aptam ad proferendos uberes virtutum fructus.

2. Non dicitur *cognosces*, vel *agnosces Dominum DEum tuum*; quia estò etiam hoc requiratur ad salutem, ut cognoscamus Deum, tum per lumen naturæ, tum per fidem supernaturalem, *sinè qua impossibile est placere Deo: ad Hebr: 11.* tamen hoc non sufficit. Nam etiam Ethnici & Hæretici cognoscunt Dominum Deum; quia tamen

tamen non ùt talem glorificaverunt, non proderit hoc illis ad salutem. Ergo insuper amandus est Deus, non solùm affectu summè appretiativo & prælativo Dei super omnia bona creata; cùm sit summè amabilis in se & ex se, utpote Ens summum, adeoq; summè bonum, plenissimum omni possibili perfectione, ita, ut ipse nullius rei egeat, omnia verò alia, extra ipsum, unicè ipso egeant, dependendo ab ipso in suo esse, conservari, operari; sed etiam effectu, reipsâ exequendo & implendo ejus voluntatem, in præceptis, expressam. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in Regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei* Mat: 7. Non ille Deo carior, qui sapientior; sed qui in amando eum, est ferventior. Magis Deo placet affectus, quàm conceptus; & magis adhuc effectus, quàm affectus. Cum lampade quidem, sed plena oleo, & ardente occurrendum sponso.

3. Non particulâ cordis, Deus est diligendus, sed *ex toto corde*, imò Toto me. Sicut enim nihil est in me, præter peccatum, quod Deus non amet. Omnia enim, in me, contenta fecit; *nihil autem odit eorum, quæ fecit Sap: 10.* ita viciſſim expedit, ut nihil in me sit, quo illum non amem. Totâ Entitate suâ ille me dilexit; nam Pater tradidit pro me Filium suum, quem sicut animam ac substantiam suam diligit. Filius quoq; tradidit pro me & animam & corpus & sanguinem suum. Spiritus S. & seipsum, & Pater cum Filio, eundem Spiritum S. totum mihi tradiderunt, adeoq; tota Sanctissima Trinitas, se totâ, me dilexit. Cur igitur vicem Deo meo non rependo? cur toto corde, tota animâ, toto me, Deum non diligo? *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi.* Ps: 34. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum &c.* Psal: 17.

FERIA IV.

Hoc est primum & maximum mandatum.

1. Sicut in omnibus humanis scientiis, dantur quædam *Principia Prima*, (quæ vocantur *Maximæ*) ad quæ nimirum reducuntur omnes illarum scientiarum Conclusiones, earumq; rationes seu motiva; ita quoq; in scientia Sanctorum, debent dari

Prima

Prima quædam *Principia* seu *Maximæ*, in quæ debent resolvi omnes omnino actiones hominis Christiani ac Religiosi, iisq; regulari ac dirigi. Porro hujusmodi Principium Primum & maximum est hoc: *Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Ad hanc igitur primam regulam debeo referre omnes actus meos, ita, ut si ei fuerint conformes, jam omnino sint recti; sin minùs; debent inter malos, erroneos, defectuosos computari. O quàm paucos in me reperio tales actus! qui omnino concordent cum hac Regula! Quàm propè infinitos, qui ab illa aberrant, eiq; contrariantur! Quis pudor meus? quæ confusio? quòd estò tamdiu in schola Christi degã, tamen hujusmodi conclusiones formare nesciam!

2. Mandatum de diligendo Deo, dicitur *Primum* inprimis *Origine*, seu *Causalitate*; nam Dei Dilectio est veluti Mater omnium virtutum; siquidem illas gignit, alit, roborat, sustentat, fovet. Si hæc mater moriatur, protinùs moriuntur & Filiæ. Manet quidem Fides, spes, manent aliæ virtutes acquisitæ, sed mortuæ manent, hanc autem illarum mortem facit orbitas charitatis. Deinde *dignitate* seu *excellentiâ* est *Primum*; nam Dilectio Dei, est veluti Regina omnium virtutum, quæ illas ornat, regit, gubernat; illæ autem ipsius nutui ac imperio facilè obtemperant. Quod est Sol inter stellas, hoc est charitas erga Deum inter virtutes reliquas; nam illa dat ipsis totum splendorem, pulchritudinem, fulgorem: & sicut stellæ omnes non possunt absq; sole efficere diem; ita omnes virtutes, absq; charitate, nequeunt in anima præstare gratum oculis Dei nitorem. Domine da mihi talem virtutem, licèt omnia alia bona mihi negaveris. *Deus meus & omnia. Quid mihi est in cælo, & à te, quid volo super terram, præter te? Mihi enim adhærere Deo, bonum est.* Ps: 72.

3. Idem mandatum vocatur *Maximum*, tum imperio & victoriâ; nam charitas omnibus affectibus totiq; homini imperat ac dominatur. Imperat iræ, odio, timori, cupiditati, cæterisq; effrenatis animi appetitionibus. Imperat oculis, auribus, manibus, membraq; omnia corporis & animi facultates in Deum dirigit. Vincit etiam omnia. Sicut ignis domat omnia, etiam ferrum, & marmor durissimum; ita charitas, vincit, vincula, carceres, ignes,

ignes, bestias, famem sitim, nuditatem &c. Testis est ille ardens Dei amator *Paulus*: ad Rom: 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia, an fames, an nuditas? &c. Fortis enim est ut mors, Dilectio. Can: 8.* Sicut illa neminem timet, omnia subjugat & vincit; ita & vera Dei dilectio. Tum facilitate. Quid enim facilius? quid suavius est? quàm amare? Quis est, qui non possit amare Deum, juvante Deo? Non potest ægrotus jejunium servare, cædere se flagris, longis precibus insistere, at poterit Deum amare. Non potest pauper amplas elèémosynas largiri, at potest Deum amare. Omnium hominum est charitas, omnium locorum, omnium statuum, omnium horarum, omnium temporum. Nullus homo est, qui Deo juvante, si velit, non possit Deum diligere: nullum tempus, nulla hora, nullus locus, nulla occupatio, in qua non possit exerceri actus erga Deum charitatis. Deniq; est *Maximum* opulentiâ meritorum. Qui caret thesauro charitatis, etiamsi totius orbis divitias possideat, inops est: Qui autem particulam thesauri illius habet, jam valde dives est. *Apoc: 3. Suadeo tibi emere à me, aurum ignitum, probatum, ut locuples fias.* Charitas enim reddit meritoria, minima quæq; opera, imò omnium meritorum est radix. *1 Cor: 13. Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, si corpus meum tradidero, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

FERIA V.

Secundum autem est simile huic: Diliges Proximum tuum, sicut teipsum.

1. Dilectio est celsissima *Scala Iacob*, cujus summitati Deus innititur, per quam Angeli, eisq; similes homines ascendunt & descendunt. *Gen: 28.* Ascendunt quidem ad Deum, per actus dilectionis & amoris descendunt autem ad juvandum proximum per opera misericordiæ. Hac excellenti viâ, & homines veniunt ad Deum, & DEus venit ad homines. Unum mandatum non tollit magnitudinem alterius. Utrumq; est magnum; quia ambo se invicem juvant. Sicut enim manus manum lavat, & pes

pedem fulcit; ita dilectio Dei juvat dilectionem proximi, & è converso. Quodsi unum esset dissimile alteri, jam neutrius magnitudo posset subsistere. *Similia enim sunt, quorum qualitas est una:* Unde mandatum de dilectione Dei, & mandatum de dilectione proximi, sunt similia; quia illarum est una per convenientiam natura & essentia. Quod proximo propter Deum impendo, suum Deus reputat.

2. Mandatum de diligendo Proximo dicitur *Secundum*, ut innuatur, esse quidem diligendum Proximum, sed nonnisi secundùm Deum: quatenus dilectio proximi cohæret atq; concordat cum dilectione DEi, & quatenus illa imperatur ab hac, & subordinatur huic. Nam si dilectio proximi est opposita voluntati Dei, eiq; contrariatur, & ab eo se avertit, jam illa dilectio erit vitiosa, & tanquam hostis Dei, cavenda. Multi enim diligunt proximum, secundùm carnem, quatenus nimirum proximus vel utilis est quòad temporalia, vel jucundus, idq; propter elegantem formam, propter compositos mores, propter nexum sanguinis, propter sympathiam complexionis: Atq; talem dilectionem, mandatum non præcipit, sed eam solùm, quæ est secundùm Deum. *Qui vult fieri amicus hujus seculi, inimicus Dei constituitur.* Iacob: 4.

3. Idem mandatum de diligendo Proximo, vocatur simile Primo, ut moneamur, quidnam in diligendo Proximo attendere debeamus? nimirum similitudinem DEi. Cùm enim *homo ad imaginem Dei sit creatus, Gen: 1.* repræsentat Deum, ejusq; similitudinem gerit. Quia verò hæc similitudo Dei non solùm est in Amicis, fidelibus, justis, sed etiam in inimicis, infidelibus, injustis, & quidem æquè in uno atq; in altero, & æqualiter in uno atq; in omnibus, ideo nomine proximi, qui præcipitur diligendus, intelliguntur tàm hi, quàm illi, tàm unus, quàm omnes. Major quidem extensivè est dilectio erga omnes, quàm erga unum; nam ad plures sese extendit, sed æqualis intensivè appretiativè debet esse; quia eadem est forma similitudinis cum Deo, in uno, atq; in omnibus. Hinc etiam Christus æquè pro omnibus est mortuus, atq; pro uno, & è contra.

FERIA VI.

Quid vobis videtur de Christo, cujus Filius, est. Dicunt ei: David. Quomodo ergo &c.

1. NOn solùm Apostolos Christus interrogat: quemnam de illo sensum habeant, tum alii homines? *Quem dicunt homines esse Filium hominis? Mat: 16.* tum illi, ipsi: *Vos autem quem me esse dicitis?* Sed etiam interrogat Capitales & in suam necem, conjuratos hostes Pharisæos: *Quid vobis videtur de Christo?* Ut nobis documentum præbeat, multùm prodesse ad vitam rectè & juxta honestatis regulas traducendam, non solùm ad ea attendere, quæ de nobis dicunt Amici; (hi enim solent blandiri, adulari, palpare vitia, adeoq; multa fingere, simulare, tegere) sed multò magis attẽdere ad ea, quæ dicunt adversarii & inimici, præsertim multi; hi enim solent nævos nostros patefacere, quos nobis amor proprius obtegit. Unde non solùm non est illis indignandum, sed etiam agendæ gratiæ: sicut illas ei agimus, qui nos de macula, ex facie, detergenda, aut de aliquo gravi damno, in bonis temporalibus, cavendo admonet. *Corripiat me justus in misericordia; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Ps: 140.

2. Magnum quidem est hoc Davidis Privilegium, quòd Christus de ipsius sanguine & familia sit natus, voceturq; *Filius David*; sed meruit hoc ille saltem de congruo, tot heroicis virtutibus; illo ardenti erga honorem Dei zelo, dum pro ipsius nomine, manifesto periculo vitam suam exposuit contra *Goliam, 1. Reg: 17.* & alios hostes; illo amore inimicorum, præsertim *Saulis; 1. Reg: 25.* illa suî victoriâ, dum hausta è cisterna Bethlèém aquam, tantoperè à se concupitam, noluit bibere, sed *libavit eam Domino; 2. Reg: 23.* illis prodigiosis impensis, quas in ædificandam Domum Dei profudit. &c. &c. At ego, quo merui, ut Christus Eucharisticus etiam sit meus Filius? Siquidem illum quotidie pers verba oris mei gigno; unde possum de illo dicere: *Ps: 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Tua est ista prodigiosa & prorsus stupenda erga me undequaq; indignissimum dignatio, Fili Patris

æterni, unigenite Matris Tuæ; nate à me, & per me, producte. Mater postquam te genuit, adoravit: eodem affectu, & ego Vermiculus Pater, te adoro.

3. Quia ad interrogationem Christi, imperfectè responderunt Pharisæi: nam dixerunt Christum esse *Filium David*, & non dixerunt, illum esse *Filium Dei*; cùm tamen *à potiori denominatio*. Nam si aliquis habeat & dignitatem Comitis, & Regis, non appellamus illum Comitem, sed Regem absolutè ac simpliciter, essetq; magna confusio, si quis illi daret titulum Comitis duntaxat. Ideo Christus modestè quidem at simul sapientissimè arguit illos de inurbana insciti, ostendendo se esse longè quid plus, quàm *Filium David*: nimirum Dominum Davidis, æqualem Deo Patri, Domino Davidis. Porro hac suâ doctrinâ & arguitione vult illos adducere, ad agnitionem suæ dignitatis & excellentiæ, & consequenter non solùm ad deponenda maligna odia, contra se concepta, sed etiam ad implendum, erga se, illud mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Finis doctrinæ, scientiæ, disputationis meæ; non alius esse debet, quàm melior Agnitio Excellentiæ Divinæ, ejusq; debitus Honor & Amor, tam in me, quàm in aliis, mecum, conversantibus. Ita ex adversario triumphandum, ut non quæratur ejus confusio ac depressio; sed resipiscentia & salus temporalis ac æterna.

SABBATO

Et nemo poterat ei respondere verbum. Et ex illa die non sunt ausi eum amplius interrogare.

1. QUo tandem hostes Christi ita sunt convicti, ut obmutuerint? Eo, quia illis proposita fuit quæstio de Christo. Vis ut spirituales animæ tuæ hostes vincantur & obmutescant? vis ut ad te accedere non audeant? en facilem modum. Quando te tentabunt, tu illos interroga: *Quid vobis videtur de Christo?* Accedet ad te superbia & suadebit, ut altum de te sentias, nemini cedas, aliis te præferas, dic ergo illi: *Quid tibi videtur de Christo? cujus Filius est?* annon humilitatis? an ille de se non dixit:

Discite

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Accedet ira & invidia, suadebunt, ut pro illata tibi injuria, vindictam sumas, ut alios verbis asperis exagites, idem illi objice: *Quid tibi videtur de Christo?* nonné ille pro suis crucifixoribus oravit? nonnè *tanquam ovis ad occisionem ductus est*, Is: 53. *& coram tondente se obmutuit?* Accedet sensualitas & lascivia, suadebit, ut tuis cupiditatibus indulgeas, ut sensibus quævis oblectamenta permittas, interroga illam: *Quid tibi videtur de Christo?* an non ille pauperem & asperam vitam duxit? nonnè per Crucem & passionem intravit in gloriam suam? Obmutescent profectò inimici tui, nec habebunt, quo te ampliùs lacessant. Nam consideratio Christi pellit omnem diabolicæ tentationis astutiam.

2. Unus Pharisæorum videbatur deliquisse; nam unus duntaxat Christum tentaverat; & tamen Christus omnes Pharisæos confundit, castigat, pudore afficit, dum illis talem proponit difficultatem, ad quam ei, nec verbum respondere poterant. Acerbum valde hoc illis erat; quia sciolum, arrogantem, multa de sua sapientia præsumentem, ita stringere & redigere ad incitas, ut ne verbum quidem hiscere possit; sanè hoc æquiparatur morti! Nam inde multi in apprehensionem incidunt, melancholiâ contabescunt & mærore nimio conficiuntur. Omnes confundit & castigat; quia omnes deliquerant, non quidem interrogando, sed in unum conspirando. Confundit omnes, non tam ad illorum ignominiam, quàm ad salutem; ut nimirum adverterent, se non omnia jam scire, multa sibi ad sapientiam deesse; proinde ut se traderent diligentiori studio scrutandi scripturas. Sæpe Deus immittit pænam ob latentes culpas, Deo tamen bene notas. Sæpe nostros defectus ac errores propalat, ut simus diligentiores in illis corrigendis; juxta illud: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Ps: 82.

3. Dicuntur quidem Pharisæi, ita obmutuisse, ut nemo ex illis potuerit Christo verbum respondere coràm & in faciem. Sed non dicuntur quidquam mali contra Christum cogitâsse, mente volvisse, in corde dolos fuisse machinatos; vel etiam extra faciem & oculos, murmurâsse. Nam facilius est *obstruere os loquenti iniqua*, (*Ps: 62.*) quàm efficere, ut nihil mali de te cogitet, vel ali-

bi loquatur in angulo. Facilius est intellectum convincere, ut nihil habeat, quod hic & nunc opponat, quàm voluntatem inveterato odio & invidiâ depravatam. Tacuerunt Pharisæi ad tempus, sed illorum malitia diu latere non poterat. Eò majori postmodum impetu foràs prorupit, quò maligniori taciturnitate intùs premebatur. Pejores illi Canes, qui absconditè in silentio mordent, quàm qui latrant, & iram signis externis produnt. Venenum invidiæ potest quidem aliquantum conquiescere, sed non diu; *Inquietum est malum*; donec de illo verificetur illud: Ps: 17. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Nam invidi dum tacent & malitiam suam premunt, *Exacuunt* interim *ut gladium linguas suas, intendunt arcum, ut sagittent in obscuris immaculatum. Subitò sagittabunt eum, & non timebunt; quia diu firmaverunt sibi sermonem nequam.* Ps: 63.

DOMINICA XVIII.

POST PENTECOSTEN.

Ascendens IESVS in naviculam transfretavit, & venit in Civitatem suam. Mat: 9.

1. AD quid D. JESUS utitur naviculâ? ut trajiciat mare. Utiq; poterat illud dividere, & per siccum ipsius fundum ita transire, sicut olim Israëlitæ *Exod: 14.* vel certè poterat per superficiem maris incedere, sicut incessit Petrus, *Mat: 9.* aut ipsemet Christus ante suam Resurrectionem? Erat enim Dominus maris & fluctuum ejus. Unde poterat illis imperare, ut sibi obedirent. Nolebat perpetuò patrare miracula, sed ostendebat, se quoq; humanis indigere subsidiis; ut monstraret ulteriùs, se esse verum hominem, non spiritum, non phantasma non solum Deum. Dum possunt adhiberi modi ordinarii, ad obtinendam virtutem, non sunt exspectanda extraordinaria, à Deo, auxilia. Priùs media solita & humana sunt usurpanda, cõprimendi sensus, mortificanda caro, vitandæ occasiones; verbo, faciendum quod in me est. Si his adhibitis, non adesset virtus, & in ea, progressus, tunc primùm speranda essent à Deo auxilia spe-

ſpecialia. Quia Deus ſicut in ordine naturæ, ita in ordine ſupernaturali, miracula non facit fruſtra. Fallor, ſi velim, virtutes mihi à Deo infundi, ſine mea diſpoſitione.

2. Potuit quidem Chriſtus unà cum diſcipulis, absq; navigio, ſpatia maris ſuperare, & ita venire in Civitatem ſuam, noluit tamen, nisì per naviculam & transfretationem; ita quoq; eſtò potuerit pervenire ad gloriam ſuam absq; Cruce & paſſione ſua, nosq; ad eam ſic perducere, tamen elegit Crucem & Paſſionem: *Nonne ſic oportebat pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Luc: 24.* Crux ergo Chriſti fuit *navicula; Paſsio* autem & *Sanguis* ipſius pretioſus fuit *mare rubrum.* Huic mari ſe commiſit, & navigio Crucis feliciter illud transfretavit. Verum quidem eſt, quòd naufragium ſit paſſus in hoc mari, juxta illud: Pſ: 68. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Sed ſicut olim *Ionam*, per mare, navigantem, cætus devoravit, & poſtea evomuit, ac in littus ejecit, *Ionæ: 2.* ita Chriſtum eſtò mors abſorbuit; brevì tamen vitæ reſtituit, atq; ita Chriſtus ad gloriam Reſurrectionis pervenit. Fruſtra ego gloriam cæleſtem ſperaverim, nisì cum Chriſto, hanc navim conſcendero, & mare ſuperavero, mortificationes uſurpando, æquo animo tolerando injurias, vim faciendo ſenſualitati, &c.

3. Habet Chriſtus & aliam naviculam, quam intrando, pervenit ad civitatem ſuam. Species Euchariſticæ, ut Albedo, quantitas, ſapor, odor, color, combinatæ ſecum, navicula ſunt, de qua dicitur. Prov: 31. *Navis inſtitoris de longè portans Panem;* illum Panem, qui de ſe dicit: Ioan: 6. *Ego ſum Panis vivus, qui de cælo deſcendi;* illum Panem, de quo idem ait: Ioan: 6. *Hic eſt Panis, qui de cælo deſcendit;* illum panem, *qui confirmat cor hominis.* Pſ: 13. Hanc ergo naviculam tunc intrat Chriſtus, cùm per os Sacerdotis enuntiat: *Hoc eſt Corpus meum;* tunc enim cedit illi *Subſtantia Panis & vini*, & ſub relictas ſpecies, ſubintrat *Corpus & Sanguis Domini. Capharnàùm* ſignificat *Agrum Pœnitentiæ;* dum igitur Anima profert *dignos pœnitentiæ fructus*, (*Mat: 3.*) dum peccata præterita deflet, eaq; deteſtatur, & illorum emendationem proponit, jam evadit *Ager Pœnitentiæ*, fit *Capharnaum*, quod Chriſtus ſpeciebus Euchariſticis velatus libenter tanquam Civitatem ſuam ingreditur.

Ingre-

Ingredere benedicte Dei, quid foris stas, occupa cor meum, possside animam; excole hunc agrum cælestis agricola, semina illum in benedictione tua, irriga me gratia, impingua memoriâ sordium mearum &c.

FERIA II.

Et ecce offerebãt ei Paralyticum jacentem in lecto.

1. FRant in civitate multi homines robusti, valetudinis firmæ, formosi, agiles; nullus tamen ex illis Christo venienti offertur, sed solùm paralyticus! Ita communiter in mundo agitur. Quod est formosum, robustum, aspectabile, offertur mundo & vanitati; quod autem languidum, debile, deterius, offertur Deo. *Quis cæcus nisi servus meus; quis surdus & claudus, nisi ad quos nuntios meos misi. Isaiæ 42.* Primum ætatis florem plerumq; litamus voluptati, vanitati, diabolo; tum deinde ultimas vitæ fæces, Dei servitio addicimus. Præcipuam temporis partem, impendimus otio, somno, nugis, evagationi, iocis, scurrilitati; Devotioni verò, orationi, conscientiæ examini, quàm modicum temporis damus! Dum seculare negotium tractatur, quanta circa illud cura! quanta adhibetur solicitudo! Dum autem salutis negotium agitur, plerumq; fit oscitanter, ac perfunctoriè. Didicimus sanè hanc barbariem à *Cain*, qui quod erat deterius, offerebat; ideo Deus ad illum & *ad munera ejus non respexit.* Gen: 4. *Respice in me, & miserere mei; quia unicus & pauper sum ego.* Psal: 24.

2. Importunè videtur hic paralyticus offerri Christo. Quæ enim *Societas lucis ad tenebras?* Qualis erit hic minister, Christo, qui *facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis? Hebr: 1.* Hi quidem ministri videntur Christo esse convenientissimi: sed paralyticus in lecto jacens, quomodo ejus ministerio conveniens esse poterit? At non sine mysterio, talis minister offertur Christo, & libenter ab eo suscipitur. Nam qui in cælo, domum suam habet refertam ministris illis Spiritibus; in mundum veniens, alios quærit sibi ministros, paralyticos, hoc est peccatores; sed ex quibus faciat similes Angelis, & quibus impleat domum suam. ùt ipsemet ait: Mat: 9. *Non veni vocare justos, sed peccatores.*

catores. Id etiam ostendit parabolâ Pastoris, ovem perditam, Matt: 18. & mulieris drachmam amissam quærentis. Luc: 15. Sicut enim David in domum & ad mensam suam recepit claudum Miphiboset; 2. Re: 9. idem in tutelam accepit Ægyptium infirmum à Domino suo derelictũ; 1. Reg: 30. ita & de Christo dictum: Lucæ 15. Hic peccatores recipit, & manducat cum illis; idq; ideo, ut in eis ostendat divitias bonitatis suæ, ut effundat thesauros pietatis, misericordiæ, clementiæ infinitæ. Sit infinities, infinities benedictum tàm pium, tàm dulce, tàm mansuetum Cor Domini mei.

3. Si ministri Regis intelligant, hunc vel illum cibum esse gratum suo Principi, nonnè illum summâ diligentiâ conquirunt, eiq; offerunt, ut ipsius gratiam & favorem demereantur. Sic fecerant Filii Isaác, quærendo cibum Patri suo placiturum, ut ab eo benedictionem obtinerent. Gen: 27. ita egerunt tres Davidis milites, qui hostilia castra penetrârunt, ut concupitam à suo Rege aquam haurirent è cisterna Betlèém. 2. Reg: 23. Portitores hujus Paralytici cognoverunt hoc Christi ingenium, quòd maximè illi placeant Peccatores pœnitentes; quòd iste fructus de agro pœnitentiæ collectus, maximé palato ipsius arrideat; quòd hunc ille cibum, hunc potum vehementer appetat; prout ipse testatur, Ioan: 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, Sanctificatio vestra. 1. Thes: 4. Magìs illi sapuit pœnitens cor Magdalenæ, & lacrymæ, quàm epulæ, & vina Pharisæi. Ergo ut ei placeant, offerunt ipsi Paralyticum Peccatorem, cui dicat: Remittuntur tibi peccata tua. Si ergo tu placere Deo desideras, offer illi peccatores multos, conare ut adducas Christo peccatis involutos, ut liberentur à laqueis diaboli. His namq; epulis ille maximè delectatur. Ad hoc nos hortatur Psal: 28. Afferte Domino Filii DEi, afferte Domino Filios arietum. Filios verò hominum magìs ille requirit, propter quos, ipse Agnus Dei factus est holocaustum & victima.

FERIA III.

Videns IESVS fidem illorum, dicit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

1. FIdes illorum, qui portabant Paralyticum, dupliciter videbatur à Christo. Primò in sua entitate; Deo enim omnia, secundùm se, nuda sunt & aperta. Secundò in effectibus seu operibus misericordiæ erga miserum infirmum, & sublimis de Christo existimationis; Quia nimirum unanimiter illum paralyticum, cum magno labore bajulabant, humerisq; suis portabant: & cùm illa domus, in qua Christus fixerat suam stationem, à multitudine hominum obsideretur, ita, ut ad illum non pateret accessus, tectum denudârunt, atq; per illud, paralyticum magno conatu elevatum submiserunt, & ante oculos Christi statuerunt, pro illoq; supplicârunt. Ipse quoq; Paralyticus, licèt nõ posset pro se loqui, & supplices manus ad pedes Christi tendere, tamen gemitu, & miserabili oculorum nutu, prout poterat, Christi pietatem implorabat. Talis ergo illorum fides, Christo placuit, oculos ejus ad se attraxit, cor permovit, inflexit in misericordiam. Etiam interiores virtutum actus in nobis Deus videt, sibiq; in eis complacet; magis tamen ei placent, si per bona opera ad extra prodantur. Sicut enim homo ex duplici parte est compositus, spirituali ac invisibili, & corporali ac externa; ita & actiones nostræ, ut plenè placeant Deo, necesse est, ut ex internis & externis actibus constent. Quod vel maximè verificatur de Fide, *sine qua impossibile quidem est placere Deo, Hebr: 11.* sed oportet ut vivat per bona opera; nam sine his spectata, mortua est, adeoq; cadaver fœdum in oculis Dei.

2. Dulce omnino & suavius omni nectare verbum. *Confide Fili.* Quanta erga nos dignatio Dei, qui nos vocat filios suos! quanta dignitas nostra, quorum Deus voluit esse Pater! Magnus hic Pater superat suo, erga nos, amore, omnes Parentes; dignus proinde est omni nostro possibili amore. Quàm turpe est talem offendisse Patrem! Quàm meritò in eos, qui ipsum non solùm non amant, sed etiam offendunt, severissimis pœnis animadvertit! *Qui non amat Dominum nostrum JESUM Christum anathema sit. 1. Cor: 16.* Non est ponenda fiducia in homine fragili & mortali, quia illius amor est instabilis; neq; magna, ex hoc, tristitia capienda, si interdum aliquis tibi adversetur & contradicat. Qui hodie tecum sunt, cras contrariari possunt & è converso. Sæpè ùt aura ver-

vertuntur. Pone totam fiduciam in Deo, & sit ipse timor tuus & amor tuus. Ipse pro te respondebit, & faciet bene, sicut melius fuerit; siquidem ipse te animat, & ad fiduciam erigit: *Confide Fili.* Si Christum habueris Patrem, jam dives es, & sufficit tibi. *Deus meus & omnia.*

3. Prudens medicus eum priùs morbum curat, qui est radix aliarum affectionum; nisi enim iste curetur, etiamsi alii sanentur, semper tamen recrudescent, siquidem ex radice sua pullulabunt. Cùm ergo Christus, tanquam medicus prudentissimus, priùs curet peccata Paralytici, dicendo: *Remittuntur tibi peccata tua,* quàm ipsam Paralysim, sequitur, peccatum esse gravius malum, quàm Paralysim, imò esse radicem omnium aliorum malorum. Hinc enim nascuntur morbi, infamiæ, egestates. Vel quia Deus in pœnam peccatorum immittit hujusmodi miserias & afflictiones, juxta illud, *Amos 3. Quod est malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Vel quia ipsimet actus peccaminosi Physicè inducunt morbos. Et sic intemperantia in cibo & potu causat febres, hydropes, chiragras, podagras; luxuria inducit lepras, scabies; ira epilepsiam, morbos cordiacos. Manifestè ergo sequitur, peccata longè magis esse vitanda, quàm morbos. Majorem esse habendam curam animæ morbidæ, quàm corporis; tollendam esse causam, ut effectus, ab ea, provenientes tollantur.

FERIA IV.

Hic blasphemat. Cùm vidisset IESUS cogitationes, eorum ait. Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

1. SI aliquid agas in oculis hominum, variè tibi affectorum, quamvis illud fuerit religiosum & sanctum opus, noli unquam sperare, ab omnibus id approbandum, & collaudandum; nunquam tales deerunt, qui hoc perversè accipiant, ac in malam partem interpretentur, temerè te judicando, & opus tuum ad alios fines, quàm tu destinaveris, inflectendo. Et quamvis eos, ad id, stimulet invidia, tamen hoc illi pallio zeli contegere ac prætextu pietatis colorare nitentur. Quid erat religiosius? quid

Sanctius verbis Christi? *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; & tamen hoc, invidi Pharisæorum animi pessimè acceperunt, atq; unam blasphemiam reputârunt: *Hic blasphemat*, prætendentes injuriam, per hoc, Deo irrogari, cui soli proprium est remittere peccata. Si Sanctæ & perfectæ Christi actiones non evadunt iniquas aliorum Censuras, non erunt feliciores meæ operationes plenæ defectibus ac imperfectionibus! Cavendus Pietatis prætextus, ne illo vitia nostra involvamus; sed frustra! Quia licèt oculis hominum illa abscondamus, oculis tamen Dei palàm sunt, quibus solis placere cum fructu conandum.

2. Sæpè, cujus peccati proximum meum arguo & condemno, ejusdem ipse magis reus efficior, quod tamen me justè agere existimo. Putabant Pharisæi, Christum, dum dimitteret peccata, blasphemare, atq; ut blasphemum intra se condemnabant: ecce verò ipsi, per hoc, blasphemi fiebant; quia temerario illo judicio, gravem injuriam, Divinæ Christi dignitati irrogabant. Ita & ego arguo alios curiositatis, sed per majorem curiositatem; condemno superbiæ, sed per majorem arrogantiam; accuso iræ & vindictæ, sed per majorem iram ac vindictam; calco fastum Platonis, sed per majorem fastum. Ita majores fures, educimus ad patibulum furunculos; & quo ipsi veneno sumus infecti, eodem alios laborare putamus, nostroq; palmo metimur. Dum alios verberamus, vulneramus nosipsos; perq; latus nostrum, petimus alienum.

3. Etiamsi tacerent Pharisæi, nulloq; signo exteriore proderent internos suos conceptus, tamen *oculi Domini lucidiores sole*, *Exod*: 23. ad illorum corda penetrabant, & videbant eorum blasphemias: atq; per hoc probavit Christus, se esse verum Deum. Hoc enim est proprium solius Dei, arcana cordis cognoscere; nulli enim Creaturæ Deus ad illa reliquit clavem, sibi soli eam reservavit. Si Pharisæi sciviſſent, cogitationes suas à Christo videri, nunquam profectò fuissent ausi blasphemum aliquid, contra illum, mente volvere. Frustra igitur ego Divinitatem mihi arrogo, dum ad intentiones proximorum penetrare satago, asseverans determinatè: Hoc aut illud cogitat, molitur, intendit; hoc enim est solius Dei proprium. Hinc autem magna mihi neces-

sitas

sitas est imposita, justè rectèq; vivendi, qui cuncta cogito, volo, facio, in oculis judicis cuncta cernentis. Hujus autem oblivio, est radix & origo omnium peccatorum & malorum, juxta illud Psalmi 6. *Non est Deus in conspectu illius, inquinatæ sunt viæ ejus in omni tempore.* Nam sicut, si equus freno, & navis gubernaculo suo destituantur, protinus in perniciem & exitium suum feruntur; ita homo, isto retinaculo carens, post concupiscentias & passiones effrenes, præceps abit.

FERIA V.

Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata? an dicere: Surge & ambula? Ut autem sciatis &c.

1. Sicut natura incipit à facilioribus; ita & gratia. Apud Pharisæos, facilius erat dicere: *Remittuntur tibi peccata tua* quàm dicere: *Surge & ambula*, cum secuto statim restitutæ sanitatis effectu; quia illud primum apud illos erat incertum; nesciebant enim, verenè? an falsò id assereretur? alterum autem insperatum quid, & nunquam visum fuit. Christus ergo ut author Gratiæ, incipit à faciliori in existimatione Pharisæorum, nimirum à remissione peccatorum, tum progreditur ad difficilius, scilicet ad actualem & realem paralytici curationem. Et mihi, si in virtute ac perfectione proficere volo, à minoribus & facilioribus rebus inchoandum est; nam si hæc pervincere non potero vel non studebo, frustra mihi victoriam de majoribus in via Dei difficultatibus polliceor. In parvo flumine discenda priùs navigatio, quàm ratis committatur mari. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa, te constituam.* Mat: 25.

2. Magna est apud nos distantia inter dicere & facere. Longè nobis illud est facilius, quàm hoc. Sed apud Christum æquè hoc est facile atq; illud; nam apud ipsum, verbum est omnipotens, unde *ejus voluntati subest posse*, ita, ut quicquid vult, reipsa præstare possit. Atq; ita in præsenti, æquè quoad Christum facilè fuit dicere: *Remittuntur tibi peccata*, atq; reipsâ, illa remittere. Similiter æquè illi facilè erat dicere: *Surge & ambula*, atq; reipsa

erigere Paralyticum, & pristino vigori restituere effectivè: Sicut ergo, quando uno alterovè verbo, sanavit repentè ac erexit Paralyticum, ostendit, se non esse blasphemum, sed verè habere virtutem ac Potestatem Divinam; ita quoq; quando dixit: *Remittuntur tibi peccata*, demonstravit, se eâdem Potestate Divinâ verè esse præditum, adeoq; nulli blasphemiæ obnoxium. Atq; talem Potestatem ac virtutem includit modò Sacramentis Ecclesiæ, Christus Dominus, ita, ut inter Sacramentale *Dicere*, à Sacerdote, prolatum, & reipsâ *Facere*, nulla sit distantia. Quandocunq; Sacerdos seriò profert *Baptizo, Absolvo, Confirmo, Ungo, hoc est Corpus meum*, reipsâ, illa anima, supra quam hoc profertur, baptizatur, absolvitur, confirmatur, ungitur. Fit corpus Christi.

3. Quòd Christus habuerit Spiritualem Potestatem remittendi peccata, probavit hoc, signo externo, seu miraculo visibili, sanati Paralytici; hoc enim viso, poterant facilè Pharisæi venire in notitiam suæ Divinitatis & supremæ authoritatis: & nisi illud vidissent, semper dubitâssent, verènè an falsò Christus illa verba protulerit? *Remittuntur tibi peccata tua.* Vera & solida virtus, nec debet nec potest diu latere, quin se, ad extra, aliquo effectu prodat. Frustra interiorem sanctitatem prætendo, nisi hoc indicet exterior modestia, refrenatio sensuum, passionum mortificatio, compressio iræ, garrulitatis, curiositatis. Ineptum est horologium, si rotæ intùs incedant, sed index id non prodat, vel aliter prodat. Si ignis intùs ardet, prodit illum fumus, prodit calor, occultare se non potest, & si violenter contineatur, violentiùs erumpit.

FERIA VI.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

1. IMperantis vox ista est, sed simul benefacientis. Cum magna festinatione & hilaritate, Christus contulit sua, in ægros, beneficia. Nulli dixit: Abi modo, recede hodie, cras redibis, postea dabo. Nullam in conferendis donis moram admisit. Offertur ei Paralyticus, mox eum, hilari voce, appellat Filium, blandisq; solatur verbis: *Confide Fili.* Sine mora, ingens bene-

beneficium, animæ quidem ipsius, remissionis peccatorum, corpori verò sanitatis & robusti vigoris tribuit. Velox & hilaris est misericordia Christi, beneficia non differt, non procrastinat. Improborum est, de die in diem, emendationem vitæ differre, in vitiis antiquis jacere ac stertere. Iustorum autem indoles est, surgere quotidie, viam DEi incipere quotidie, ac dicere: *Dixi, nunc cœpi. Ps: 76* Sicut enim Sol quotidie occúbit & quotidie oritur; ita justus quotidie cadit, juxta illud: Prov: 28. *Iustus septies in diem cadit, & quotidie resurgit. Hodie si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra: Ps: 94.* Vult omnino Deus, ut æmulemur ejus celeritatem in benefaciendo, unde ait: *Surge, noli morari, noli stertere.*

2. Per lectum, quem Paralyticus jubetur tollere, varia possunt intelligi. Primò enim intelligitur Caro, in qua, veluti in lecto, anima paralysi tepiditatis constricta jacet; tunc autem tollitur, quando à carnalibus & terrenis desideriis, ad appetenda spiritualia & æterna erigitur. Deinde intelliguntur habitus pravi, in quibus conscientia vitiis illigata stertit; tunc autem tolluntur, quando per contrarios virtutum actus violenter expelluntur. Tandem intelligitur quivis Proximus, præsertim aliquam nobis molestiam inferens; tunc verò ipse tollitur, quando defectus ipsius, & mores inconditi, æquo animo tolerantur; cùm & ipse nostros debeat tolerare. Quisq; enim patitur suos manes; idq; juxta monitũ Apostoli. *Alter alterius onera portate. Gal: 6.* Deniq; intelligitur quævis molestia & afflictio sine qua, vita præsens transigi non potest; & ad hanc tollendam hortatur nos Christus. *Mat: 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Tollite jugum meum super vos.* Mat: 11.

3. In domum suam se recipit, qui sua interiora curat; ad exteriora non extenditur, qui suæ attendit conscientiæ non alienæ. Hæc diversitas notatur à Spiritu S. inter *Esau*, & *Iacob*, quia ille factus adultus, evasit in virum gnarum venandi, & agricolam; hic autem erat vir simplex habitas in tabernaculis. *Esau* ergo ad exteriora diffluebat, *Iacob* verò curabat interiora. Qui nimiùm exteriora curat, non sibi vivit sed aliis; vagatur per alienas domos, & suam negligit; mores alienos observat, de vita & vitiis pro-

proximorum passim loquitur, seipsum non inspicit. His ergo Christus dicit: *Vade in domum tuam*, tua cura, aliena relinque, in multis esto quasi inscius. Utiq; non pro alienis, sed pro tuis defectibus, Deo es rationem redditurus.

SABBATO

Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui talem potestatem dedit hominibus.

1. TImuerunt turbæ, sed non legimus, quòd timuerint Pharisæi, etiamsi præsentes fuerint, & oculis suis viderint illud miraculum: aut Principes Sacerdotum, *Annas* & *Caiphas*, vel *Herodes Rex Galileæ*, estò quoq; ad illos fama ejusdem prodigii pervenerit. Faciliores sunt ad pietatem homines rudes ac simplices, quàm seculari scientiâ, & pompâ mundanâ inflati. Si Pharisæi & Principes, viso illo miraculo, Deum timuissent & glorificâssent, majus hoc fuisset miraculum, quàm ipsa repentina Paralytici sanatio. Quia nimirum illi imbuti erant maligno erga Christum affectu, & opinione sapientiæ ebrii, atq; fastu dignitatum suarum tumentes: hinc erant prorsus incapaces Divini timoris & honoris. Adime mihi Domine omnem scientiam, omnemq; mundanum honorem, & dona mihi solùm timorem honoremq; tûi; nam *initium Sapientiæ, timor Domini.* Eccl: 1. *Confige timore tuo carnes meas, ut à mandatis tuis timeam.* Ps: 118. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* Mat: 11.

2. Sicut omnia alia miracula, ita & hoc, sanati Paralytici, gratis quidem Christus fecit; quia nullam, pro hoc, antè vel pòst mercedem accepit: non tamen frustra. Quia certum sibi præfixerat finem, ad quem unicè collimabat. Quis autem hic finis fuerit? declarat præsens Evangelium: *Videntes turbæ timuerunt & glorificaverunt Deum*, Timor & glorificatio Dei, finis fuit adæquatus, quem in suis operibus intendebat Christus. Multa, imò infinita beneficia Deus in me confert quotidie, quam verò aliam pro hoc requirit à me gratitudinem? nisi ut illum timeam & glorificem. Si requireret vitam, sanguinem, cruciatus, labores

bores intolerabiles, deberem illi rependere; quantò magis, dū adeò levem exigit obligationem. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. Calicem salutaris timoris accipiam, & nomen Domini invocabo &c.* Ps: 115.

3. Insperatus omnino has turbas incessit affectus. Vident Paralyticum sanatum, & non curant etiam ipsi, perpetuam suorum corporum sanitatem, non afferunt suos alios ægros, nec pro illis supplicant, ut & ipsi curentur. *Timuerunt solùm.* Quis verò incussit timorem? Cogitatio peccatorum, eorumq; condonatio. Venit unicuiq; in mentem: Huic Paralytico remisit Deus peccata, & mihi remittetne illa? Causa, propter quam Deus in istū hominem immisit Paralysim, fuerunt peccata; quia ista in illo curavit primò; Ego sum conscius tot peccatorum à me commissorum, quæ ergo me pro illis pæna manet? tum hic, tum in futuro seculo? Magni timoris est materies, conscium esse peccatorum, & nescire de remissione illorum.

DOMINICA XIX.

POST PENTECOSTEN.

Simile factum est Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo. Mat: 22.

1. SI homo noverit seipsum regere, & imperare suis passionibus, si sciat moderari cupiditates suas, frenare iram, temperare lætitiam, amorem compescere, continere in officio sensus, jam ibi est *Simile Regnum Cælorum homini Regi*, est ibi similitudo Regni cælestis; quia est debita subordinatio inferiorum ad superiora; hoc est, sensuum & passionum, ad rectam rationem & intellectūs imperium. Imò per tale Regimen, homo facit sibi Regnum cælorum; nam illud promeretur apud Deum, ut ei post mortem dicat: Mat: 25. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* E contra verò, ubi non est talis subordinatio, sed sensus & passiones imperant homini, ut, quod illis libet, faciat, jam

ibi est similitudo inferni, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*: Iob: 10. *Domine adveniat Regnum tuum; Fiat voluntas tua in me, sicut in cælo & in terra.* Mat. 6. *Regnum Dei intra me sit.* Mat: 17.

2. Sive sim superior, sive subditus, hic documentum possum habere. Nam si superior? debeo esse Homo Rex; debeo meminisse, me quoq; esse hominem, sicut alios, fragilem, peccabilem, variis necessitatibus obnoxium; ac proinde subditis condescendendum est, errata illorum humanè corrigenda, eorum indigentiis & miseriis ita subveniendum, sicut meis optarem subveniri; quia licèt sim superior veluti Rex, simul tamen homo sum; unde nihil humani à me debeo putare esse alienum. Si autem subditus? & adverto superiorem in aliquo errare ac delinquere, debeo meminisse, illum quoq; esse hominem non Angelum, fragilem, passionibus obnoxium, necessitatibus subjacentem. Si ergo utrinq; fuerit hujusmodi contemperatio, jam ibi erit veluti in paradyso, veluti in Regno Cælorum.

3. Ita communiter fit, ùt, dum Nuptiæ celebrantur, à Sponsæ Parentibus, nuptiale convivium pro hospitibus instruatur. Si tamen insignis aliquis, vel Regiâ stirpe, oriundus Filius, ducat uxorem è conditione Plebeia, non Sponsæ Parens facit nuptias, & convivium apparat; quia non esset tanti; desunt enim illi sufficientes impensæ, ad instruendam Regalem mensam, sed hoc præstat Parens ipsius Sponsi. Tunc Filius *Magni Regis*, quia *Dei Patris* duxit in Sponsam, fœminam plebeiam, cùm naturam humanam, indissolubili unionis hypostaticæ vinculo sibi copulavit. Deus ergo Pater pro tantis nuptiis, grande instruxit convivium, tum eundem Filium in mensa Eucharistica pro epulo apponendo, tùm ad æternæ felicitatis gaudia, referando nobis aditum, ad quæ jam utiq; admisit tot legiones Angelorum, tantam quoq; multitudinem hominum, *quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis.* Apoc: 7. & adhuc totum terrarum orbem invitat. Ego quoq; ad idem convivium invitatus sum per fidem sanctam, per baptismum, per vocationem professionemq; Religiosam. Et nuptiæ quidem paratæ sunt; sed tu ô anima mea, esnè ad illas, parata? en jam tempus advenit eundi ad illas.

FE-

FERIA II.

Misit servos suos vocare invitatos, at illi noluerunt venire.

1. Mira & prorsus ineffabilis Divinæ bonitatis & charitatis erga nos dignatio! Ultro ipsi, sponté, non vocati debueramus venire ad Regem æternæ Gloriæ, & supplices illi manus tendere, ut nos in suum admitteret palatium, & mensæ cælestis participes faceret. Non enim ipsius intererat, si ad illud convivium suissemus adhibiti, sed nobis duntaxat maxima inde utilitas, maximusq; honor proventurus erat; siquidem ille & seipso poterat esse semper beatissimus ac felicissimus absq; nobis, & jam habuit infinitas myriades Angelorum, in suo palatio, convivia agentium. Ecce verò ipse Deus mittit ad nos, servos suos, per illos, nos invitat, rogat, vocat, ut ejus beneficiis fruamur. Quanta ipsius dignatio! Quanta dignitas nostra! Si enim *Aman* magno sibi duxit honori, quod à Regina Esther vocatus fuerit ad convivium, *Esther 5.* quantò magis homo deberet sibi ducere felicitati, si, etiam post urgentes preces & supplicia sua vota, adhiberetur convivio Divino. Iure hic exclamare oportet: *Psal. Quid est homo, quòd memor es ejus Domine? aut filius hominis, quia reputas eum,* Psal: 143. *Miphiboset,* quamvis esset regio prognatus sanguine, tamen à *Davide Rege* mensæ ipsius factus particeps, indignum se reputabat tanto favore, vocabatq; se *Canem mortuum,* adeoq; indignum, in quem Rex respiceret. *2. Reg: 9.* Quantò magis homo comparatus Deo, id debet de se sentire & loqui!

2. Non exprimitur quidem, quòd servi à Rege missi ad vocandos invitatos, executi fuerint mandatum sui Domini, tamen eo ipso, quia Rex misit, subintelligitur tanquam certissimum, servos mandato ejus parùisse, & jussa executos esse. Siquidem is Dominus, in suis ministris optat & requirit, magnam ad obeundas functiones sibi impositas, celeritatem & expeditionem. Nam *apud veré obedientem, unum idemq; est, dixisse, & fecisse.* Domine, dona mihi tam promptam tam expeditam ad parendum jussis Ma-

jorum meorum voluntatem; ut nimirum de me attendente ad te, verificetur illud: Ps: 32. *Ipse dixit, & facta sunt; mandavit & creata sunt.* Quod superior dicit, tu dicis; quod ille mandat, tu mandas; ergo per me fiat, creetur.

3. Volebat quidem Rex, quantum ex ipso erat, invitatos adesse convivio suo, sed sub ista conditione, si ipsi voluissent. Neminem despoticè cogebat; sed perhumanè invitabat, rogabat, vocabat, annuntiando parata esse omnia. Quia ergo noluerunt venire, & regali mensâ privati sunt, non Regi sed invitatorum stoliditati & pervicaciæ imputari debet. Ita Deus noster *omnes homines vult salvos facere,* 1. Tim: 2. & ad mensam gloriæ cælestis admittere, sed sub conditione, si & ipsi liberè consenserint, ac vocanti Deo annuerint. Nihil igitur deest, ut salvus fiam, præter meum liberum consentire. Neminem Deus vult perire, & à convivio cælesti excludi. Non enim ideo nos creavit, redemit, sanctificavit, vocavit, ; cùm sit clementissimus ac benevolentissimus: Unde simpliciter vult, imò ardenter desiderat, nos salvos fieri. Quare si homo pereat, vehementer dolet & conqueritur, non suâ sed hominis culpâ id factum. O Domine, etiam rebellem meam compelle voluntatem. Cedo libens meæ, quam liberaliter mihi donâsti, libertati. Non attendas ad meam stultitiam, sed quid deceat magnificentissimam tuam liberalitatem; hoc mecum, magnificâ misericordiâ age.

FERIA III.

Iterum misit alios servos, dicens: Dicite Invitatis: Ecce prandium &c. At illi neglexerunt &c.

1. EN iterum flamma immensæ erga nos charitatis erumpit è Divino pectore? Videndo Deus se semel contemptum ab homine, iterum eum rogat & quasi importunitate vincere conatur. Si homo rem aliquam pretiosissimam offerat vicino suo, ille verò eam contemnens dicat: Nolo, nunquid eam iterum eidem offert? nonné ab ingrato beneficium tollit? Deus verò cùm seipsum offerat homini, cum inæstimabili thesauro gloriæ cælestis,

tis, & ab illo audiat *nolo*, iterum ad eum mittit servos suos, iterum per eos invitat, rogat, ne contemnatur favor suus. Semel vocavit Angelum ad æternum illud convivium; & quia venire noluit, amplius illum non vocat, nec vocabit in æternum. *Regina Vasthi*, semel vocata ad convivium *Assueri* postquam venire noluit, non est vocata secundò, sed repudiata, & in ejus locum suffecta alia. *Esther 1.* Hominem verò iterum atq; iterum Deus rogat. Porrò hanc multiplicatam erga nos Dei misericordiam, quis promeruit? nisi Christus Dominus, suis in merendo iterationibus; quamvis enim unumquodq; Christi opus fuerit infiniti valoris, adeòq; sufficiens ad redemptionem generis humani, tamen Christus multiplicavit opera sua & merita: unde etiam Deus intuitu illorum, *multiplicat super nos misericordiam suam*, iterum atq; iterum nos ad cæleste convivium invitando. *Deus secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Ps: 50. *Nunquid unam benenedictionem habes Pater mi?* Gen: 27.

2. Qui verò sunt hi servi, per quos Deus toties hominem invitat, ad agnitionem amoremq; sui in hac vita, in altera verò ad intuitivam faciei suæ visionem ac fruitionem, in quibus consistit convivium cæleste? Duplices sunt; alii exteriores, alii interiores. Exteriores sunt, Viri Sancti, Prædicatores, viam veritatis mundo annuntiantes; cujusmodi fuerunt in prima mundi ætate, Sancti Patriarchæ, *Enoch, Noë, Abraham*; in secunda verò Prophetæ; ut *Moyses, Eliás, Isaiás, Daniel* &c. tum in tertia, *Apostoli, Evangelistæ Martyres*; tandem Pontifices, Doctores, Concionatores, viri Apostolici &c. Hi enim omnes, nomine Dei, invitant, verbis, exemplis, miraculis, libris editis &c. Interiores verò sunt, tot illustrationes, inspirationes, instinctus. Sicut enim Sol diffundit perpetuò suos radios, quibus orbem illuminat, calefacit, fœcundat; ita erat *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; Ioan: 1. Et Ps: 18. *Nec est, qui se abscondat à calore ejus.* Sit infinities benedicta hæc tam immensa, Dei nostri, erga nos, communicabilitas; nam illa est major, quàm tota iniquitas hominum, *Aquæ multæ non possunt extinguere istam charitatem, nec flumina obruent illam.* Can: 7. *Fortis est ut mors, hæc Dei nostri dilectio.* Can: 8.

3. Quò magis aperitur ac diffunditur Divina erga homines benignitas, eò ampliùs ingratitudo & malitia illorum crescit erga Deum. Humanissimus pariter ac liberalissimus Rex iterum atq; iterum inuitat hospites ad nuptiale convivium, omnia parata esse denuntiat; illis autem non satis erat noluisse, terga vertisse regiis ministris, ad nugas tractandas, se convertisse, quod perinde est, acsi quis rogaretur à Potentissimo Rege, ut ejus unicam Filiam ducat in uxorem, & sic fiat heres ampli & opulenti Regni; ille interim nollet, sed mallet stercus de loco in locum transferre. Sed etiam Invitatores suos, Regios autem Ministros, corripiunt, manibusq; violentis, in ipsos, injectis, eosdem in vincula & carcerem conjiciunt, atq; ita multis affectos contumeliis, crudeliter perimunt. *Sic proficit malitia, dum pravo aliorum exemplo evadit deterior, atq; per minores nutrita culpas, sensim sibi acquirit quandam authoritatem nequitiæ!* Sic flumina initio quidem apparent exilia & contemptibilia, sed ubi collaterales rivos in se receperint, quò longiùs progrediuntur, eò vastiores alveos, gurgitesq; profundiores, non facilè superabiles, comparãt.

FERIA IV.

Rex autem cùm audisset, iratus est. Et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos &c.

1. NOlunt venire hospites, Rex dissimulat; excusant se à convivio, ignoscit; nuptiale convivium spernunt, silet; Sed postquam Aulicos ejus ministros invaserunt, contumeliis affecerunt, trucidârunt, tunc demum iratus est, & perdidit homicidas illos. Ita plerumq; Deus facit; dum ei irrogatur irreverentia, contumelia, injuria, dissimulat, non vindicat; sed cum quis ejus vicarios lacessit, contemnit, dehonestat, hic demum non parcit, iram suam exerit, & acrem sumit vindictam, dicitq;: Luc: 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Non est abutendum lenitate ac bonitate Dei; non est peccandum in spem veniæ ab eo obtinendæ. Quò benigniorem ille sese exhibet, eò severiorem, si diu lacessitur ac irritatur, se postmodum ostendit. Quò diutiùs dissimulat,

simulat, eò postea acriùs ferit ac punit. *Læsa patientia fit furor. Fugite à facie iræ Columbæ.* Ierem: 25. *Non est thesaurizanda ira ejus in diem iræ.* Rom: 2. *Non est implenda mensura peccatorum;* Mat: 23. *quia amaras feces cogentur bibere peccatores terræ.*

2. Multos exercitus, multòsq; milites habet Deus. Habet exercitus Angelorum propè infinitorum, quorum unus, noctè unâ, in Castris *Assyriorum* interemit 185. millia virorum. *1. Reg: 19.* Habet exercitum stellarum ùt Isaiæ 24. dicitur *Tabescet omnis militia cælorum.* Et Iud: 3. *Stellæ pugnaverunt in ordine suo contra Sisaram.* Pugnat exercitus stellarum contra impios, tempestatibus, fulminibus, tonitruis, pluviis, ventis, æstu, frigore. Habet exercitus muscarum. *Exod:* 8. *Venit musca gravissima in domum Pharaónis & servorum ejus, & in omnem terram Ægypti; corruptaq; est terra à talibus muscis.* Habet præterea exercitum locustarum, per quas vastitatem intulit Ægypto. *Exod: 10.* Adde his cyniphes, quibus mirabiliter oppugnavit eandem terram *Exod: 8.* Adjice exercitus ranarum, vesparum, crabronum, quibus afflixit Chananæos *Sap: 12.* Imò omnis creatura est miles Dei paratus ad prælium Dei, juxta illud *Sap: 5. Armabit omnem creaturam ad ultionem inimicorum:* Quis adeò demens, ùt audeat rebellare tanto Regi? Quis potest dinumerare potestatem iræ tuæ?

3. Quodnam erat crimen, propter quod ex illa civitate Rex tàm rigidam sumpsit pœnam, ut eam igne succenderit, & flammis atrocibus deleverit? Utiq; non omnes erant nocentes, sed aliqui duntaxat, ij nimirum, qui spretâ benignitate sui Regis, servos ejus contumeliis affectos peremerunt. Is est mos Dei nostri, ut sicut propter bonos parcit malis, ità propter malos, animadvertit etiam in bonos; nam hi quoq; habent suos nævos, ac defectus supplicio dignos. Ita decernit judicium Divinum, ut omnia, quæ peccato deserviunt, extinguantur ac deleantur. Sic fiet sub finem mundi, *Ignis ante faciem DEi præcedet, Isaiæ 66.* qui *omnes inimicos ejus inflammabit in circuitu Ps: 96,* omniaq; ædificia devorabit, & latibula exuret. Ipsa quoq; corpora humana, quæ animæ incolebant, tradentur igni æterno, nunquam extinguibili.

FE-

FERIA V.

Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunq; inveneritis, vocate ad nuptias.

1. Jubentur à Rege servi, non eos vocare, qui erant in viis, sed qui extra vias. *Ite ad exitus viarum*, ut ostendatur, quòd Deus, omissis Iudæis, utpotè ingratis adeoq; indignis convivio suo, miserit viros Apostolicos, ad infideles Gentes ac Ethnicos, qui non versantur in viis DEi, sed extra vias. *Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Ps: 118.* Nam viæ DEi, sunt mandata ejus; juxta illud Psalm 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* In his viis non ambulabant infideles, utpotè alieni à notitia mandatorum DEi. Hos ergo Deus vocavit per Apostolicos viros, ad convivium Fidei, charitatis, & gratiæ Domini nostri JESU Christi; pròut expressit D. Paulus alloquens Iudæos. *Act: 13: Vobis quidem primùm oportebat prædicare Verbum DEi, sed quia vos indignos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes* Simile quoq; mihi DEus beneficium præstitit, vocando me ad Religionem Catholicam & Religiosam vitam. Poteram nasci inter Turcas, Ethnicos, hæreticos, eorumq; sectis & moribus imbui. Non permisit hoc Deus, sed ordinavit, ut nascerer ex Parentibus fidelibus, & Fide Catholica à teneris imbuerer. Poterat alios, mê, digniores genere, virtute, moribus, vocâsse ad S. Religionem, non illos, sed me elegit in exitu viarum, me peripsema mundi, *segregavit sibi in opus Evangelii, Rom: 1.* pro quo sit benedictus in secula, & ultra.

2. Per vias istas, ex quarum exitu jussit Rex convivas colligi, rectè quoq; intelliguntur mores hominum. Et sic via avari, est cupiditas divitiarum; via superbi, est appetentia honorum; via luxurioši est amor deliciarum, sicut dicit Isaias c. 53. *omnes nos quasi oves erravimus, unusquisq; in viam suam declinavit.* Omnes peccatores in via cordis sui ambulant, in desiderio animæ suæ. Vt ergo aliquis ad nuptiale Dei convivium venire possit, debet exire extra viam suam, hoc est, pristinos pravos ac vitiosos mores deserere. Et sic *Abraham*, à via sua exivit, cum ad imperium DEi,

egressus

egressus est de terra sua, & de cognatione sua. Gen: 12. Atq; ita terram promissionis obtinuit. Sic *Loth* de via sua exivit, quando *Sodomã* deseruit, atq; ita salvatus est ab incendio. *Gen: 19.* Et mihi, est relinquenda via mea, ut Dei convivio frui possim. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Ps: 24. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* Ps: 118. *Dirige Domine DEus meus in conspectu tuo viam meam.* Ps: 5. O anima mea *dirige vias Domini, rectas facito semitas ejus. Omnis vallis impleatur, & omnis collis & mons humilietur. Fiant prava in directa, & aspera in vias planas.* Luc: 3

3. Etiam vita præsens est via, quâ tendimus ad terminum æternitatis. Exitus ergo vitæ, seu mors, est exitus viæ, ex quo jussit Rex convivas vocari. Detinebant me hactenus variæ mundi illecebræ, deterrebant viæ difficultates, obsistebat proprium velle, quominus adirem convivium Evangelicæ perfectionis, & accumberem mensæ virtutis. Agnosco me indignè egisse, quòd vocantem ac invitantem Deum neglexerim contempserimq;. Ergo si ex animo cupio fieri particeps mensæ Divinæ, debeo me conferre ad exitus viarum mearum, debeo recolere mortem, eamq; consulere, quidnam illa mihi suadeat? an tandem eundum sit ad convivium Religiosæ perfectionis, an negligendum? Procul dubio, tale ipsius erit consilium, ut eam. Non spernam igitur illud, utpote saluberrimum, & quod tunc, me egisse optarem, id modò incunctanter & seriò agam. Nam serum erit & frustraneum postea desiderium meum; juxta illud monitum: *Quodcunq; manus tua operari potest, instanter operare, quia nec mens, nec ratio, nec consilium est apud inferos, quò tu properas.* Eccl: 9.

FERIA VI.

Amice quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

1. HÆc verba ostendunt animum Regis minimè furore percitum, minimeq; excandescentem; tranquillo enim animo & ore appellat *Amicum.* Nam DEus, ùt est *Sap: 12. cum tranquillitate judicat & cum magna reverentia disponit nos.* Dum nobis

occurrunt molesta & acerba negotia, excitantur in nobis, nescio, qui fluctus irarum. At in Deo puniente, nulli sunt hujusmodi fluctus, nec tenuissima quidem, in illa Serenissima majestate, commotio; magna cum tranquillitate judicat, & pacatissima cum quiete punit. Eum, quem ob carentiam vestis nuptialis, adeoq; dedecus ac opprobriũ nuptialis actûs, tartareis addicit flammis, amicum appellat, non impostorem, non nebulonem, non perduellem vocitat. O Sapientia, *quæ à fine usq; ad finem attingis fortiter, disponisq; omnia suaviter, Sap: 8.* assiste mihi in omnibus actionibus meis, mecumq; labora. Da suavem efficaciam, & efficacem suavitatem.

2. Quare hominem reprobum vocat *Amicum*? *S. Hieronymus* respondet: Eò, quòd ad nuptias fuit invitatus; nam inimici & hostes non solent invitari ad tales actus. *S. Gregorius* ait: *Amicum vocat & reprobat; ac si apertiùs ei dicat: Amice & non Amice. Amice per fidem, & non Amice per operationem.* Euthymius ait: *Amicum dixit, utpotè Christianum, quamvis indignum tali appellatione.* Non sufficit, quòd appaream, & appeller Religiosus; necesse est, ut sim talis vitâ & moribus. Nam per hanc vestem rectè intelligitur vita & mores statui conformes. Tandem ideo Amicum appellat, nam DEus multa in hominem etiam iniquum beneficia confert; nam *facit oriri solem, & pluere super justos & injustos: Mat: 5.* unde ex se est Amicus, ipse autem impius homo facit se inimicum. Deniq; illum appellat Amicum per Ironiam, seu jocum acerbum, ad eũ modum, quo *lupum* appellamus *Custodem ovium.* O quàm intolerabilis esset Ironia! Si me DEus coram suo judicio stantem, tali joco, appellaret Religiosum, Socium JESU, Professum Societatis.

3. *Obmutuit, & vox faucibus hæsit*, partim ob impotentiam. Non enim poterat respondere: Pauper eram, carebam pecuniâ, ideoq; careo veste nuptiali. Vel, quæsivi vestem, & non reperi. Quia vestis charitatis, de qua agebatur, neq; pecuniâ emitur, neq; commodatò ab amicis petitur, sed pœnitentiâ comparatur. Partim ob ruborem, qui ei os obstruxerat, ne confiteretur peccata, atq; sic veniam apud Regem Clementissimum impetraret. Quî enim est mutus ad peragendam peccatorum Confessionem, mutus

tus etiam erit ad reddendam Deo rationem & remissionem obtinendam. Qui autem vera cum contritione ritè os aperit ad confitenda peccata, ille quoq; opportuno tempore os aperiet, ad impetrandam illorum veniam. *Domine ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaq; ; quia in judiciis tuis speravi.* Ps: 43. *Confitebor adversùm me injustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Ps: 31. O *Sanctior Rebecca MARIA* indue me virtutum vestibus, da mihi vocem *Iacob.*

SABBATO

Ligatis manibus & pedibus, projicite eum in tenebras &c. Multi enim sunt &c.

1. *PEr quæ quis peccat, per eadem punitur.* Conviva ille mutus peccavit per manus ; quia per eas neglexit bene operari, ut sibi compararet vestem aptam, & actui nuptiali congruam ; ergo ligatur in manibus. Peccavit per pedes ; quia illis otiosé viarum exitus perambulabat, negligebat adire amicos, forum, nundinas ; ligatur ergo in pedibus. Peccavit oculis, fortè curiositati & impudicis aspectibus vacando ; ergo projicitur in tenebras exteriores, ubi nihil jucundi videre possit, sed perpetuò fleat. Peccavit ore, tum propter gulam, ingerendo se nuptiali convivio, quo tamen erat indignus ; tum quia obmutuit, cùm tamen loquendum esset, & deprecatio Regis facienda ; punitur ergo per stridorem dentium. Ut ergo desistat ampliùs malè agere, vias iniquas decurrere, indulgere ultra mensuram sensibus, ponitur ei modus ; catenæ in manus, vincula in pedes, tenebræ in oculos, stupor in fauces, in dentes stridor. *Quantum se glorificavit, & in otio ac deliciis fuit, tantum ei datum de tormentis.* Apoc: 18. Lætare ergo nunc, & vias difficiles perambula ; sed scito, quia *pro his adducet te Deus in judicium.* Eccl: 11.

2. Per hoc etiam significatur, neminem damnatorum posse unquam effugere manus Dei, & pœnas inferni ; ùt ait *S. Gregorius. Qui nunc ligantur vitio, ligabuntur tunc supplicio.* Ligantur ergo illis manus, quia nullum tunc bonum opus agere poterunt.

quo Deum placare valeant. Ligantur pedes, quia cessavit tempus viæ, & jam constiterunt in termino, à quo nunquam poterunt dimoveri. Iam succisa arbor jacet in Aquilone, & ardet, nō movebitur amplius ad Orientem vel Austrum. *Eccl: 11.* Præsens enim tempus est operationis & meriti, illud autem futurum, erit tribulationis & supplicii. *Quo ibo à facie tua? & quo à Spiritu tuo fugiam. Si ascendero in cœlum, tu illic es. Si descendero in infernum.* (Ps: 138.) *ades* non præmiator sed ultor; non glorificator, sed castigator.

3. Quàm pauci sint Electi, comparativè ad vocatos, variis ex scriptura veteri declaratur allegoriis. In universali diluvio, 8. tantum animæ factæ sunt salvæ. 1. *Petr: 3.* Solus *Loth* cùm uxore, & 2. filiabus ex incendio *Sodomæ* sunt erepti. *Gen: 19.* Solus *Iosue* & *Caleb*, intraverunt terram promissam, tot millibus hominum desideratis. *Num: 26.* Et apud Prophetam Ieremiam dicitur: quot fructus in arboribus & vineis reperiuntur post vindemiam, tot salvos fore, comparativè ad damnandos. In novo Testamento, *Luc: 8.* Tres sementis partes, fuerunt infrugiferæ, quarta solum cecidit in terram bonam. *Mat: 3.* Reprobi comparantur paleis, Electi tritico. Et alibi reprobi comparantur rudibus lapidibus, malis piscibus, &c. Electi autem gemmis pretiosis, bonis piscibus. Quantum curare debeo, ut vocationi satisfaciam, & correspondeam, adeòq; ut numerer inter Electos. In mea enim potestate est, ut ex vocato fiam electus, si debitè vocationi meæ correspondero.

DOMINICA XX.

POST PENTECOSTEN.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnáùm. Ioan: 4.

1. NOn dicitur de isto Regulo, *Est*; nam solus Deus absolutè & simpliciter est; juxta illud. *Ego sum, qui sum.* Exod: 3. Et Ps: 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Omnes autem homines, quantumvis nobiles ac divites, solùm

solùm possunt sibi usurpare *Erat*, in præterito imperfecto, quod ita ex parte jam præteriit, ut ex parte videatur adhuc supereſſe. Quia nimirum, omnes homines perpetuò mutantur, transeundo tum *ab esse, ad non esse*; tum ab esse divitum, potentum, robustorum, &c. ad non esse talium. Semper cuivis deerat aliquid; quivis habuit aliquem defectum, aliquam involvebat imperfectionem; *Nulli sunt visi, qui carùere nisi.* Unde & Regulo meritò adscribitur *Erat.* Non est igitur fidendum creaturis, quæ pereunt; sed illi soli serviendum, qui semper *Est*, & cujus anni non deficiunt; cui nunquam desunt Divitiæ, Nobilitas, Potentia, Honor, ut mihi ab illo & cum illo semper sit bene. *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Psl: 72. *Divitiæ in domo ejus.* Psl: 111.

2. Rectè iste Regulus nomine suo designat Hominem in præsenti statu lapsûs constitutum. Quamdiu ille fuit in Paradyso, tamdiu erat Rex absolutè; quia habuit dominium non solùm aliarum creaturarum corporalium; ùt volucrum, animalium, bestiarum, piscium &c. juxta illud Psal: 8 *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* sed etiam sui ipsius, suarumq; passionum, potentiarum, sensuum, actionum. Sed postquam statum illum amisit per peccatum, & ex Paradyso pulsus est, perdidit hoc absolutum Regale dominium; nam esto illi remanserit gubernatio & jus respectu inferiorum creaturarum, non habet tamen plenum sûi suarumq; passionum dominium, ita, ut ei hæc sæpe rebellent ac refragentur: *Caro enim concupiscit adversûs Spiritum. ad Gal: 5.* Cum magna difficultate, resistentia fit tali rebellioni. Magnus conatus adhibendus est, ut hujusmodi tumultus comprimatur. Homo ergo in præsenti statu, solùm debet appellari Regulus; In altero illo Paradyso, *in quo Deum videbimus, sicut est, 1 Ioan: 3.* restituetur nobis plenè hoc dominium, quando *similes Domino erimus.* 1. Ioan: 3. *Pater noster, adveniat Regnum tuum. Fiat in me voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Mat: 6. *Tu es qui restitues mihi hereditatem meam.* Psl: 15. *Infelix ego homo, quis me liberabit de carcere mortis hujus.* Rom: 7. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo Domine.* Psal: 141.

3. Etiamsi hic infirmus, esset Filius Reguli, quamvis habitaret Capharnaùm, tamen *incipiebat mori.* Quid infirmitati? quid morti? cum

ci? cum regali dignitate? Multum omnino. Nulla est adeo excellens dignitas, quæ non habeat annexam sibi miseriam & afflictionem. Ita hîc, vix nominatur Regulus, statim illi, ùt comes individuus adjungitur infirmitas & pressura. *Capharnaùm* significat *Agrum pinguedinis*, vel *villam consolationis*. dum ergo anima moratur in Capharnaùm, infirmitate corripitur, premitur periculo imminentis mortis, Affluentia bonorum temporalium inducit graves, in animam, morbos, propter quos, illa, morti æternæ, est obnoxia: Ab ipsa rerum mundanarum copia, tanquam à radice, omnia mala nascuntur. Pinguis caseus citiùs generat vermes, & corrumpitur. Pomorum ubertas frangit arborem. Nimia lux excæcat oculos. Sonus nimius obtundit aures. Nimia felicitas facit obliviscì Deum. *Adhæreat lingua faucibus meis; oblivioni detur dextera mea, si non meminero tui.* Ps: 136. *Divitias & paupertatem ne dederis mihi, tantummodo tribue victui meo necessaria.* Prov: 30.

FERIA II.

Abiit ad eum & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret Filium ejus, incipiebat enim mori.

1. ADversitas est optimus ad Deum manuductor. Antequam gravis infirmitas corripuisset Filium Reguli, non legitur is accurrisse ad IESUM. Turbæ veniebant ad conciones Christi, & quidem in frequenti numero, ad aliquot millia concurrebant, de Regulo nulla mentio. Sed postquam Filius ipsius ita cæpit ægrotare, ut jam videretur morti proximus, videns afflictus Parens, nullam spem vitæ supereſſe, medicos ac remedia in juvando deficere, tunc primum currit ad IESUM, ejusq; opem supplex implorat. Afflictio illi oculos aperuit, ut videret, quonam esset recurrendum? nimirum ad Deum *adjutorem in opportunitatibus.* Ps: 9. *Ad Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit me.* Ps: 119. *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Ps: 17. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Ps: 120. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Ps: 123.

2.

2. Undenam iste Regulus abiit? & quò? Abiit ex Capharnáùm, id est, ex pinguedine terræ; in Galilæam, id est, ad pinguedinem Cæli, ut ibi apud IESUM inveniret filii sanitatem. Qui vult in anima sanari, convalescere, vires recuperare, relinquat pinguedinem terræ, & ad pinguedinem cæli transeat. Non sit veluti *Esau*, cui data est postrema benedictio de pinguedine terræ; *Gen*: 27. sit velut *Iacob* qui priùs obtinuit benedictionem de rore cæli. Omnia terrena arbitretur ùt stercora, eáq; horreat & fugiat, ut Christum lucrifaciat. *Phil*: 3. Sordeat illi terra, & ad cælum toto anhelet desiderio. *Conversatio ejus in cælis sit.* ad Phil: 3.

3. Si ille Regulus statim ab initio morbi, Filii sui, recurrisset ad JESUM, fortè ab illo benigniùs & affabiliùs fuisset acceptus: Sicut evenit centurioni, qui statim, ubi puer ipsius malè cæpit torqueri, confugit ad eundem cælestem medicum, & ideòq; is promptè illi suam obtulit operam, volens in ejus domum descendere, & curare infirmum. *Mat*: 8. Sed quia Regulus eò usq; distulit, donec Filius ejus inciperet mori, ideo cum aliqua severitate videtur à Christo fuisse acceptus; non quòad omnia, ejus postulato fuit satisfactum, saltem quòad modum. Nam estò sanatus fuerit Filius, tamen Christus non est dignatus in domum Reguli descendere, sicut rogabatur, priùsq; illud audivit: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Ioan: 4. Dum gravis tentatio incipit urgere, dum se offert occasio peccati, aliàs jam nota, statim recurrendum ad Deum, ut à malo præservet. *Principiis obsta, sero medicina paratur, cùm mala post longas invaluêre moras.*

FERIA III.

Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Domine descende, priusquam moriatur Filius meus.

1. DUm Christus petentes, à se, aliquod beneficium, paternè increpat, & illi, hoc, æquo animo ferunt, plus illis largitur, quàm petant. Sic mulier Chananæa, dum rogat pro Filia sua, & interim rejicitur à Christo, assimilaturq; cani, quia hoc patienter tulit, & sanitatem Filiæ obtinuit, & magnam suæ fidei laudem

laudem reportavit. *Mat: 25.* En est iste Regulus, petebat a Christo corporalem Filii sanitatem, interim illum Christus paternè increpat & exercet: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis; Io:4.* exprobrando quasi duritiam illius ad credendum, nihilominùs ipse non solùm hoc indignè non fert, sed etiam humiliter instat: *Domine descende priusquam moriatur Filius meus,* & sanitatem Filio suo impetravit, & spiritualia beneficia magna, scilicèt veram fidem in Christum, tum sibi, tum toti suæ Domui &c. *Exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine illum tantisper;* Ps: 26. *veniens enim veniet & non tardabit.* Habac: 2. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet Coronam vitæ.* Iacob: 1.

2. Ex duplici capite, imperfecta erat fides & postulatio Reguli. 1. quia putabat, Christum absentem non posse conferre sanitatem suo Filio; unde rogabat, ut pro hoc actu descenderet in domum suam. 2. quia existimabat, Christum, si Filius ille moreretur, non posse illi vitam restituere; unde ait: *Descende priusquam moriatur Filius meus.* Utrumq; erat à vero alienum. Cùm enim Christus non solùm fuerit homo, sed etiam Deus, per suam immensitatem ubiq; erat diffusus, adeòq; non egebat descensu in domum Reguli, ad sanandum ejus Filium. Fuit quoq; omnipotens; unde poterat mortuo etiam Filio vitam restituere. Cum his tamen omnibus, exaudita est oratio Reguli, & voto ipsius satisfactum. Ita benignus Deus, actus nostros quantumvis imperfectos, & ex erronea falsaq; cognitione provenientes, dummodò adjunctam habeant humilitatem, & supplicem in Deum tendentiam, non aspernatur, sed liberali afficit præmio. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Ps: 138.

3. Defecit quidem Fides hujus Reguli; at ego debeo meâ fide supplere hunc defectum; inprimis credendo, quòd Deus ubiq; sit, meosq; actus omnes videat; unde *in Sanctitate & justitia coram ipso debeo agere omnibus diebus vitæ meæ. Luc: 1.* Hinc ubicunq; locorum, & in quacunq; necessitate, constitutus fuero, habeo ad quem recurram, dummodo mihi in eum non desit fiducia, & supplex recursus. Deinde etiamsi mortuus fuero, & corpus hoc mortale, recedente, ab eo, anima, quamvis resolvetur in favillam & cine-

& cinerem, tamen omnipotens Dei mei dextera, excitabit me à pulvere, & instaurato corpori reuniet animam meam. *Credo quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die, de terra, surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Iob: 16. *Ego sum Resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Ioan: 11. *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Marci: 9.

FERIA IV.

Vade, Filius tuus vivit.

1. HOc est, abi tu in domum tuam; non est necesse, ut ego tecum descendam. Duo petierat Regulus; unum, ut Christus descenderet; alterum, ut sanaret Filium ejus. Primũ, quòad modum, negat Dominus, dicendo: Vade; hoc intelligendo de corporali suo descensu. Nam si corporaliter descendisset, fides Reguli mansisset infirma; nam non credidisset, quòd Christus etiam absens potuisset sanare. Non negat tamen quòad substantiam; nam defacto per fidem spiritualiter descendit in cor ejus; siquidem ille *credidit sermoni Christi*, & abiit. Secundum autem, quod Regulus petierat, absolutè concedit Christus, dicendo: *Filius tuus vivit.* Non dicit, *vivet*, sed *vivit* in præsenti; quæ Phrasis Hebræa significat,, *Sanum esse.* Dum aliquid petimus à Deo, non est determinandus modus, quo id debeat fieri, sed arbitrio Dei relinquendus. Interim ei fidendum, quia nos non fallet, sed id, & eo modo, nobis donabit, quod & gloriæ ipsius, & nostræ saluti erit convenientius. *Iacta curam tuam in Dominum, & ipse te enutriet. Psal: 54.* Projice te in eum, non se subtrahet, ut *cadas & collidaris, sed supponet manum suam.* Ps: 36.

2. Mira verborum Christi vis & energia. Certè verba hæc non solùm erant narrativa sed etiam affectiva; quia reipsa à Filio Reguli abegerunt febrim, & contulerunt illi sanitatem; erant enim instrumenta Verbi Divini, quod, quidquid vult, facit in cælo & in terra. At verò etiam nunc non dèest talis energia verbis Christi, imò longè major elucet. Quò enim præstantior est supernaturalis sanitas animæ supra naturalem sanitatem corporis, eò insignior est virtus illam conferens, supra virtutem,

istam, tribuentem. Quis verò nunc in animabus nostris operatur hanc sanitatem, nisi verba Christi; non quidem ore ipsiusmet, sed ore vicarii & ministri ejus, prolata. Nam quando à Sacerdote infans baptizatur vel pœnitens absolvitur; tunc é Filio iræ, & reo damnationis æternæ, evadit Filius Gratiæ, & heres cælestis gloriæ. *Verba vitæ æternæ habes Christe;* Ioan: 9. *Eloquium tuum vivificat me,* Psal: 118.

3. Minus videtur Christus dicere, quàm significare his verbis: *Filius tuus vivit.* Nam dicit quidem, *vivit,* sed significat, *sanus est.* Porrò plùs denotat Sanum esse, quàm vivere; nam vivere, est quid commune & sanis & infirmis; nam etiam infirmi vivunt; & non soli sani. Sanum autem esse, est liberum insuper esse ab affectione morbi & infirmitatis. Christus tamen non ait: *Filius tuus sanus est;* sed *vivit.* Hinc illi ægroto, majus beneficium fuit collatum, quàm quod verbis significaretur. Hæc est Dei nostri benignitas, quæ plus confert donis, quàm profert verbis. Apud me verò, de verbis, quantumvis; de opere nihil, aut parum. Multa promitto Deo, & parum præsto. Verbis sum magnificus & profluus, factis autem valde exiguus & parcus. De magna nube parum venit pluviæ; de vasto gurgite, nullus vel modicus piscis. Non audeo hoc à te Domine petere, ut anima mea sana sit; hoc saltem supplex peto; ut vivat; dic ergo illi, vivit & vivet.

FERIA V.

Credidit homo sermoni, quem dixit ei IESVS, & ibat.

F. ANtea Pater Filii infirmi, appellabatur *Regulus,* nunc autem appellatur *Homo. Credidit homo sermoni.* Quia nimirum antea præferebat aliquid præsumptionis & fastûs, volendo, ut Christus in domum ejus descenderet; idq; intuitu dignitatis ipsius & regiæ stirpis, ex qua ille ducebat originem; sicut & *Naaman Syrus* volebat, ut *Elizeus* ad eum è sua domo exiret, & manibus ei impositis, Deum suum supra illum cum multis ceremoniis invocaret. 4. *Reg:* 5. Modò autem appellatur *Homo.* Tum quia modò cæpit ratione uti, seu rationabiliter agere, dum credidit

didit Christo, & voci ejus obedivit. Tum quia humiliatus à Christo, seipsum intrà depretiare & humiliare cæpit, & hominem fragilem, ac indignum Dei præsentiâ agnoscere. *Domine da mihi intellectum, & vivam.* Ps: 73 *Noverim te, noverim me.*

2. Facilè homo credit, & obtemperat ei, à quo notabile aliquod beneficium, agnoscit se accipere; sicut è contra graviter indignatur illi sæpe, à quo non impetrat id, quod valde desiderat. Nam illud beneficium parit in illo lætitiam, hæc autem imperat illi homini fidem & obedientiam erga benefacientem. Id omnino evenit in Regulo: magnum ille beneficium credebat se accipere à Christo, vitam & sanitatem Fillii, jam alioquin desperati, & à medicis derelicti; hinc ergo insignem concepit lætitiam, quâ impulsus, dedit verbis Christi fidem, & ad ipsius nutum, redibat domum, certissimè sibi persuadens, Filium suum habere vitam. Da Domine lætitiam in corde meo, & hæc sufficit mihi ad omne bonum faciendum. Sileant mihi omnia mundana gaudia, dummodo *exultet Spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc: 1. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.* Ps: 50.

3. Optimum, hic Regulus adhibuit modum, restituendæ Filio suo sanitatis, vitæq; retinendæ; quia *Ibat.* Si stetisset, filius ad sanitatem non rediisset, sed incurrisset mortem. Nam si volumus spiritualem animæ vitam conservare, debemus. in via Dei proficiendo, ire; nam qui stando, immobilem se ad progressum in bono exhibet, mortis periculo se exponit, vitamq; gratiæ conservare non potest. *Nam in via Dei non proficere, est deficere. Qui stat, videat, ne cadat.* 1. Cor: 10. Animalia, quæ currum Gloriæ Dei vehebant, non stabant; sed *ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Ezech: 1. Nam qui sincerè vult gloriam Dei promovere, debet malum fugere, & aversari, ad bonum verò conniti ac tendere. Qui vult frigescentem in venis hyberno tempore calefacere sanguinem, necesse est, ut motum & agitationem membrorum adhibeat; nam immotus, à frigore circumstante sensim obrigescet.

FERIA VI.

Interrogabat ab eis horam, in qua melius habere cæpit. Horâ septimâ reliquit eum febris.

1. NOn gratis quærit de tempore sanitatis Filii sui. Fecit hoc non ex defectu fidei, sed ut magis fidem suam corroboraret; nam ad confirmanda ea, quæ credimus, rationes etiam adducimus. Deindè ideo scisciatur de hora sanitatis, ut fateatur, se esse maximè obligatum & obstrictum Christo. Nam gratus animus, toto affectu intendit eum recognoscere, à quo beneficium accepit, ut se illi devinctum protestetur. Ingratus è contra, beneficia extenuat & obnubilat, ut nulli se obligatum profiteatur. Sit tibi minimum Dei donum pro maximo; nam si fueris gratus pro minimo, dignus eris majora accipere. Si dignitas datoris inspiciatur, nullum datum parvum, aut nimis vile videbitur. Non enim parvum est, quod à summo Deo donatur. Si observarem tempus, quo mihi Deus confert beneficia, profectò hinc crescceret, in me, obligatio, ad præstandam illi gratitudinem; nam eo tempore, quo, ego Deum offendo, ille mihi singulare aliquod præstat beneficium, ut me quodammodo sibi devinciat, & sua bonitate opprimat malitiam meam. *Major est benignitas tua, quàm iniquitas mea.*

2. Infirmus Reguli Filius, bene repræsentat genus humanum; post peccatum Adæ, infirmum. Post meridiem, adeoq; horâ septimâ, genus humanum, lethali febre correptum erat; siquidem tunc primus noster Parens transgressus est præceptum Dei, comedendo vetitum fructum, ut habetur *Gen 3.* Proportionato ergo tempore attulit DEus remedium humano generi, ad depellendam hanc febrim. Nam sicut, horâ septimâ, infirmo Reguli Filio contulit sanitatem, per illa verba, ad Patrem, prolata, *Filius tuus vivit*; ita quoq; horâ septimâ, Christus, toti mundo, præbuit efficax remedium; cùm enim ille, horâ sextâ, Crucifixus fuerit, & horâ nonâ, Spiritum in manus Patris æterni reddiderit; sequitur, quòd horâ septimâ totum fere pretiosum sanguinem, in re-

in remissionem peccatorum nostrorum fuderit, & consequenter agonizare atq; cum morte luctari jam cæperit; adeoq; agone suo mortali, vitam mundo, eâdem horâ septimâ restituerit; eademq; horâ genus humanum meliùs habere cæpit. O mirabilem Dei nostri providentiam! quæ sicut *opportuno tempore dat escã esurientibus*; ita quoq; in tempore apto subvenit, & medetur infirmis. *Magnus de cælo venit medicus, quia magnus in mundo jacebat ægrotus; amaram præbuit medicinam, quia grandis erat & fatalis, totius generis humani morbus.* S. Aug: Sed *secundùm tempora vel momenta, quæ Pater æternus posuit in sua potestate.* Acto: 1.

3. Per horam septimam designatur tempus quieti conveniens. Nam Deus septimo die requievit ab opere, quod patrârat. *Gen: 2.* designatur quoq; perfectus status dispositionum, ad meliùs habere. Nam Filius *Sunamitis* legitur septies oscitâsse, tum plenè ad vitam est restitutus. *4. Reg: 4. Naaman* quoq; leprosus, postquam septies lavit in Iordane, pristinum florem recuperavit. *4. Reg: 5.* David quoq; septies in die laudem dicebat Deo, (*Psal: 118.*) ut impetraret, quod erat conveniens. Non statim acquiritur Religiosa perfectio; priùs quiescendũ est à perversis & mundanis actibus; juxta illud Prophetæ: Isaiæ 1. *Quiescite perversè agere.* tùm progrediendum ad bona opera, quæ quotidie repetenda sunt sæpiùs, ut homo assuescat religiosè agere; tunc demum sequetur facilitas bene operandi, ita, ut homini, in via Dei, exercitato, idem sit, actus pios & coram Deo laudabiles exercere, quod, dulcem capere somnum; nam bonas prævias dispositiones, ultrò & quasi necessariò perfecta forma subsequitur.

SABBATO.

Credidit ipse & domus ejus tota.

1. VIde altum DEi consilium. Videbatur magna calamitas & afflictio, quòd Filius Reguli, gravi premeretur morbo; nam ingens dolor invaserat, non solùm, ipsum puerum, sed etiã Parentes ejus; imò totam familiam, & tamen hoc magnum erat Dei beneficium: Siquidem ex hac occasione, & ipse Regulus,

& Filius ejus, & familia tota, venerunt ad perfectam Christi cognitionem, firmaq; & stabili fide in eum crediderunt. Optimus est opifex DEus noster, novit etiam ex adversis molestisq; rebus, oleum suave prosperitatis & commodi spiritualis elicere. Media, quæ humanæ scientiæ, videntur improportionata, Sapientiæ, ipsius sunt proportionatissima & aptissima. Non est desperandum, dum DEus gravem aliquam immittit afflictionem; nam potest ex omni tentatione facere proventum, dummodo in eo habeatur fiducia. Quid erat calamitosius, Christi Passione, & morte? quantum tamen bonum Gloriæ Divinæ, salutisq; humanæ, ex illa est elicitum! *Etiamsi occideris me, tamen ego in te sperabo.* Iob: 13. *In te Domine spero, non confundar in æternum.* S. Ambrosius & S. Augustinus.

2. Ubi Regulus de sanitate Filii sui nuntium accepit, non rediit ad Christum, neq; illi debitam gratitudinem, prolixis (ut Politici solent) verbis est testatus. Quamdiu erat solicitus de vita pueri, facundè Christum precabatur, modò autem, post obtentum jam favorem, desunt illi verba. Sed enim non in hoc gratitudo consistit, ut aliquis longam effundat orationem. Aliquid aliud à Regulo exigebat Christus, nimirum ferventiorem fidem, inprimis in illo ipso, deinde in tota ejus familia. Quod ille defacto præstitit, suæq; satisfecit obligationi; nam & *ipse credidit, & domus ejus tota.* Reipsâ servari debet DEo fides, non verbis, non propositis: dum se offert occasio violandi præceptum DEi, eumq; offendendi, tunc ostendi debet gratitudo & fidelitas erga illum; fugiendum est peccatum, & adhærendum Deo, ejusq; voluntati. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psal: 72. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Mat: 7. *Non sim servus sciens voluntatem Domini, & non faciens, ne plagis vapulem multis.* Lucæ 12.

3. Triplex fuit Fides illius Reguli, *Incipiens*, cùm ad Christum in extrema necessitate recurrit, putando tamen, ipsum nonnisi præsentem posse sanare. *Proficiens*, cùm sermoni Christi sanitatem Filii annuntiantis, credidit, & domum ibat. Tandem perfecta, cùm de valetudine bona Filii, nuntium acceperit, & oculis eam suis lustraverit. Hæc ergo Fides perfecta & viva fecit illum

stabiliter

stabiliter & firmiter credere in Christum: hæc insuper fides totam Reguli domum, ad fidem in Christum adduxit. Nam qualis est Paterfamilias, tales ordinariè sunt & domestici. Cùm ergo in me Intellectus sit veluti Paterfamilias, reliquæ autem potentiæ, tam internæ, quam externæ, sint veluti famuli ac ministri; quomodo ille judicat, & qualibus principiis est imbutus, ita se gerunt & potentiæ omnes. Si intellectus, terrena & animalia sapit, etiam omnes potentiæ eadem sectantur. Si autem ille altiora & cælestia principia tenet, etiam hæ, actibus Divinis & spiritualibus vacant. Multùm ergo refert, ut ego, intellectum meum imbuam Principiis æternis & veris, non caducis, & futilibus; nam inde tota salutis meæ series dependet. *Da mihi intellectum, & vivam.* Psalm: 73. *Intellectum mihi da, & instrue me in via, qua gradior.* Ps: 31.

DOMINICA XXI.
POST PENTECOSTEN.

Simile est Regnum Cælorum, Homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Mat: 18.

1. PEr Regnum Cælorum figuratè hic intelligitur, Rex ille seculorum DEus noster, qui rectè assimilatur Homini Regi; nam ad bonum Præsidem, duo potissimùm pertinent. Subditos à peccatis abterrere, & ad virtutes allicere ac pertrahere. Quia ergo DEus noster benignitate suâ allicit homines ad rectè virtuoseq; operandum, pollicendo eis æterna præmia, appellatur Homo; Quod verò Regali potestate deterret à peccatis, comminando eis æterna supplicia, vocatur Rex; magnam quidem vim, utrumq; hoc habet, ut nos impellat ad serviendum DEO; tamen non tam timore pœnæ debemus ad id stimulari; quia hoc servorum ac mancipiorum proprium est: nec tam spe præmii invitari; quia id mercenariis convenit: quàm amore & æstimatione summæ illius bonitatis & excellentiæ; ut illi ex intimo corde placere, ejusq; oculos oblectare ser-

vitio

vitio nostro studeamus. *Dignus es Domine accipere gloriam, honorem, virtutem, & benedictionem.* Apo: 5.

2. Innuitur hic, quòd de quovis quidem homine, præcipuè tamen de improbo, grande sit certamen inter justitiam & misericordiam Dei. Justitia pridem non cum uno, voluit rationem ponere, sed misericordia illam retinuit; vidit enim hæc, quia, si ratio fuisset posita, fuisset quoq; sentētia damnationis prolata; nam ille, cum quo justitia voluit inire rationem, non fuit paratus, immo positivé imparatus fuit, ob contracta plurima peccatorum debita. Voluit ergo justitia rationem ponere, sed misericordia prohibuit, quoadusq; homo ille præpararet se ad bene reddendam rationem, per sinceram peccatorum confessionem, per opera bona satisfactoria. O si etiam mecum pridem iniisset Deus rationem! ubi nunc fuissem? Si statim post tot peccata, à me, perpetrata, vocâsset me ad suum judicium, qualem ab eo promeruissem & retulissem sententiam? *Misericordiæ Domini, quia non sum consumptus.* Thren: 3. *Misericordias Domini in æternum cantabo,* Ps: 88. *quia misericordia ejus superexaltat judicium.* Iacob: 2. Sed cavendum mihi, ne in hoc sensu, quia, quò major est nunc misericordia, eò gravius erit postea judicium.

3. Duplices sunt servi Dei; alii ex natura rei, qui suum esse acceperunt à Deo per creationem, conservationem, gubernationem, redemptionem: cujusmodi sunt omnes homines. Alii verò sunt servi etiam ex pacto, qui ultrò se mancipârunt ad speciale obsequium Dei per spontaneam promissionem: cujusmodi sunt baptizati, Sacerdotes, Religiosi. Cum his ergo omnibus ponet Deus rationem in suo judicio, tum particulari, tum universali. O *Domine quia ego servus tuus; ego servus tuus* (Sap: 9.) dupliciter, primò quidem per naturam; quia totum meum esse tam Physicum quàm morale, tam corporale quàm spirituale, de tua manu accepi, & quotidie accipio, dum me conservas atq; gubernas: cumq; me perdidissem, atq; in servitutem diaboli tradidissem, tu me litro Tui sanguinis redemisti. Tuus etiam servus sum ex pacto, quo me tibi, tum in baptismo, tum in consecratione Sacerdotali, & āpliùs in Professione Religiosa obstrinxi & mancipavi. Sed quàm negligenter, quàm infideliter tuum

servitium

servitium expedio! *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo.* Ps: 142.

FERIA II.

Oblatus est ei unus, qui debebat 10. millia talenta.

1. NOn sponte hic servus venit ad Dominum pro reddenda vitæ suæ ratione; sed oblatus, & veluti coactus. Sentiebat quippe oneratum se magnis debitis, ac proinde ante Dominum & simul judicem, grave illi erat comparere. Sicut enim illi, qui securam habet conscientiam, gratus est adventus judicis; ita è contra ei, qui habet animam multis criminibus oneratam, intolerabile est, sistere se ad reddendam judici rationem. Hinc illi, quibus afferebatur nuntius mortis, si non erant conscii alicujus culpæ, quam vel commisissent, vel commissam, debitè non expiâssent, intrepido ac hilari animo, illum nuntium accipiebant dicendo: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. &c. Psal: 121.* Alii verò è contra, cùm se gravatos multis criminibus sentirent, in tali periculo *inducias petebant usq; mane*: sed vix aut penitùs non impetrabant. Quia nimirum illi Deum exspectabant, ut præmiatorem & glorificatorem; hi autem, ut severum vindicem, & punitorem. *Domine ne in furore arguas me, neq; in ira tua corripias me.* Ps: 37.

2. Oblatus est servus 10. millium talentorum debitor, & simul delatus ad Dominum tanquam reus tanti debiti: quod factum est justè; quia ad eum facta est delatio, qui habebat potestatem & authoritatem supra reum, & simul utiliter, ne thesaurus Regius exhauriretur ac deficeret. Delationes in Religione sunt oblationes seu victimæ & sacrificia, quando fiunt ex amore, erga bonum Religionis, ut ejus integritas & fama in suo flore conservetur, & erga bonum delati, ut corrigatur. Atq; hujusmodi delationes non solùm sunt justæ; quia fiunt ad superiorem, qui habet supra subditos potestatem, & subditus quoad hoc, cessit jure suo, in ordine ad famam suam: Sed etiam sunt utiles; nam plurimùm conducunt ad rectam gubernationem; quomodo enim superior gubernaret, si nesciret quid agatur cum subditis?

Quomodo autem sciret, si illi non deferretur? utiq; non est Propheta. Ordinaria ergo via, notitiam de statu subditorum acquirendi, est delatio; unde æquo animo est toleranda.

3. Ego sum iste unus, 10. millibus talentorum, debitorum Domino meo oneratus & obstrictus. Quid enim sunt peccata mea plurima & horrenda, nisi 10 millia talentorum? nam sicut hæc summa est impossibilis alicui servo ad exsolvendum; ita mihi, peccata mea, spectata, quòad speciem, numerum, circumstantias aggravantes, & speciem mutantes. Unum peccatum, non solùm mortale sed etiam veniale, est tam grande, respectu meî debitum, ut illo grandius cogitari non possit. Quidsi committantur multa, & ferè innumera? Quidsi quotidie numerus illorum augeatur? *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isaiæ 38. *Si iniquitates observaveris Domine quis sustinebit?* Ps: 129. *Peccavi; super numerum arenæ maris,* (Ps: 138.) *& super capillos capitis mei, multiplicata sunt peccata mea,* (Ps: 39.) *& iniquitates meæ, sicut onus grave, gravatæ sunt super me.* Ps: 37.

FERIA III.

Cùm autem non haberet, unde redderet, jussit eum Dominus ejus venundari &c.

1. SAtisfactio justitialis pro aliquo debito, debet esse ex bonis propriis debitoris, nam si fiat ex bonis ipsius creditoris, non est opus justitiæ, sed gratiæ à creditore, de novo, promanantis. Quid verò ego proprium habeo, quod à Deo non acceperim? Nam & corpus cum suis sensibus, & animam cum suis potentiis, Deus mihi dedit per creationem, & continuò dat per conservationem atq; gubernationem. Sed fortè actiones ab istis potentiis & facultatibus, provenientes, sunt mihi propriæ? at nonnè cujus est arbor, illius etiam sunt fructus? Nihil ergo proprium habeo, ex quo satisfaciam Deo pro meis debitis pænè innumeris & inæstimabilibus; utpote valorem suum desumentibus, à vilitate meæ personæ, & dignitate Dei offensi. Quomodo igitur comparebo ad Tribunal judicis omnia scientis, & pariter justi?

justi? Appello nunc à tua justitia, ad tuam misericordiam Deus meus, & in ea, totam spem fiduciamq; meam repono. Appello ad merita & Passionem Domini mei IESU Christi, hæc enim sunt mea per ipsius donationem. Appello ad Matrem misericordiæ; nam etiam hæc est mea per gratiosam protectionem.

2. Quare hic Dominus cum tanto rigore procedit, ut non solùm debitorẽ, sed etiam ipsius uxorem & filios jubeat venundari? Respondet *S. Chrysostomus.* Hoc illum non ex crudelitate, sed ex ineffabili pietatis affectione jubere. Vult quippe per has minas eum terrere, ut sibi supplicet, adeoq; ut non venundetur, sed liber evadat. Timor Dei sæpe nos ad Deum trahit, & ad illum convertit. Sæpe Deus iratam, erga hominem, induit faciem, eiq; minas intentat, ut illum ad se compellat; terret illum larvâ mortis, vel alicujus casûs fatalis, ut illum vindicet à morte sempiterna, & funestissimo in gehennam casu. Dum repentinus ignis corrumpit ædes, in quibus equi stabulantur, ne illo igne, unà cum ædibus absumantur, terreri debent fulgore armorum, strepitu bombardarum, horrifico clamore, ut inde se educi sinant, & sic ab urgenti periculo eruantur; ita Deus facit, ut homines convertantur, *gladium suum vibrat, arcum tendit, parat in eo vasa mortis.* Ps: 7. *Confige timore tuo carnes meas, ut à mandatis tuis timeam.* Ps: 118.

3. Nunquam Deus ita acerbè in hac vita hominem punit, ut ei aliquod solatium non relinquat ac præbeat. Jubet quidem hũc debitorem venundari, sed unà cum uxore & canis pignoribus, ut ex illis, in sua calamitate & afflictione, capiat solamen aliquod. nam *Gaudia sunt miseris socios habuisse dolorum.* Sic *Jobo*, postquam Deus ademit, oves, boves, camelos, armenta, liberos, famulos, ipsam deniq; sanitatem corporis, tamen illi ad solatium reliquit tres amicos. *Job. 2.* Sic *Tobiæ cæco*, dicenti, *quale mihi gaudium, qui in tenebris sedeo & lumen cæli non video,* (*Tobiæ 5.*) reliquit Filium, tanquam lumen oculorum, & *Raphaëlem Angelum* misit, qui ei visum restitueret. Sic *Danieli* in lacu leonũ sedenti (*Dan: 14*) misit *Abacuc* cum prandio. Et *Mardochæo* unà cum Israëlitis afflicto, (*Esther 4.*) providet *Hester Reginam*; Et *Josepho* Pincernam &c. *Gen: 41.* Oculus Dei sole serenior, nunquam nobis ita obnubila-

tur ac obtenebratur, quin aliquem clementiæ & benignitatis radium ad nos projiciat. *Non est, qui se abscondat à calore ejus.* Ps: 18.

FERIA IV.

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Dimisit, cum, & debitum dimisit illi.

1. QUoties ego gravibus peccatis merui, ut me repentina morte sublatum é vivis, justitia Dei, æternis pœnis addiceret, nullumq; mihi relinqueret pœnitentiæ spatium; sicut fecit cum Angelis prævaricatoribus; vel ut me è paradyso Religionis ejiceret, sicut primos Parentes; *Gen: 3.* vel ut me vivum terra absorberet, sicut, *Core, Dathan, & Abiron, Num: 16.* vel ut me murus obrueret, sicut illos Turris in *Silo. Judicum 9.* Et interim adhuc vivo; non experior pœnas inferni aut purgatorii! habeo spatium pœnitendi, & contracta exsolvendi debita! Cui verò id adscribere debeo, nisi Tuæ patientiæ, Tuæ misericordiæ, mi Deus. *Misericordiæ Domini, quia non sum consumptus. Thren: 3.* Te igitur ô patientia, ô misericordia Dei, profundissimè *adoro, benedico, glorifico, tibi gratias ago, propter magnam gloriam tuam,* ad te appello, *sub tuum præsidium confugio.* Tolerâsti me hucusq;, tolera adhuc tantisper, donec omnia tibi reddam, ex thesauro meritorum Christi, cui tu præes; qui utiq; nunquam exhauriri potest, cùm sit simpliciter infinitus.

2. Impossibile erat illi servo, tam grande, 10. millium talentorum debitum exsolvere, & tamen, postquam audiit prolatam, contra se, à Domino, terribilem sententiam, & unà cum uxore & liberis in duram venundurarentur servitutem, promittit se omnia redditurum; quia nimirum illo gravi periculo, vehementer fuit perculsus & consternatus, hinc obligat etiâ se ad impossibilia. Ita plerumq; nos facimus, dum in gravi aliquo discrimine versamur, dum redigimur ad incitas, agiturq; nobis de fama, fortunis, vita, quæ tunc vota Deo non fundimus! quibus nos promissis non obstringimus! Nonnè cum *Ezechia Rege* infirmo dicimus: *Salvos nos fac Domine & Psalmos nostros cantabimus tibi,*

quoties

cunctis diebus. Isaiæ 38. & tamen ubi fuerimus eruti à periculo, pro montibus aureis, quos pollicebamur, ne plumbeos Deo reddimus. Postquam nux difficultatis occurrentis fracta fuerit, nucleum ipsi manducamus, & libamus duntaxat putamina Deo. *Mendaces Filii hominum in stateris, non eàdem mensura remetiuntur Deo.* Psal: 61.

3. Hoc solùm servus rogabat Dominum, ut in illum haberet patientiam; Dominus autem non solùm eam præstitit, sed etiam omne debitum ei dimisit. Semper enim Deus plus dat, quàm petimus. Plenus erat delictis ille servus; at ex Dei benignitate, multam consequitur misericordiam. Nam homo, ex se, multam habet miseriam, sed ex misericordia Dei, copiosam accipit gratiam. Merebantur enormia debita, ut Dominus vehementer indignaretur servo, & atroces de illo sumeret pœnas, sed iratum Domini pectus emollivit illius humilitas, & supplex oratio devicit, ut justum cohiberet furorem, plenumq; pietatis atq; clementiæ cor illi aperiret. *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Ps: 50.

FERIA V.

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis, qui debebat ei centum denarios &c.

1. SI ille servus continuisset se intra penetralia Domini, si meminisset, se esse sub oculis ejus Regis, qui tantam ei misericordiam præstitit, non fuisset ausus, involare in suum conservum eumq; tam crudeliter tractare; sed quia fuit egressus è domo Regis, & elongavit se à præsentia & conspectu ejus, propterea in adeò enormem incidit crudelitatem, ob quam debuit atrocibus pœnis ac suppliciis addici. Causa, propter quam, homines in gravia prolabuntur peccata, est oblivio Dei. *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore,* (ait Ps: 6.) *Non est Deus in conspectu ejus.* Postquam Filius prodigus elongavit se à Parente, totam substantiam consumplit cum meretricibus, & in extremas deve-

nit angustias; ubi verò iterum ad Patrem suum rediit, omnia recuperavit. *Lucæ 6.* Dum scholares pueri non sentiunt præsentem cum ferula Magistrum, multos edunt puerilis petulantiæ actus, sed ubi Moderatorem suum conspexerint, statim se componunt ad modestiam. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, propterea à dextris est mihi, ne commoyear.* Ps: 15.

2. Non casu Debitor ille Servus incidit in conservum etiam debitorem, sed videtur illum de industria, dataq; opera quæsiviſſe, ut inveniret; prout defacto invenit: inventum autem ita barbarè & crudeliter tractavit, ut tanquam carnifex eum suffocaret. *Manet altà mente repostum.* Apparet nunc, qualem affectum adversùs conservum diu in pectore presserit; cùm severo Domini sui edicto irritatus, in talem contra illum erupit sævitiam. Ineptum quidem est, ex occasione lacessere proximum ac vexare (nam id vetat morum civilitas & humanitas cuiq; ingenuo innata) sed facere id de industria & quæsitâ operâ, id demum est insignis malitiæ argumentum insigne. Atq; tale fuit ingenium *Cainī* educentis Fratrem in agrum, ibiq; eum trucidantis. *Gen: 4.* Tale *Saulis* toties circumvenienti innocuum *Davidem.* *1. Reg: 23.* Tale *Iudæ* proditoris de vita Magistri sui, cum Iudæis paciscentis, ac tandem cohortem, pacto, cum ea, inito, ad capiendum Christum adducentis. *Matt: 26.*

3. Dupliciter aliquis potest suffocari. Primò quidem Physice, cùm ei fauces ita comprimuntur, ut ne verbum hiscere aut respirare possit. Deinde moraliter, cùm aliquis non finitur reddere pacaté rationem sui facti, sed statim excusationes ipsius ita retunduntur & opprimuntur, ut progredi, in excusando se, non possit. Quomodo is debitor suffocaverit conservum suum? non exprimit Evangelium. Si primo modo, sat crudeliter! si secundò, sat inhumanè ac inciviliter! Non est cum proximo agendum contentiosè; dandus est locus ejus rationibus, quarum veritati si aliquid deest, humanitas & morum civilitas debet supplere: nam intimas rei rationes rimari semper, & exigere, idē est, quod suffocare; præsertim si id deditâ operâ fiat. *Cedere te potiùs, quàm superare juvet.*

FERIA VI.

Videntes autem conservi, contristati sunt valde, & narraverunt Domino, omnia quæ facta sunt.

1. IPse debitor servus non advertebat tantopere sui facti, modiq; agendi enormitatem, obcæcatus passione iræ, & cupiditate vindictæ ardens; sed aliter hoc apprehenderunt ejus conservi, quos immane facinus, pectusq; crudele socii ipsorum valde contristavit; unde non solùm facto ipsius non sunt cooperati, sed etiam illud vehementer detestati sunt. Quantò minùs tu, errata tua vides, tantò magis ea, tui vicini advertunt & arguunt. Laudabile valde est sine querela vivere in communitate, quæ citiùs & meliùs cognoscit defectus tuos à latere, quàm tu illos cognoscas à fronte. Tales ab Evangelio perhibentur fuisse Parentes *S. Joannis Baptistæ, incedentes ambo in mandatis & justificationibus Domini sine querela. Luc. 1.* Talis fuit Sancta illa vidua *Iudith*, de qua nemo audebat malum verbum dicere; estò fuisset excellenti formâ, & floridâ ætate. *Iudith 15.* Talis deniq; fuit conversatio Christi, qui stans in medio suorum inimicorum, intrepide ad eos dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan: 4.

2. Communiter dicitur. *Qualis Rex, talis grex*; qualis Dominus, tales sunt ipsius famuli. Evangelicus iste Rex fuit piissimus atq; clementissimus; nam ad vnam supplicem servi sui vocem, misericordiâ motus est, & omne debitum estò grande condonavit illi. Æmulantur hanc pietatem servi, qui advertentes crudelitatem sui conservi, non sunt passi regnare & serpere hoc vitium in domo sui domini, utpotè è diametro oppositum ejus clementiæ & pietati. Quare statim illum adeunt, & fideliter ipsi narrant, quid agatur in ipsius domo, sub ejus latere. Servaverunt autem conditiones boni Delatoris; nam ea narrârunt, quæ ipsi oculis suis viderant, non quæ audiêrant, vel quæ conjiciebant; deinde narrârunt omnia, fidelitatem & veracitatem retinentes, non mutilando, & truncando circumstantias. Tandem narraverunt Domino suo, ad quem spectabat correctio; non illis, ad

quos,

quos, hoc minimè pertinebat. Deniq; fecerunt hoc ex affectu erga suum Regem, & ex zelo boni communis, & ex passione supra suum conservum.

3. Omnia quidem hominum peccata DEus videt, cùm sit omniscius: aliqua tamen insuper audire dicitur in scriptura. Nam si non audiret, quomodo diceret ad *Caim* fratricidam: *Gen: 4. Ecce sanguis fratris tui clamat ad me de terra, quid fecisti?* Insuper Christus in Evangelio monet: Mat: 18. *Nolite contemnere unum de pusillis istis, qui in me credunt: dico enim vobis quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Quasi diceret: Sunt Angeli penes eos, qui à te læduntur unde cum lædis hominem, non solum illum lædis, sed etiam ejus Angelum, qui contra te proponet coram Deo querelas. Et alibi in scriptura dicitur: Ps: 78. *Gemitus pauperum, & clamor oppressorum ascendere ad Deum,* & penetrare aures ipsius. Talis fuit iste servus nequam, decem millium talentorum debitor, cujus crudelitatem in conservum exercitam, non solùm Dominus vidit, sed etiam audivit, per narrationem suorum domesticorum; imò per gemitum & clamorem ipsiusmet servi, ab illo oppressi. Valde mihi cavendum est ab injuria, meo proximo inferenda, & à scandalo. Facilius enim Deus videtur ea peccata tolerare, quæ videt; quàm ea, quæ audit; cùm enim querelam, pauperum, vel accusationes Angelorum audit, non potest sustinere, quin celerem sumat vindictam. *Ab alienis parce servo tuo Domine.* Ps: 18.

SABBATO

Tunc vocavit illũ Dominus, & ait illi: serve nequã, omne debitum &c. Et iratus tradidit &c.

1. SAtis quidem citò in omnes peccatores fertur sententia, citius tamen in immisericordes: tunc, id est, statim, cùm tradidit conservum in carcerem. Quia ut Psalmus 54. ait: *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Quando *Aman* parabat vindictam in *Mardocheum*, cùm id minimè, cogitaret ac metueret, suspensus est in patibulo. *Esther 7.* Quando *Antiochus* furorem suum in po-

in populum Dei exerere disponebat, violento fato extinctus est. 1 Mac: 6. Cùm *Pharaò* Israélem persequitur dicens: Exod: 15. *Eva-ginabo gladium meum, interficiet eos manus mea,* in mari submersus & suffocatus est. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator,* ait *Psalmus 9.* id est, cùm opera peccati exercet, vocatur à Domino in judicium; cùm adhuc furtum, vel lascivia in manibus ejus est, trahitur ad Tribunal sui Regis. Hinc Isa: 39. *Quoniam subitò, cùm non speratur, veniet contritio ejus, & comminuetur, sicut conteritur lagena figuli, contritione pervalida.* O si profunda consideratione attenderemus, illud *Tunc,* adeò breve, profectò nec vindictam de proximo sumere, nec differre conversionem auderemus.

2. Dum ageretur de temporalibus Domini bonis; scilicet de 10. millibus talentorum, partim furto, partim negligentiâ servi, Domino subtractis, non compellavit Dominus illum ullo duriore verbo, neq; indignatione fuit commotus, neq; exprobravit illi fraudem ac infidelitatem, pacificè solùm iusserat illum venundari, & ad unam genu flexionem, ad unam supplicem vocem, facilè ipsi totum condonavit. Cùm verò agitur de bonis spiritualibus, de misericordia præstanda proximo, de cõdonatione injuriæ, de crudelitate commissa, de scandalo totius domesticæ familiæ, tunc demum Rex iratus est, tunc furore accensus erupit in hæc verba: *Serve nequam,* tunc actu tradidit eum tortoribus, tamdiu cruciandum, *quoadusq; redderet universum debitum,* id est, semper, ac in æternum. O tortores! ô carnifices! o semper! ô in æternum! Quanti Deus facit actus nostros virtuosos, vitæ æternæ meritorios! cùm pluris apud eum sit privatio unius actûs boni, quàm detrimentum 10. millium talentorum, thesauro suo, oblatorum.

3. Hoc in votis habent omnes homines, ut vili pretio, quantum possunt, emãt res, ac deinde illas carò, quantũcunq; possunt, distrahant ac divendant. Deus autem noster facit è contra; nam valdé caro pretio emit merces nostras, & vili admodùm suas vendit. Minima etenim obsequia nostra, emit mercede æternâ, & immensam misericordiam suam, pro parva nostra misericordia largitur. Sicut te habueris cum proximo, ita se tecum DEus habebit & superabit. Remittis fratri centum denarios, &

DEus remittet tibi 10. millia talenta. Omnes sumus Dei debitores; omnes peccavimus; omnes debemus reddere Deo rationem, omnes divinâ misericordiâ, & indulgentâ egemus. Ut ergo indulgentiam à Deo percipias, tu ipse fratri tuo indulge; si autem ignoscere non vis, noli sperare Dei misericordiam. Unus est misericordiæ pons, per quem in cælum transire potes. Si illum destruis, non pertransibis, nec Divinam consequeris misericordiam.

DOMINICA XXII.

POST PENTECOSTEN.

Abeuntes Pharisæi, consilium iniêrunt, ut caperent IESVM in sermone. Mat: 22.

1. Si ipsa sapientia æterna & innocentia circumveniebatur à Pharisæis, ut caperetur in sermone; quanta mihi opus est cautela, dum versor inter malevolos ac invidos, ne tale aliquid proferam, unde illi capiant occasionem me calumniandi vel meam Religionem. Sed si Christus, non cessabat insectari vitia Pharisæorum, quamvis sciret, magnâ apud illos ideo se incursurum invidiam, ita, ut quamvis illum hîc & nunc non potuerint capere in sermone, tamen postea ex vi impii consilii, ceperint atq; cõprehenderint in corpore: atq; per calumniâ impactam, quasi nollet dari tributa Cæsari, ignominiosissimæ crudelissimæq; morti addixerint; ita & mihi, dum ex officio incübet, non cessandum est ab insectandis aliorum vitiis absq; respectu; quamvis propterea contra me variæ insurgent contradictiones, detractiones, circumventiones. *Non est discipulus supra Magistrum* Matt: 10. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Ioan: 15. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Matt: 5.

2. Videbant Pharisæi, non potuisse Christum capi in opere cùm ei acclamatũ sit Mar. 7. *Bene omnia fecit.* Ergo curât illũ capere in sermone, quod multo facilius est. Verbum volebant capere in

re in verbo, sed Verbum non potest errare in verbo. Nobis tamen hominibus facillimum est delinquere in verbo. Videre namq; est, hominem alioquin probum & justum, qui nullo modo audet perpetrare malum opus, imò id cavet maximè; hic tamen in sermone facilè capitur ac delinquit; dum verba murmuratoria, detractoria, iracunda profert. Hinc S. Iacobus c. 3. *Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero.* Mihi ergo maximè cavendum, ne labar & capiar in verbo. *Nam qui non offendit verbo, hic perfectus est vir.* Iac: 3. *Religa linguam tuam, si vis esse Religiosus; quia sine linguæ religatione, religio vana est.* S. Bernardus

3. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Prov: 1. Non successit Pharisæis, dolosum contra Christum consilium, non poterant eum in sermone capere; *quia non est consilium contra Dominum.* Prov: 21. *qui apprehendit Sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat.* Iob: 5. Igitur ego in simplicitate cordis, cum venerabunda fiducia, proponam Christo quæstiones, ad quas cùm ille mihi respondebit, utiq; illum in sermone capere potero, tum ad gustum placitumq; ipsius, tum ad salutem animæ meæ. *Loquar ergo ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.* Gen: 18. Nonné tu dixisti Domine: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Mat: 9. Ego autem sum peccator, & maximus quidem; id de me, ore pleno confiteor? Cur ergo me non vocas, ita, sicut vocâsti Petrum lapsum, & Matthæum in telonio sedentem, & Magdalenam peccatricem? *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Can: 2. Nonné tu dixisti. Mat: 9. *Non est opus medicus bene habentibus, sed male habentibus.* Agnosco malè habere animam meam, tuam, cælestis medice, opem implorat, quare igitur eam non sanas? quare non liberas ab ejus infirmitatibus? Nonné tu dixisti. *Ioan. 12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahan ad meipsum.* Iam es exaltatus, jam elevatus, in Cruce, credo id firmiter; cur ergo etiam me non trahis ad te? Nonnè tu dixisti. Ioan: 6. *Ego sum Panis vivus, qui de cælo descendi.* Tam sæpè istum panem manduco, quare ergo me non vivificat? quare cor meum ab operibus mortuis

non eliberat? Responde mihi Domine, *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Ps: 50.

FERIA II.

Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, non respicis personas hominum &c.

1. BEne de his Psalmus 61. ait: *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Et Psal: 54. *Molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt jacula.* Sed *Mentita est iniquitas sibi.* Psal: 26. Nam Christum vocant quidem magistrum, quem audiant. Sed non vocant Dominum, cui obediant. E contra verò discipuli, quibus dicitur: Ioan: 13. *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim.* Non solùm audiendus Christus Dominus, sed etiam illi obediendum. Parum est audire doctrinas Christi in Evangelio contentas, si eas ad praxim non reduco, neq; mando executioni. Hæc differentia est, inter ficté confitentes Christũ, & inter sincerè ac fideliter; quia illi aure solùm percipiunt doctrinam ipsius, hi autem etiam corde; illi sistunt in speculatione & contemplatione veritatum, ab illo, dictarum, hi autem ulteriùs progrediuntur ad praxim; illi vocem ejus audiunt, sed ei non obediunt; ideoq; non cõputantur inter ipsius oves, hi autẽ & audiunt & obediunt, ideoq; & Magistrum & Dominum agnoscunt ac profitentur. *Non auditores verbi, sed factores justificabuntur apud Deum.* ad Rom: 2.

2. Dùm improbi conantur opprimere justos, hoc ipso, eos attollunt. *Justus enim ut palma florebit,* Ps: 91. cui quò plus ponderis imponitur, eo altiùs illa assurgit, radicesq; agit profundiùs Iustus tanquam *arbor plantata secùs decursus aquarum;* quæ quò validiùs à ventis agitatur, eò firmius radicatur, ideoq; *fructum dat in tempore suo, nec folium ejus defluit, sed omnia quæcunq; agit prosperantur.* Psal: 1. En Pharisæi conabantur obscurare famam Christi, ejusq; nomen delere, nam eò fine consilium iniêrunt, ut illum caperent in sermone, tum deindè apud populum traducerent, & sic, ab eo, studia populi averterent, imò contra illum concitarent: interim

nomen

nomen Christi illustrârunt, professiq; sunt illum esse Deum. Nam *omnis homo mendax, Ps: 115.* solus autem Deus verax. Cùm ergo Christum appellant veracem, confitentur Deum. *Non contristabit justum, quidquid illi acciderit. Prov: 12.* Etiam adversos casus ad illius utilitatem Deus ordinat. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt.* Ioan: 1.

3. Duas alias perfectiones DEo proprias, his verbis Christo attribuit, fraudulenta Pharisæorum malitia vel invita. *Prima est, viam DEi in veritate docere.* Nam viam naturæ, docuerunt Philosophi, sed multis admixtis erroribus. *Moyses* viam Dei docuit, sed in figura tantùm; quia omnia in figura contingebant illis. Solus Christus viam Dei docuit in veritate; quia *DEum nemo vidit unquam, Ioan: 1.* & ideo nec viam ad eum docere potuit: Sed unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. *Qui de terra est, de terra loquitur: Ioan: 3.* & ideo nullus viam in cælum docere potuit, nisi *qui descendit de cælo. Ioan: 3.* Qui ergo viam Dei docet in veritate simpliciter dicta DEus est. *Altera est, non est tibi cura de aliquo, nec respicis personam hominum. Mat: 22.* Etiam hoc est Dei proprium. Hinc Sapiens c. 6. *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* Acto: 10. *Non est personarum acceptor DEus.* Paulus ad Rom: 2. *Non est personarum acceptio apud Deum. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Ps: 24. *Respice in me & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego.* Psal: 24. *Omnia ossa mea dicent: Quis similis tibi Domine:* Psal: 34. *Quis ut Deus?* Illius ergo solius respectu regulari ac duci debeo, ii proprius Dei esse cupio.

FERIA III.

Licetné censum dare Cæsari? an non? Cognitâ IESVS nequitiâ eorum ait: Quid me tentatis hypocritæ?

1. MAlevolo problema proponenti, quamcunq; partem affirmaveris, ille eam negabit; quamcunq; negaveris, ille eam affirmabit. Quia utraq; problematis pars nititur ratione opinativâ seu probabili, ac proinde ut una contra aliam præva-

leat, debet illi addi pondus ab extrinseco, nimirum ab affectu malevolo proponentis. Proposuerunt Christo quæstionem problematicam Pharisæi: *Licetne vel non licet?* Utraq; pars habebat suam probabilitatem: poterat à Christo in sensu diviso utraq; affirmari, vel etiam negari. Malevolentia proponens exspectat, quidnam Christus respondebit? Nam si affirmasset, illi negativam tenuissent & traduxissent illum apud plebem, quòd vellet eam tributis gravari. Si negâsset, illi affirmativam tenuissent & accusâssent illum apud Magistratum Cæsaris, quòd prohiberet illi tributa solvi. Si detestor in Pharisæis hanc fraudulentam ambiguitatem, multò magis eam debeo in meipso detestari. Meum verbum debet esse, *Est, est, non, non.* Mat: 5. *Os bilingve detestatur Dominus,* Prov: 8. *quia cum simplicibus sermocinatio ejus.* Pro: 3.

2. Per nequitiam hîc antonomasticè intelligitur Dolositas, pulchris & adulatoriis verbis, tecta; nam, ut ait *S. Gregorius, Simulata pietas est duplex iniquitas.* Sed quomodo Christus latentem in corde Pharisæorum nequitiam cognovit? Non ex illorum relatione, sed ex cordium penetratione. *Oculi enim Domini sunt multò lucidiores sole.* Eccl: 23. Absconde te, prout potes & vis, corá oculis hominum, cela coram illis, tua peccata, tege fraudes ac dolos, sed coram oculis Dei nunquam illa abscondes; nam *omnia sunt illis nuda & aperta.* Hebr: 4. Hos ergo solos oculos time, ne illis displiceas; hos oculos revereare, ut illis placeas. *Mihi autem pro minimo est,* (ait Apostolus 1. Cor: 4.) *ut à vobis judicer, aut ab humano die. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, quia qui judicat me, Dominus est. Dirige Domine DEus meus in conspectu tuo viam meam.* Ps: 5. *Non ultima laus est Principibus placuisse viris; sed prima, Tonanti.*

3. Quod olim Christus tentantibus Pharisæis dixit semel: *Quid me tentatis hypocritæ?* hoc modò multis dicit. Inprimis iis, qui, cùm sint revera mali, tamen se ostentant pro bonis, cùm sint *sepulchra* intùs plena spurcitiis, tamen foris apparent *dealbata.* Matt: 23. Deinde iis, qui petunt à Deo res suæ saluti nocituras, & ægrè ferunt, si non impetrent illas. Tandem iis, qui abutuntur patientiâ Dei, & locò pœnitentiæ, quam deberent agere, prolongant iniquitates suas, *thezaurizando sibi iram in die iræ.* Rom: 2.

Deniq;

Deniq; illis, qui multùm præsumendo de se, ac viribus suæ sanctitatis fidentes ingerunt se in occasiones peccandi, quasi jam essent securi ac certi de sua salute. Ad extremum illis, qui suas nequitias palliant prætextu sanctitatis; qui alios se venditant foris quàm sint intus; oculos hominum formidant, Divinos autem haud metuunt; in faciem adulantur proximo, & clàm de illo pessimè loquuntur. Quantùm cavere debeo, ab hoc verbo Christi aspero?

FERIA IV.

Ostendite mihi numisma censûs?

1. ANima humana est numisma census, quod ex Omnipotenti manu DEi, tanquam ex officina prodiit: hinc etiam in ærarium DEi redire debet. Numismatis hujus materia est valde pretiosa; nam dignitas animæ humanæ, præcellit omnem creaturam corpoream, ita, ut anima una sit pretiosior, quàm omnia regna mundi, quàm omne aurum & argentum. Hinc *S. Augustinus* ait: *Si infiniti essent mundi, adhuc una anima esset pretiosior; nam Christus pro infinitis mundis, ne unicam sanguinis guttam effudisset, at propter animam, totum sanguinem profudit.* Custodienda hæc numismata, tanquam thesauros inæstimabiles commisit DEus fidis aulæ suæ administris, Sanctis Angelis, illorumq; fidei & vigilantiæ eos concredidit. Veniet autem tempus, quando Deus dicet his Custodibus: *Ostendite mihi numisma censûs, Mat: 22.* utrum sit integrum, an verò accisum ac diminutum? utrum sit verum, genuinum, an verò falsificatum, adulterinum? utrum ærario meo debeat ad servandum inferri? an verò igni æterno ad comburendum tradi, vel flammis purgatorii ad abstergendam scoriam deputari? In quanto tunc eris timore ô anima mea; quando de te, tale instituetur scrutinium? O *Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum, pietate superna, ita me nunc custodi, rege, & guberna, ne erubescas de tuo depósito, sed lætèris & gaudeas una cum illo.*

2. Etiam opera mea quotidiana, sunt numismata censûs, quæ spectant ad ærarium Dei; nam omnia debent cedere ipsius gloriæ & honori. Nulla enim actio humana datur, quæ ita sit à parte rei

te rei indifferens, ut neq; sit honesta, neq; inhonesta; cùm omnis actio humana, aut est conformis rectæ rationi, aut difformis. Si conformis, jam est honesta, & pertinet ad ærarium Dei, ita ut illi inferatur. Si difformis, non est honesta, & jam non spectat proximè ad thesaurum Dei, estò ex primæva origine debuisset ad illum pertinere. Quando ergo Examen Conscientiæ instituo, vel ad confessionem me præparo, debeo convocare omnes potentias animæ & corporis, & ab illis exigere: *Ostendite mihi numisma census. Mat: 22.* Potentia intellectiva, ostende tuas cogitationes, qualesnam fuerunt, de qualibus objectis? Volitiva ostende tuas intentiones, studia, desideria, quò ferebantur? quid intendebant? cujus rei gratiâ laborabant. Potentia visiva, locutiva, ostendite vestras operationes, vestra numismata, num valebunt pro censu persolvendo ad ærarium Dei? *Si nosipsos quotidie ita judicaremus, non utiq; judicaremur. 2. Cor: 11.* Quàm securus essem in judicio Dei, de operibus meis, si quotidie illa sic inspicerem, rimarer, expenderem, ponderarem. Siquidem studerem quotidie ab his numismatibus expurgare scoriam, ferruginem abstergere, quod diminutum est, addere &c.

3. Dum ad me veniunt tentationes, carnis, mundi, diaboli, & suggerunt mihi ac suadent aliquid faciendum, debeo illis oggerere: *Ostendite mihi numisma census; Mat: 22.* quid fructûs? quid utilitatis? quid emolumenti inde capiam? Mel mihi propinatis, nonné sub isto melle, mortiferum latet venenum? Ostenditis mihi quod delectat, & occultatis, quod cruciat. *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.* Datis mihi modicam oblectationem, & privare me vultis sempiterno gaudio. Quàm vili, quàm falso pretio, vultis apud me emere animam! Illa apud Deum est inæstimabilis pretii, quia pro illa Filius Dei, dedit quidquid habuit pretiosissimum sanguinem, vitam, animam suam; vos autem pro illa offertis mihi ludicras vanitates & insanias falsas. Recedite à me pessimi negotiatores.

FERIA V.

Cujus est imago hæc & superscriptio?

1. Si-

1. Sicut Reges terræ in minoribus monetis, argenteis vel cupreis, insignia sua duntaxat exprimunt; jam verò in monetis aureis magnis, effigiem sûi ponunt; ita Rex ille universi Deus, in creaturis inferioribus, vestigium sûi duntaxat posuit, in homine autem imaginem suam expressit; juxta illud *Gen: 2. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Licèt enim omnis Creatura assimiletur Deo, tamen ad rationem imaginis, non sufficit quævis similitudo, sed requiritur similitudo secundùm esse ultimum rei & propriissimum. Quædam ergo assimilantur Deo in esse, quod est quid communissimum; quædam verò in vita, ut bestiæ, volucres; quædam autem in intellectu, ita sunt similitudine, Deo, proxima, ut in creaturis, nihil sit propinquius. *Atq; talis est Angelus, talis etiam Homo. Ah nolo hanc imaginem deturpare, & assimilare bestiis.*

2. Sicut in corporalibus imago rei dicitur, non quælibet similitudo manûs aut pedis; sic enim vestigium hominis appellares ejus imaginem, sed similitudo vultûs & faciei; ita illa creatura dicitur imago Dei, quæ est similitudo vultûs Dei. In Deo verò non sunt humana membra, nisi per metaphoram: unde vultus Dei metaphoricè accipiendus est pro intellectu & voluntate. Sicut ergo in facie hominis, magis elucet sensus & virtus animæ; ibi enim anima, videt, audit, loquitur, gustat, olfacit; ita in Divino intellectu & voluntate maximè cognoscitur virtus & energia Divina; dum *intellectu Pater generat Verbum, & voluntate Pater ac Verbum producit Spirtum S.* Ideo homo, qui intellectu & voluntate, hoc refert ac repræsentat, dicitur *Imago Dei*; quia illud repræsentat, quod in Deo est veluti facies. Hinc Psaltes. *Ps:4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; id est imago, quâ vultûs & facies tua representatur. Honorâsti me Domine præ omnibus creaturis. cur ergo ita non honorem te.

3. Ideo etiam Homo quòad animam dicitur *Imago Dei.* Quia sicut Deus est in seipso liber, quòad omnia entia ad extra; nam liberè ea producit, liberè conservat, liberé ad earum operationes concurrit, ideoq; est Dominus universi, ita, ut de illo pro suo placito possit disponere, producendo illud, conservando, corrumpendo, annihilando; ita homo est liberi arbitrii, & do-

minus inprimis sūi, actuumq; suorum, ita, ut ei liberum sit velle aut nolle, amare aut odisse, prosequi vel fugere, agere vel non agere. Deinde est Dominus universi; nam Deus *omnia subjecit sub pedibus ejus. Ps: 8.* Hoc autem sūi ipsius dominium, est longè nobilius & excellentius, dominio omnium aliarum creaturarū; nam hoc fundatur in illo tanquam in basi & fundamento; atq; hoc oritur ex illo tanquam ex radice & principio exigitivo. Et hoc Deus ostendit in creatione hominis, cum dixit: Gen: 2. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit volatilibus cæli, & bestiis terræ*: id est, faciamus hominem, veluti alterum in mundo Deum, ut sit Dominus omnium. Quomodo hìc non exclamandum: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut Filius hominis,* Ps: 8. *quia apponis erga illum cor tuum.* Iob: 7. *Glorià & honore coronàsti eum, & constituisti eum super omnia opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus &c.* Ps: 8.

FERIA VI.

Cujus est Imago hæc & superscriptio? dicunt ei: Cæsaris.

I. EXpende, quare homo conditus est ad imaginem Dei? II. Ut haberet in seipso, unde in cognitionem sui creatoris & opificis posset faciliùs devenire. Ne enim istam notitiam extra se quærere cogeretur, posuit in ipso Deus pulcherrimam sūi imaginem, quæ in eo quasi in speculo reluceret, & ipsum exemplar, scilicet Creatorem Deum repræsentaret longè expressiùs; quàm omnes aliæ creaturæ; siquidem in illis vestigium tantùm DEi aliquod cernitur; nam vel participant esse Divinum, sed non plus, cujusmodi sunt Elementa, lapides, mineralia; vel etiam vivere Divinum tantùm, cujusmodi sunt arbores, animalia, volucres; homo autem & hoc participat, & quid plus. Scilicet intelligere, velle, amare, odisse &c. Sicut ergo vestigium relictum ab homine, non perfectè repræsentat hominem, sed solùm aliquomodo ducit in cognitionem hominis; jam autem imago hominis perfectè elaborata, facilè ingerit notitiam ejus; ita homo

homo longè faciliùs ducit in notitiam Dei, tanquam sui Creatoris, quàm omnes aliæ creaturæ corporeæ; cum hæ sint vestigium, homo autem sit imago Dei.

2. Deinde ideo homo est conditus ad imaginem DEi, ut omnes res creatæ, revererentur hominẽ, tanquam *Universi Rectorem*: & ne cæli ac sidera homini inservire, aut etiam Angeli ministrare dedignarentur. Deniq; ne dæmones hominem lædere, nevé propter hominis rebellionem, auderent omnes creaturæ insurgere in eum, in quo, imaginem Dei expressam cernerent. Nam si istam imaginem auferas ab homine, jam homo superabitur præstantiâ naturæ ab Angelis, pulchritudine à stellis, gemmis, liliis agri, durabilitate à cælis, robore à leone, corporis vastitate ab Elephante, visu à lynce, olfactu à cane, auditu ab apro, concentu musico ab aviculis, &c. Unde ratione harum dotum, nullæ creaturæ observarent ac revererentur, hominem, siquidem illum longé excederent.

3. Tandem ideo homo conditus est ad imaginem Dei. Tum, ut inteligeret se esse quid proprium & peculiare DEi, quod ipsi propriè debeatur. Nam estò Deus omnia homini donaverit & subjecerit, ipsum tamen hominem voluit esse divini juris & possessionis; unde illum sigillo suæ imaginis communivit: quomodo res chariſſimæ, & peculiariter custodiendæ, proprio sigillo notantur, ne à quopiam attrectentur. Tum ut esset, cum quo Deus ageret familiariter, & se quasi recrearet, sicut enim, quia nullum animal Adamo simile inveniebatur, cum quo, amicitiam & familiaritatem contraheret, creavit Deus Evam ei similem, & vitæ sociam, quâ visâ lætabundus exclamavit: *Hoc nunc os ex ossibus meis. Gen:* 2. ita Deus creatis rebus irrationalibus; quia nulla ex ipsis erat illi similis, cum qua familiariter agere posset, creavit tandem hominem, ut esset quem amaret, & à quo viciſſim amaretur amore amicitiæ. O amor! ô bonitas! quis non amet te? *Qui non amat D. Deum nostrum anathema sit?* 1. Cor. 16.

SABBATO.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

1. NOn cessit Christus D. verbis Pharisæorum adulatoriis; non permisit se decipi à blandiloquis eorum sermonibus; rejecit linguas oleo & butyro molliores, iuxta illud Psal. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Adulationes quippè hominum ideo dicuntur impinguare caput, quia illud reddunt pingve & obtusum ad cognitionem sui, & discernendam veritatem à falso. Nam ea, quæ homines audiunt ab assentatoribus, facilè sibi persvadent, nec ferunt rectum de rebus judicium. Verum ac rectum, Christus D. de præsenti negotio, tulit judicium, decernendo, debere reddi DEo, quod est Dei; & mundo, quod est mundi. Implevit illud sapientis monitum: *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis.* Prov. 1. Verba deceptoria sunt lac, si propinentur *Sisaræ* facilè illo sopietur, & tempora ejus perforabuntur *Iudic. 4.* Sunt Fistula dulcè canens, si volucris illa auscultet, facilè ab aucupe decipietur & capietur. Evasit Christus istos laqueos, pro veritate decidit, mediâ viâ ivit, tanquam æquissimus justitiæ arbiter. Nam de illo dictum: *Cadent à latere tuo mille, & 10. millia à dexteris tuis. Ps. 90*

2. Ex hac decisione Christi colligitur, dividendas esse cum Deo cogitationes cordis; quæ licet parvi pendantur, maximi tamen sunt æstimandæ, utpotè fœtus nobilissimorũ Parentum, scilicet intellectus & voluntatis; ideoq; à Deo magnopere desiderantur, ut circa ipsum versentur, non verò circa objecta vana & secularia. Hinc dicit cuivis animæ justæ: *Pone me ut signaculum supra cor tuum,* Cant: 8. quasi diceret: Cura, ut mei semper memineris, ac de me semper cogites. Deinde dividendi sunt cum Deo sermones; nam hoc est æquissimum; si enim Deum sincerè amamus, cordeq; gerimus, libenter etiam de ipso loquemur, & audiemus; nam *ex abundantia cordis, os loquitur. Matt: 12.* Ut taceam quotidiana Dei beneficia, quæ meritò extollere per gratiarũ actio-

actionem debemus. Tandem dividenda sunt cum Deo, studia, labores, industriæ nostræ. Toti subinde velut formicæ discurrimus, incumbentes ad parandum victum, vestitum, ad nundinas, ad opificia. Saltem ergo hæc dividamus cum DEo, & pars detur mundo ad sustentationem corporis, pars DEo, ad sustentationem animæ. *Nulla dies transeat sine linea. Particula bonæ diei non nos prætereat.* Eccl. 14.

3. Ut census operum nostrorum securo possit inferri ærario Dei, non aliud stemma debent illa numismata referre, nisi Divinum! non aliam imaginem, nisi DEi; non aliam inscriptionem, nisi *Ad majorem Dei gloriam.* Nam si referant imaginem ursi iracundi, vulpis astutæ, leonis crudelis, canis impudici, asini acediosi, non Deo, sed diabolo, hic census cedere debebit. Tot enim tributa, unusquisq; solvit dæmoni, quot peccata committit. Nam etiam dæmon posuit sua telonia in sensibus nostris, in oculis curiositatem, in auribus pruritum ad nova, in lingua garrulitatem, in ore gulam &c. Solvunt ergò sensus nostri, dæmoni suum vectigal, cùm eliciunt actus, legi Divinæ, difformes, & à mente DEi, alienas actiones.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Ecce Princeps unus accessit, & adorabat eum dicens: Domine filia mea modò defuncta est. Lucæ 8.

1. TRia genera mortuorum Christus suscitavit; inprimis *Filium viduæ*, ad portam civitatis *Naim Lucæ* 7. Deinde *Lazarum*, 4. jam diebus in monumento jacentem. *Ioã: 11.* Tandem hanc Filiam Principis *Archisynagogi. Lucæ 8.* Pro hac sola, ut suscitetur, fit supplex instantia; pro aliis autem non. Respondet *Emissenus* & causam assignat. Quia hæc puella significabat Peccatorem adhuc domi inclusum, occultum, non patentem oculis hominum, nondum longâ consuetudine inveteratum; jam verò *Adolescens* & *Lazarus* adumbrant Peccatorem manifestè delinquentem, multo jam usu obduratum, fætore suorum vitiorum

rum alios inficientem. Pro Filia ergo deprecatur Christum Pater, pro aliis autem mortuis nulla fit deprecatio; quia peccata publica & scandalosa maximè irritant justitiam Divinam, ita, ut pro illis condonandis non audeant Sancti Deum interpellare, sed quasi tacitè exspectant, quidnam Deus pro sua misericordia, vel justitia faciet? Et si talium etiam peccatorum misereatur, attoniti obstupescunt ad tantum clementiæ ipsius prodigium! *Obstupescite cæli, & portæ ejus desolamini vehementer, (Ierem: 2.)* admirando misericordias Domini, quas hucusq; super me exercuit!

2. Mors sicut nulli hominum conditioni, ita neq; ætati parcit. Puella hæc erat nobilis, quia filia Principis, & consequenter fuit dives, delicata, magnæ spei; insuper fuit floridæ ætatis, & tamen defuncta est. Si priùs Pater ipsius & mater obiisset, utcunq; esset tolerabile; sed ante illos, in oculis illorum, rapta est filiola; quia mors non attendit ordini. Arbitria & vota hominum priùs expediunt in alterum mundum senes; sed decreta Dei aliter plerumq; res ordinant. Unde nec ego possum mihi diuturnam promittere vitam; debeo paratus esse quotidie ad hinc migrandum. Si me juniores præcesserunt, qui tamen longos forté sibi annos pollicebantur, aliiq; diu illos victuros sperabant; quid mihi ætate jam provecto quotidie sperandum? Domine *in manibus tuis sortes meæ.* Ps: 30. Dispone de me pròût tibi placet. Si vides, vitam meam temporalem servituram Gloriæ tuæ, adhuc filum illius protrahe; si autem vides, me aliquando tuam majestatem graviùs offensurum, etiam hodie illud abrumpe; dummodò in gratia tua, quam ego mille vitis antepono.

3. Quare hic Princeps, vivente adhuc Filiâ, non venit ad Dominum, rogando pro sanitate ejus? Sed post obitum usq; Puellæ, hoc facit? Exprimit miseriam nostram, qui tamdiu Deum non quærimus, nec ad illum accedimus, quamdiu nobis humana suppetunt auxilia. Quamdiu *Archisynagogus*, in arte medica habebat fiduciam, quamdiu fidebat pecuniis, quòd illis apud medicos, empturus ac evicturus esset vitam filiæ, tamdiu Dei oblivisebatur; at verò ubi omnia humana defuerunt subsidia, tunc primum recurrit ad Dominum, ac Divinam ipsius clementiam

exorat.

exorat. Domine tu es *Alpha* & *Omega*, tu es *primus & novissimus Apoc: 1.* auxiliator meus; tu es *primum principium, & ultimum vitæ meæ Resolutorium.*

FERIA II.

Filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.

1. HÆc defuncta Principis Filia, unica erat Patri suo, proinde magnam illius curam gerit. Quivis etiam homo, habet dilectam & unicam Filiam, scilicet animam suam. Dilectam quidem; nam *quam dabit homo commutationem pro anima sua.* Mat:16. Unicam verò quia unam duntaxat habet animam. Alia, nobis duplicia donavit Deus; duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes. Si unum horum lædatur, vel amittatur, per alterum, necessitati nostræ consulimus ac subvenimvs; Animam verò unam tantùm dedit nobis; si hanc perdiderimus, quonam vivemus? *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis, unicam meam.* Ps: 21. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitet in domo Dei mei: Ps: 26.* Frustra sum solicitus & turbor erga plurima, *Porrò unũ est necessariũ; Lu:10.* salꝙ animæ meæ. uni Deo, una anima.

2. Laudanda est in hoc prudentia hujus Principis, quòd ubi ei defuncta est Filia, statim & nulla interpositâ morâ, contulit se ad Christum, exponendo illi, suam miseriam ac necessitatem. Non distulit, donec è domo efferretur, vel conderetur tumulo, sed in flagranti opem Christi imploravit. Utinam ab illo, hanc ediscam prudentiam! ut cùm per peccatum lapsus fuero, non *differam de die in diem, (Eccl: 5.)* meam ad Deum conversionem. Nam dilatio reddit remedium difficilius. Candela extincta, quò citiùs admovetur igni, eò celeriùs reaccenditur. Quò longiùs ovis errans, ab ovili abit, eò magìs errat, & difficiliùs recuperatur. Vulneri inflicto, si emplastrum applicetur in recenti, facilius curatur.

3. Cur Archisynagogus non petit, ut ei Christus resuscitet Filiam, & à mortuis resurgere faciat, sed solùm, ut ei manum imponat?

ponat? Recolebat bene, quòd Deus initio mundi, manibus propriis hominem efformâsset, *Manus tuæ fecerunt me Iob: 10.* Ergo si manus Divina hominem è nihilo adeò pulchram affinxit imaginem Dei, sperabat fore, ut eadem manus, eundem hominem à morte destructum, redintegraret, ac in pristinam restitueret salutem. Noverat hic Princeps, carnem Christi habere vivificam vim ac spiritum vitæ; postulat ergo, ut filiam suam tangat, certus, quòd ex tactu illius Sanctissimæ carnis, spontè Filia hauriet vitam. Nec postulat expressè, ut Filiam suam resuscitet, quamvis hoc intendebat, quod valdè magnum erat, sed tantùm, ut ei imponat manum, quod parum videri poterat. Sic enim faciunt homines, qui dum magna & sublimia postulant, tamen ut facilius impetrent petita, solent ea deprimere, & tanquam parva elevare. Sic *Loth* Angelis dixit Gen: 18. *Est civitas hic parva, & salvabor in ea.* Domine Deus, mihi quidem parva conveniunt, immo nulla debentur dona tua, sed te magna decent; Quæ quamvis petiêro, respectu tûi adhuc sunt parva.

FERIA III.

Et surgens IESVS sequebatur eum. Et cùm venisset in domum Principis, vidit tibicines & turbam tumultuantem &c.

1. Quare Christus Dominus, estò fuisset rogatus, tamen non ivit in domum *Reguli*, sed eum increpavit; in domum verò *Archisynagogi* statim abiit, nec eum reprehendit; Ratio est: Quia *Archisynagogus Iairus*, in multis, *Regulo* præcelluit. Nam ille multò majorem habuit humilitatem & reverentiam erga Christum; siquidem, teste Lucâ, adorabat eum, & cecidit ad pedes ejus; deinde longè intensiorem ac ferventiorem fecit, ad Christum, orationem, ùt exprimit Marcus: c. 5. *Deprecabatur eum multùm.* Tandem longè majorem habuit fidem & fiduciam; siquidem credebat & confidebat, mortuam filiam posse à Christo suscitari. Et quamvis ille *Archisynagogus* habuerit aliquem in fide defectum, tamen illum noluit Christus patenter redarguere, sed postulato

postulato ejus annuens dissimulat, cum ipsoq; pergit in domum, adjuvans eum ad fidem perfectam. Sicut enim non invenitur aurum sine scoria, & triticum sine palea, & ignis absq; fumo; ita bonum nostrum opus, sine admisto defectu.

2. Auditâ morte Puellæ, statim & absq; ulla dilatione, Christus ad eam tendit; jam verò auditâ morte *Lazari*, antequam ad illum pergeret, duobus diebus moratur; cùm tamen Lazarum valde diligeret. *Ioan: 11.* Moratur, ut ostenderet, quàm ægrè ac difficulter vitam istam, & bona temporalia dilectis suis impertiatur; novit enim, quòd bona temporalia, magno sint impedimento, justis, ad obtinendas Christianas virtutes: quòd oblivionem Dei & salutis æternæ inducant: quòd sint laqueus & decipula, quâ multi ita capiuntur, ut se ab illa expedire & ad Deum cor elevare vix possint. Defectus autem rerum temporalium, multis oculos aperit, ut se, suamq; miseriam cognoscant, recurrant ad Deum, ad bona æterna seriò aspirent. Hinc plerumq; Infideles & reprobi, bonis secularibus abundant; fideles autem & prædestinati, vel iis carent, vel mediocriter ea possident. Quia illi habent hic ad tempus, suam felicitatem, pro aliquibus bonis operibus naturalibus; hi autem servantur ad beatitudinem futuram, duraturam in æternum. *Iustus es Domine & rectum judicium tuum. Ps: 118.* Licèt enim non æquali lance, bona tua distribuas, nemini tamen injuriam facis; quia omnibus gratiam præstas, dando ea omnibus, quæ nulli debes. *Dominus universi tu es. Quis dicet tibi: Cur ita facis?* Iob: 11.

3. Quid sibi volunt hi tibicines? quid hæc turba tumultuans? Domus illa, in quam IESUS advenerat, fuit domus Principis. Adsunt ergo tibicines, ut cantu suo temperent luctum & leniant dolorem Parentum, ex obitu filiæ unicæ, perceptum. Adest insuper turba, ut variis argumentis excutiat, è pectore Parentum, acerbum dolorem, feratq; illis opportuna solatia Sed misera satis, & brevia solatia! nisi ea IESUS benefico prodigio cumulâsset! Hæc differentia est, inter mundanos, ac studiis secularibus deditos, & inter probos pietatiq; sincerè addictos mortales; quòd illi in sua tribulatione recurrant ad res temporales ac terrenas, & ab iis mendicent solatia; hi autem recurrunt ad

Deum, & ab eo petunt auxilium, ut illam afflictionem, quam immisit, vel tollat, vel in bonum convertat. Faciunt hoc ex imitatione Christi, qui in horto *Getsemani*, in suo mærore ad Patrem recurrit, rogans: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. *Matt. 26.* Faciunt è mente *S. Iacobi* monentis: *Tristatur aliquis vestrûm, oret.* Iacob: 5.

FERIA IV.

Recedite. Non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.

1. ANtequam Christus puellã excitavit à mortuis, jussit ejici tibicines, & turbam tumultuantem. Tum ut ostenderet, solatia Divina esse incompossibilia cum terrenis; nemo enim potest, & mentem spiritualibus, & ventrem corporalibus deliciis satiare. Necesse est, alterutrum horum abesse; aut mundi oblectamenta sectari, sed cælestibus privari; aut cælestibus vacare, & mundanas recreationes respuere. Tum quia indignos se reddiderant illi spectatores, qui prodigiosũ illud Resuscitationis mysterium viderent, utpotè, qui Christum irriserant, locò submissæ venerationis, quam tanto hospiti exhibere debuerant. Quoties ego peccatis meis obicẽ pono bonitati Divinæ, ne, in me copiosa gratiæ suæ dona effundat: quæ procertò effudissет, nisi me indignum illorum perceptione reddidissem. Tum quia rari admittuntur ad magnalia Dei videnda; Me tamen ad illa non solùm videnda, sed etiam tractanda, & fruitione, percipienda, licèt undequaq; indignissimum admisit bonus Deus. Tum ob modestiam, ut omnem ostentationis notam evaderet; docens nos, quòd laudes humanæ, vim meriti evacuent, oculiq; hominũ, coram quibus bonum opus fit, virtutem lædant. *Nesciat sinistra quid faciat dextra. Matt: 6. Pater cælestis, qui videt in abscondito, reddet tibi. Matt: 6. Cùm facis eleemosynam, noli tubà canere; Matt: 6.* alioquin mercedem temporalem recipies, æternâ carebis.

2. Mors justi appellatur à Christo Domino somnus: *Non est mortua puella sed dormit.* Et. *Lazarus amicus noster dormit.* Ioan: 11.

Et

Et Psal: 126. *Cùm dederit dilectis suis somnum.* Quia sicut somnus datur à natura, ut homo quiescat, tum resumptis viribus surgat, & fortiùs operetur; sic mors justi tendit in Resurrectionem, cum virtute & incorruptione & gloria. Licet enim videas modò corpus corrumpi ac deformari, ne timeas; non enim propterea deperditur. Sicut enim cùm vides, linteum tuum à pictore colore nigro liniri, ais: Perdis linteum; sed pictor ait: Imò hoc est initium pulchræ imaginis, in eo, depingendæ; ita cùm Deus corpus per mortem corrumpit, vult in eo, glorioſam apparere figuram: quamvis nunc videatur deturpari. Deinde sicut somnus est laboranti dulcis, sive parùm, sive multùm comedat; ita mors ei, qui in vinea & obsequio Dei laboravit, sive pauper fuerit, sive dives. *Beati qui in Domino moriuntur, amodò jam dicit Spiritus ut requiescant à laboribus suis. Apoc: 14.* Mors apparet, tanquam ferox leo, sed non est timendus; quia mel in ore ipsius invenitur. *Ind: 14.* Ante Christum mors erat ut mors, sed post Christum est dulcis transitus ad æternam viam. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, donec ascendam ad populum accinctum nostrum.* Habacuc 3.

3. Vir studiosus virtutis, qui per fragilitatem vel per ignorantiam, in mortale peccatum prolabitur, moritur quidem in anima; nam ejus vitam amittit, scilicet Gratiam Sanctificantem; sed mors ejus potest dici *Somnus*; siquidem facilè adjuvante Deo excitatur ab illo lethargo, citò resurgit, & opera vitæ æternæ meritoria exercet. Ita *Petrus*, cùm Christum ex fragilitate ac metu negavit, obdormivit, sed aspectu Christi protinus est excitatus, atq; foràs egressus tum è domo Pontificis, tum maximè è peccato, flevit amare. *Mat: 26.* Et prudentes virgines, unà cum fatuis obdormiverunt, sed ubi clamor insonuit: *Mat: 25. Ecce Sponsus venit, exite obviam ei,* excitatæ sunt ad vigilem solertemq; prudentiam, ut unà cum Sponso meruerint intrare ad nuptias. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Eph: 5. *Hora est jam nos de somno surgere. Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus opera tenebrarum.* Rom: 13.

FERIA V.

Tenuit manum ejus, & surrexit puella. Et exiit fama hæc in universam terram illam.

1. Duo opposita in præsenti Evangelio evenerunt. *Hemoröissa* non audet manus, vel etiam pedes Christi attingere, cõtenta est, quòd fimbriam vestimenti ejus attigerit; jam autem hujus puellæ manum Christus apprehendit ac tenuit. Dando nobis insigne exemplum circumspectæ in conversando cum mulieribus cautelæ. Illa mulier, estò fuerit infirma, & morbis fracta, tamen adhuc vivebat, non fuit cadaver frigidum & informe, ideo Dominus etiam tangi se ab illa haud permisit; hæc autem siquidem fuit jam mortua, jam cadaver, apprehendit Christus manum ipsius, idq; in præsentia Parentum spectantium, in conspectu discipulorum sociorum suorum, exigente, id, gravi necessitate Documentum hic viris Ecclesiasticis & spiritualibus personis relictum, quod illis non liceat manum etiam mulieris tangere, nisi fortè post mortem, cùm jam est cadaver, idq; in præsentia aliorum, & ex justa causa. Nam tactus mulieris scintilla est cadens in fomitem, ex quo facilè concipitur ignis concupiscentiæ, exardescens in flammam libidinis, & fumum infamiæ ac fætorem mali exempli relinquens.

2. Volebat Christus, ut illa Puella suscitata à mortuis, statim se erigeret, surgeret, ambularet, aliaq; vitæ opera exerceret; unde illi manum porrexit, quã etiam manum ejus tenuit: nec frustra. *Surrexit Puella,* & Parentes ac totam illorum Domum lætificavit, poteratq; illud Psalmi dicere: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. Psal. 117.* Ut homo, in peccatum, lapsus erigat sese, ut exerceat opera æternæ vitæ meritoria, necesse est, ut illi Deus porrigat specialis auxilii manum; alioquin ab ea desertus, jacebit cadaver, *& computrescet in stercore suo. Ioël 1.* Potest quidem homo, se solo cadere & labi, sed surgere, & aliquid boni pro vita æterna operari, sine peculiari manûs Divinæ subsido haud

potest.

potest. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.* Psal: 143. *Illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua,* Ps: 138. *Operi manuum tuarum porrige dexteram.* Iob: 14. *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me* Iob: 10. ergo eædem restaurent me.

3. Injunxerat quidem Christus Parentibus Puellæ, ne illud miraculum, in occulto, factum publicarent, illi tamen hoc non curârunt; *nam exiit fama hæc in universam terram illam.* Non enim illos vinculo peccati obstrinxerat; quia illa intimatio non tam erat præceptum, quàm humilitatis documentum, quo se Christus ostendebat ab omni specie inanis gloriæ & ostentationis, longé esse alienum. Quò magis aliquis per humilitatem sese occultat, eò magis publicatur & proditur; quia non sinit Deus *lucernam accensam sub modio abscondi, sed ponit eam supra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Mat: 5. Ita Filium Dei jacentem in præsepio, produnt canentes Angeli; *Lucæ 2.* Ita *M. Antonium* in profunda Eremo latentem, fama sanctitatis, aulæ Imperatoris annuntiat. Ita *S. Ignatium* Venetiis in platea, sub frigido Iove, in Saxis decumbentem, vox è cælo delapsa, Senatori publicat. Generosum vinum, etiam per rimas erumpens, energiam suam exerit. Adamas etiam sub scamno fulget. Lucerna melius in tenebris lucet. Domine si me vis esse in lumine, sis benedictus. Si etiam vis me esse in tenebris, sis iterum benedictus. *Humiliabor sub potenti manu tua, & tu me exaltabis in tempore visitationis.* 1. Petr: 5.

FERIA VI.

Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur 12. annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.

1. Quamdiu hæc mulier, prosperâ utebatur valetudine, tamdiu eam flocci faciebat: Sicut solent communiter alii homines. Nullas, pro ea, Deo agebat gratias; non curabat eâ conservare, sed variè distemperabat. Postquam verò illam amisit, tunc primùm eam cæpit æstimare, tantoq; illius accendi desiderio, ut in ejus recuperationem, omnes facultates profuderit. Cumq; hæ non profuissent, cucurrit ad medicum cælestem, licèt

cum magna resolutione & reverentia. *Non agnoscitur bonum nisi amissum.* Quantas ego quotidie debeo persolvere DEo gratias, pro constanti sanitate corporis! sed quanto majori in pretio, debeo gerere spiritualem animæ sanitatem! En à multis annis, gravi premor peccatorum infirmitate! *A planta pedis usq; ad verticem capitis non est in me sanitas*: *Isaiæ 1.* nulla in me est potentia immunis à vitio: Cur ergo ad recuperandam istam sanitatem, totis non incumbo viribus? Cur omnes facultates non impendo? Sed quamvis impendero, quid hæc mihi conferent, absq; tuo, cælestis medice, studio? Ad te igitur cum omni reverentia & fiducia recurro; tibi infirmitates meas revelo; Tu *miserere mei.*

2. Multa nobis eveniunt, quæ nos arbitramur incommoda & infausta, cùm tamen sint magna commoda & valde prospera; quia sunt occasio salutis æternæ. Quis non diceret, grande fuisse infortunium illius mulieris? quòd estò totas facultates erogaverit, tamen per medicinas morbum depellere, & sanitatem recuperare non potuerit? Nihilominus hoc ipsum valde illi profuit; nam apud Christum, cælestem medicum, debuit illam corporis sanitatem quærere, illam autem quærendo, & hanc, & insuper salutem animæ, apud ipsum obtinuit. Agit Gratias Deo, *S. Augustinus* in suis confessionibus, quòd dum ea, quæ sunt mundi, sectaretur, nihil ei succederet ex voto, ut sic eum à mundo revocaret. Grave sibi incommodum putabat inferri *Balàám*, quod asina sua declinaret à via, nec posset eam in semitam reducere; sed postea sibi ostensum est, inde sibi vitam fuisse conservatam: nisi enim asina à via declinâsset, Angelus eum occidisset. *Nũ: 22.* Dum ergo *à Domino corripimur*; *1. Cor: 11.* non est animo deficiendum, sed sperandum in Deo, quòd ille ex tentatione faciet proventum; nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom: 8.* Quæ putamus esse mala, in re sunt bona; nam ad ultimum vitæ æternæ, finem, conducentia.

3. Magnarum virtutum actus, exercuit hæc mulier, tali ad Christum accessu & attactu. Primò quidem *Vivæ fidei*; credebat enim, se, facilè pristinam sanitatem, recuperaturam, si non pedes ejus, non manus, sed fimbriam vestimenti attigisset: putabat quippè, etiam vestibus ejus, Divinam quandam virtutem inesse,

miraculorum patrativam, longè majorem, quàm olim erat in *Pallio Eliæ, 4 Reg: 2.* vel sudario *Pauli. Act: 19.* Deinde profundæ *Humilitatis*; nam retrò accessit, quia putabat se esse indignam oculis & aspectu Christi, tanquam immundam, & omnium miserrimam. Tandem *Religionis reverentialis*, ex qua se usq; ad terram demisit. Quid verò sunt species panis & vini Sacramentales, quæ in Eucharistia tegunt Christum, nisi fimbria vestimenti ejus? Siquidem illam Christus in extremo, vitæ suæ articulo instituit. Si ergo spiritualem animæ meæ sanitatem recuperare desidero, cùm simili virtutum exercitio sumenda mihi est Eucharistia. Quam enim de ipso corpore non potero sumere medicinam, quando mulier totam accepit de sola Christi fimbria sanitatem?

SABBATO

At IESVS conversus & videns eam dixit: Confide Filia, Fides tua te salvam fecit.

1. NEminem Deus libentiori oculo intuetur, quàm illum, qui seipsum despicit & humiliat; hoc enim est amabilissimum oculorum ipsius objectum. Hinc de se, Deipara ait: *Respexit humilitatem ancillæ suæ; ideo fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Luc: 1. En illa mulier reputabat se indignam oculo Christi, ob suam corporalem immunditiam, ideoq; retro accessit; & quasi esset indigna contrectare chlamidem, demisit se ad fimbriam leviter contrectandam. At IESUS de industria, ad eam, conversus, benignis oculis ipsam respexit, appellavit Filiam, ad fiduciam animavit, erexit, fidem collaudavit. Studebo & ego diligenter huic virtuti humilitatis, reputando me indignum non solùm oculis Dei, sed etiam Angelorum & hominum; habeo enim intra me, infinita motiva talis humiliationis & opinionis. Reputabo me indignum, qui cælum intuear; dicendo: Non sum dignus videre altitudinem cæli, quem terra sustineat, quem humectet aër, quem sol illuminet, quem ignis calefaciat, &c.

2. Non dissimulat Christus contactum fimbriæ suæ, sed conversus

versus interrogat: *Quis me tetigit?* cùmq; illi respondissent discipuli: *Turbæ te comprimunt*, Christus tamen institit: *Tetigit me aliquis.* Comprimebatur quidem Christus à multis; sed ab hac muliere tangebatur. Qui cum fide, reverentia, devotione, accedit ad percipienda Christi Sacramenta, tangit Christum; qui autem hoc facit absq; debita dispositione, premit duntaxat Christum. Dum aliquid vivum te tangit, etiamsi fuerit formica vel musca, statim sentis; non sic, quando aliquid mortuum te tangit, Ita una precatio viva, plena spiritu, tangens Deum, plùs ab eo sentitur & æstimatur, quàm mille mortuæ. Lacryma una ex viscеribus profluens, unum suspirium ex imo corde proveniens, tangunt Christum, eumq; urgent ut dicat: *Quis me tetigit?* Nonné *duo æra minuta*, ex fide ac devotione oblata, plus æstimavit, quàm alia magnifica munera. *Lucæ 21.* Nonnè apud illum *calix aquæ frigidæ* in nomine ipsius datus, reputatur aliquid grande? *Matt. 10.* Sentit nunc mulierem, oram suæ chlamydis, tangentem, reliquos autem comprimentes haud ita sentit. Quia magna etiam opera, sine spiritu tamen ac fervore peracta, nihil coram illo valent; parva è contra, sed cum vigore Spiritûs facta, magni habet. Quia Deus non tam substantiam rei, quàm ejus modum attendit; nec tam verba, quàm adverbia pensat & compensat.

3. Fides est prima radix omnium aliarum virtutum; nisi enim quis credat, nec sperabit, nec amabit, nec quidquam metuet; ac proinde inter dona Dei supernaturalia, est quid primum. Est enim *Substantia rerum sperandarum*; ùt ait Apostolus. *Hebr: 11.* Maximæ igitur agendæ sunt Deo, pro illa, gratiæ; quia *non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit illis.* Ps: 147. Nisi hoc fundamentum primò ponatur & custodiatur, magna inde emergunt damna. Sicut enim si fundamentum debile sit, facilè reliqua ædificii membra collabuntur; si autem firmum fuerit, etiamsi cæteræ partes vacillent, facilè sunt reparabiles; ita si fides sit, in aliquo, debilis, necesse est, reliquas actiones debiles esse; si autem fides firma sit & viva, etiamsi homo labatur interdum, facilè tamen resurgit ùt patet in *D. Petro*, post lapsum facilè resurgente, *Mat: 26.* quia illi Christus promisit:

Lucæ 22.

Lucæ 22. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* En toties deficio! toties labor! & non adverto, primam meorum lapsuum esse radicem, *Debilem Fidem,* quòd me operantem intueatur Deus, Iudex, Præmiator, & Punitor meus.

DOMINICA XXIV.
POST PENTECOSTEN.

Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco Sancto; qui legit, intelligat. Mat: 24.

1. HOc debet quòád literam intelligi, de excidio Hierosolymæ, & destructione Templi illius; nam hîc præmonuit Christus venturum fuisse tempus, quo, Templum illud, toto orbe, celeberrimum erat ab hoste destruendum, & in abominãdam, redigendum, desolationem; ac proinde ut illi, qui ad illud tempus, victuri erant & hanc visuri desolationem, tempestivè sibi consulerent, ne illâ calamitate subitò involverentur, & serò tandem inciperent sapere. Et ego sum locus sanctus, *Templum Spiritus S.* 1 Cor. 6. sed veniet tempus, quo Templum hoc dissolvetur à morte & corrumpetur; fiet ex illo abominatio desolationis; nam corpus meum ab anima desolatum, erit abominabile, oculis manibusq; hominum. Ne ergo tunc grandi involvar periculo, ne æternum incurram exitium, tempestivé prævidere debeo, quidnam sit mihi agendum? & quidem ante illud discrimen; nam frustra tunc aliquid agere tentabo. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* 2. Cor: 6. *Quodcunq; manus tua operari potest, instanter operare.* Eccl: 9.

2. Rectè hæc abominatio desolationis stans in loco Sancto, designat peccatum mortale stans in anima. Quid enim est præstantius Gratiâ sanctificante, & charitate Dei? quid pulchrius & optabilius infusis virtutum supernaturalium habitibus? his autem omnibus, peccatum mortale, miserum spoliat hominem, & fædam animæ inducit maculam, ac abominandam desolationem. Si detestaris infamias, contumelias, inopiam, cruciatum,

dolorem, ipsum dæmonem, & tartareos rogos, multò detestabilius est peccatum; hoc enim est fons & origo, ex qua, omnia hæc mala promanant. Nulla major desolatio est illâ, quam parit grave peccatum. Expende totius mundi desolationes, omnes ex peccato mortali, prognatas reperies. Undenam orta est cæli desolatio? cum ex illo tot millia Angelorum corruêre? ex peccato. Unde diluvium ortum, quod totum desolavit orbem? ex peccato. Unde ignis Sodomæ? unde bella, morbi, pestilentiæ? ex peccato Deniq; unde mors nata, quæ omnia desolat & vastat? ex peccato. Lege hæc, ô anima mea, & intellige. Nocet peccatum, si stat per impænitentiam; non nocet, si cadit per contritionem.

3. Possunt etiam hæc verba referri ad finem mundi, ita, ut *Abominatio desolationis* designet Antichristum, hoc est, contrarium Christo hostem, & adversarium Christi acerrimum. Is enim ideo erit *abominatio desolationis stans in loco Sancto; Matt: 24.* Tum quia curabit ejici de Templis Christianis, Eucharistiam & imagines Christi atq; Sanctorum, ipse verò seipsum tanquam Deum proponet hominibus, in altari seu throno, adorandum & colendum, & loco baptismalis characteris, atq; S. Crucis, imprimet suum characterem in frontibus cultorum suorum. Tum quia magnam inferet vastitatem Ecclesiæ DEi, contra quam, gravissimas excitabit persecutiones: unde plurimos tum cruciatibus tum muneribus ac deliciis tum falsis miraculis & apparentibus prodigiis seducet, atq; à vera Christi fide abstrahet; ac proinde horrendam Ecclesiæ Dei inferet vastitatem. Quantas igitur debeo agere gratias Deo, quia mihi vitam ad illa calamitosissima tempora non protrahet. Quis enim scit? quid mecum tunc fieret? an ego tormentis adactus, vel muneribus corruptus, fidem non negarem, & sic in æternum perirem? Quantoperè rogandus Deus, ut Societati det illo tempore Apostolicos viros, qui resistant fortissimè Antichristo, ejusq; conatus infringant. Quantoperè mihi curandum, ne sim præcursor, & Assecla Antichristi, arrogando mihi gloriam ex bonis operibus, & pravo exemplo, alios, à probitate vitæ, abstrahendo.

FERIA II.

Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

1.]*Udæa* idem sonat, quod, *Confessio*; montes autem denotant *Christum Dominum, Beatissimam Virginem & Sanctos.* Quando ergo ingruet mihi *Abominatio desolationis*, seu quando corpus meum incipiet desolari ab anima, & reddi abominabile aspectui humano, prout omnibus morituris contingit, ne tunc incurram horrendum æternæ mortis periculum, duo mihi prævidenda ac præstanda innuuntur. *Primum*, ut antè bene instituam, sinceram, integram, dolorosam, humilem, peccatorum meorum, totius vitæ Confessionem. *Secundum*, ut fugiam ad Christum, per fidem rectam, per spem firmam, per ardentem charitatem; deinde ad *Beatissimam* & Sanctos meos Patronos, per ferventes preces, per pensum aliquod quotidie illis exsolvendum, per seriam morum imitationem. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Ps: 120. *Vos montes cadite super me, & protegite me.*

2. Consulit etiam his verbis Christus, fugam à facie peccati. Facies peccati est occasio ejus, in qua, illi sunt constituti, qui habitant in valle mundi. Nam illorum phantasia humi plerumq; serpit, illorum sensus terrena sapiunt, pectus cum antiquo serpente graditur super terram, oblectationes carnis quærunt, temporalibus lucris inhiant, ideoq; convertuntur inordinatè ad sectanda creata, & avertuntur à bono æterno & incommutabili, in quo consistit ratio peccati. Ut ergo evitetur hoc periculum, suadet Christus, fugiendum esse ad montes recollectionis, avocandam mentem esse à terrenis, & transferendam ad res cælestes ac æternas. Planè, quod olim *Patriarchæ Loth* suadebant Angeli, ut exiret de Sodomis, & fugeret in montem, atq; ibi salvaret animam suam, *Gen 19.* idem præsentibus verbis Christus persuadet. *Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes*; hoc est, quorum sensus obnoxii sunt occasioni peccandi, quorum voluntas propendet ad concupiscenda bona terrena, fugiant ad contemplanda cælestia; illa pro nihilo habeant; avertant se & elongent ab eis; hæc autem toto studio quærant, & omni curâ possideant.

3. His insuper verbis hortatur & docet Dominus, quid justi agere debeant in omni tribulatione & afflictione? ut nimirum per orationem confugiant ad Deum, sicut ad *Montem Sion, qui non commovebitur. Ps: 124.* Nam ipsius Clementia, Misericordia, Longanimitas, Bonitas sunt sicut montes Dei. Dum tribulamur, *humiliamur sub potenti manu Dei, 1. Petr: 5.* & quasi humi sternimur. Dum autem è cælo solatium imploramus, *Deus nos exaltat in tempore visitationis. 1. Pet: 5.* Hinc Propheta Psal: 30. ait: *Ego dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum à facie oculorum tuorum, ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.* Illud: *In excessu*, significat trepidationem, vel ùt exponit *S. Hieronymus, Stuporem*; quasi Psalmista diceret: Ego cùm stuperem ac trepidarem, vehementi circumdatus tribulatione, & præ dolore vix apud me essem, putavi me jam derelictum à te; sed tu Domine videns magnam animi mei dejectionem ac desolationem, ne me penitùs absorberet, audisti me invocantem te, & eduxisti de malis, quibus præmebar. Experti sunt id Apostoli, qui dum in tempestate navem absorbente, confugissent ad Christum, *Domine salva nos perimus, Mat: 8.* continuò senserunt ab illo auxilium, sed præcipuè expertus *S. Petrus*, qui eundo ad Christum per undas maris, & mergi cæpisset, ac vehementer trepidans, Christum invocâsset, porrectâ ejusdem manu, erectus, & è præsenti discrimine fuit ereptus.

FERIA III.

Væ autem Prægnantibus, in illis diebus, & nutrientibus.

1. PRægnans est, qui multa bona desideria, in ordine ad vitæ emendationem concipit, multa proposita format, interim illa ad praxim negligit deducere. Qui multa Deo, Sanctis, Religioni promittit, & parum aut nihil reipsâ præstat. De quo, illud potest meritò usurpari: *Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.* Atq; talibus prægnantibus plenus est infernus. Nemo quippè damnatorum est, qui non habuerit voluntatem, seu potiùs velleitatem, cælum obtinendi & intrandi, adeoq; boni aliquid, ad hunc finem præstandi; sed quia hanc velleitatem differebat parere ipso actu, ac in lucem producere effectivè, & interim

rim mors inopina eripuit illi facultatem, hoc præstandi, incidit in æternum Væ. Iam *clausa est janua*; *Mat: 25.* Non datur bis errare in hoc bello; *tempus non erit amplius*; *Apo: 10.* non patet regressus. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Ps: 94: *nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis*; 2. *Cor: 6.* postea verò erit nonnisi tempus judicii, pænæ, afflictionis.

2. Per hos Prægnantes, rectè illi possunt intelligi, qui audacem in peccando præsumptionem conceperunt, & nefandum hunc fœtum, facili partu enituntur. Porrò hæc audax præsumptio, non statim, sed sensim per pravam ac inveteratam consuetudinem acquiritur; juxta illud *D. Gregorij*. *Fit plerumq;, ut mens assueta malis levibus, non perhorrescat, graviora; atq; ad quandam authoritatem nequitiæ, per culpas minores, nutrita perveniat.* Væ igitur talibus prægnantibus! nam cum minimè putaverint, horribilis mors veluti rigida hyems eos opprimet. Hoc illis evenit ordinariè, quod olim *Pharaoni* & *Ægyptiis*, qui hujusmodi audaciâ persequendi Isrâelem, prægnantes ac tumidi, ausi sunt intrare inter fluctus maris, instar muri hinc & inde, erectos; quibus cùm repente inciperent obrui, serò tandem dixerunt: Exodi 10. *Fugiamus Isrâelem*; & interim repentino illorum fructuum casu obruti sunt, & veluti plumbum, in fundo maris submersi; *Exodi 3.* ita ut hi Prægnantes, cùm per acquisitam consuetudinem audacter se resolvunt ad perpetranda peccata, cæcoq; impetu in illa ruunt, subitò ab ira Dei opprimuntur. *Nam ducunt in bonis, dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Iob: 21. *Laude tuâ infrena me Domine, ne inteream.* Isaiæ 48. *Confige timore tuo carnes meas, ut à judiciis tuis timeam.* Psal: 118.

3. Potest etiam per Prægnantes intelligi quivis homo, illis diebus, quibus ab Antichristo excitabitur persecutio, victurus; is enim habebit, intra corpus, animam, quam est pariturus æternitati, & in lucem editurus; in qua videantur, à judice Deo, opera illius. Si ergo fuerit injustus, habueritq; animam peccatis contaminatam, Væ tali Prægnanti, illudq; duplex *unum temporale*, quod habebit à persecutione Antichristi, & cruciatibus, quibus adigetur ad fidem ac pietatem deserendam; *Alterum Æternum*, quod incurret per pœnas inferni. Si autem fuerit justus, & in

proposito Sancto constans, væ quidem & illi, sed temporale duntaxat, quod habebit à tormentis, ab Antichristo, inflictis, quæ cum difficultate & dolore expellent animam de corpore, veluti fœtum de matris utero. At sicut Regius infans, dum ex materni uteri angustiis in lucem egreditur, flet quidem, quia frigore percellitur, sed si haberet intellectum, & agnosceret, quod nascatur ad Regnum amplissimum, ad honores, ad delicias, non fleret, sed rideret & valde lætaretur; ita anima hominis justi, dum è mortali corpore, licèt doloribus adacta egreditur, lætari & exultare deberet; quia à miseriis ad beatitudinem, à periculis ad securitatem, ab angustiis ad amplissimam felicitatem transgreditur. Quando veniet suprema hujus meî partûs hora, assiste mihi *JESU Christe agonizans. In manus tuas, pro me, vulneratas commendo Spiritum meum. Domine JESU accipe Spiritum meum. O Mater dolorosa assiste mihi, sicut adstitisti Filio tuo animam in Cruce agenti. Protege me ab immani dracone,* (Apoc: 12.) *qui huic partui avidè inhiat.* Qui habet fiduciam, quòd & Iordanis influet in os ejus.

FERIA IV.

Orate, ut fuga vestra non fiat hyeme vel Sabbato.

1. REctè per hyemẽ denotatur status tepiditatis; sicut enim hyeme parva dies est, & parum lucis, eò, quòd sol procùl elongatur à nobis, tardè oritur, & citò se ab oculis nostris abscondit; ita quoq; apud tepidum, rebusq; terrenis addictum, parum est lucis de rebus æternis, de actionibus honestè atq; secundùm lẽgem Divinam faciendis; eò, quòd Deus parùm se communicet talibus hominibus; cùm & ipsi parci sint erga Deum; tardè illis, Deus largitur dona sua, & si quæ confert, citò subtrahit, non ex tenacitate sua, sed ob illorum culpam; cùm nolint se proportionare & accomodare Sanctis illius illustrationibus ac inspirationibus. Sicut ergo hyeme, fuga est valde difficilis, eò, quòd multa vitæ præsidia tunc desint, plura verò adsint nocumenta ac impedimenta; ita quoq; transitus ex hac vita mortali, est valde periculosus in statu tepiditatis; quia tunc pauca & parva sunt Dei præsidia, multa verò hostîs infernalis nocumenta

cumenta. O *sol salutis, intimè* IESU *refulge mentibus, dum nocte pulsâ, gratior orbi dies renascitur. Lucis Creator optime, lucem dierum proferens. primordiis lucis novæ save.* Hymnus Brev:

2. Sub nomine hyemis possunt & illi comprehendi, qui sub specie pietatis & authoritatis senilis, prôbos viros persequuntur. Sicut enim hyeme, omnia candida apparent; quia nive, æqualiter conteguntur omnia, & lutum & paludes & sterquilinia & gramina campi, æqualem colorem induunt; interim omnia gelu rigent, viæ sunt asperæ, non bene tecti præ frigore tremunt, sed quando venit ver aut æstas, aperiuntur omnia ac deteguntur, cujus coloris sint; malè vestiti calefiunt; viæ complanantur; ita hujusmodi persecutores, contecti authoritate senilis ætatis, sub prætextu pietatis, zeli, boniq; communis, meliores, se, constringunt, ut ad illorum potestatem & imperia, multi debeant contremiscere. Atq; tales fuerunt illi *malorum inveterati Senes, Dan: 13.* qui sub specie pietatis & zeli, erga præcepta DEi, innocentem *Susannam* coram populo accusârunt, falsiq; insimulârunt criminis, & credidit illis populus, quasi senibus. Sed detexit illorum nequitiam & fraudem Deus. *Ne derelinquas me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea.* Ps: 70.

3. Habent etiam improbi, & mundi vanitatibus dediti, Sabbata sua. Non licebat Iudæis, juxta ritum suæ Legis, ullos obire labores; non licebat iter agere, adeoq; nec fugere: unde tempore Sabbati, poterant ab hoste circumveniri ac trucidari. Tale apud hominem tepidum ac mundanum est Sabbatum. Grave illi est & ferè impossibile, vim sibi inferre, suas cupiditates frangere, suis passionibus resistere, aliquid strenuè pro gloria Dei, pro salute animæ suæ operari. Arduum illi videtur, pedem ad templum efferre, in via virtutis aliquantum progredi, in periculo salutis & occasione peccandi ad Deum refugere. Quia volunt in omnibus, legibus mundi obsequi, quæ suos asseclas jubent, indulgere genio, vacare deliciis, voluptatibus frui, ab operibus pietatis prorsus feriari, & continua Sabbata agere. Contra hæc omnia, remedium optimum, Christus proponit suis. *Orate;* nam & tepiditas, & palliata improbitas, & acedia vincuntur per orationem. *Nam in meditatione exardescit ignis; Ps: 38.* qui hæc omnia consumit.

consumit. *Benedictus DEUS, qui non amovit orationem meam & misericordiam suam à me. Ps: 65.* Si amoveret orationem, amoveret & misericordiam.

FERIA V.

Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

1. RECtè hîc per corpus intelligitur Christus, Filius Dei Incarnatus, *Verbum Caro factum*, Per aquilas verò intelliguntur Fideles & Iusti. Sicut enim aquila habet ita perspicaces oculos, ut irretortâ palpebrâ contempletur meridianum solem, atq; sic prolem suam, an sit genuina? explorat; cumq; à longè prædam conspexerit, celerrimo, ad eam, volatu contendit, ut illâ potiatur; Ita Fideles ac Iusti viri, acuto nimium Fidei obtutu pollent, siquidem latentem in Carne Deum agnoscunt, & Corpus Christi sub speciebus Eucharisticis reconditum vident. Quia verò norûnt, Faciem Dei esse lucidissimum solem, ideo ad illam ùt in se est, contemplandam, ardentium desideriorum alis attolluntur, nec possunt quiescere, donec illam clarè ac intuitivè viderint. Quia etiam, Corpus Christi Eucharisticum agnoscunt, unicum esse, in hac vita mortali, animæ cibum, ideo ad illud, cum magna auiditate properant, tum ut illud debito venerentur cultu, tũ ut hàc salutari prædâ & escâ vescantur. Quod quidẽ elucebit maximè ultimis Antichristi temporibus, dum consurgent multi *Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetæ*, atq; in suas partes populos trahent; tunc enim Fideles turmatim accurrere conabuntur ad missæ sacrificium, adorabunt profundissimè Corpus Christi, illudq; reverentissimè sument, ut distinguantur ab Infidelibus & cultoribus Antichristi.

2. Habet hoc innatum, Aquila, quòd dum consenescit, evolat in altum, tum se demittendo, allidit ad petram, nasum aduncũ, quo cibum convenientem capiat, deinde immittit se in fontem; in quo tamdiu plumas veteres excutit, donec tota deplumetur, postmodum verò novas reassumit pennas, atq; sic reviviscit, & ad pristina vitæ officia redit. Ad idem faciendum, vult Christus excitare suos Fideles, hoc Proverbio: *Ubicunq; fuerit Corpus, illuc congrega-*

congregabuntur & aquilæ. Ut nimirum elevent se à terra, & à mundanis moribus, ut mente cælum petant, & considerent Corpus Christi, supra ordines Angelicos, elevatũ & collocatũ in summa majestate *ad dexteram Patris.* Ut spem firmam concipiant, quòd sicut Corpus Christi estò fuerit vulneratum, mortuum, sepultum, tamẽ *renovata est, út aquilæ juventus ejus* Ps: 102, evolavit è sepulchro, usq; ad cælum, & ibi nidum suum posuit; ita quoq; Fideles Iusti, etiamsi in hac vita, propter amorem Christi, qui est *Petra*; nam de illo dicitur 1. Cor: 10. *Petra autem erat Christus,* attriti fuerint, etiamsi omnibus omnino fortunis, honoribus, vitâ ipsâ deplumati & exuti fuerint, in hoc Fonte, qui est Christus (nam de illo promissum Zach: 13. *Erit fons patens domui David)* tamen assument pennas velut aquilæ, volabunt, & non deficient; ubi est glorioſum Christi Corpus, illuc & hæ aquilæ congregabuntur.

3 Magis quidem innatum est vulturibus & corvis eò convolare & congregari, ubi fuerit corpus cadaver, quàm Aquilis; ideo tamen Christus Vulturibus & Corvis aptavit nomen Aquilarum, ut, quamvis viderimus aliquem instar Vulturis aut Corvi, carnaliter vivere, indulgere concupiscentiis, esse promptum ad vitia, tetricum veluti vulturem, furacem, & voracem veluti Corvum, tamen illum non condemnemus, non diffamemus, de illo non desperemus. *Novit Dominus qui sunt ejus.* Forsitan is, qui tibi videtur Vultur aut Corvus est coram Deo *Aquila magnarum alarum Ezech. 17.* intuitivè solem increatum visura; & ego, qui nunc sublimè volare, & aliis me præferre audeo, ero Vultur, aut noctua æternùm lugens, si mihi Deus de suis donis & favoribus subtraxerit. Sicut *potens est Deus de lapidibus suscitare Filios Abrahæ Matt: 3.* ita potest Vultures, Corvos, noctuas, in aquilas transformare.

FERIA VI.

Tunc parebit signum Filii hominis in cælo. Et tunc plangent omnes tribus terræ.

1: PEr hoc signum, Ecclesia intelligit Crucem Christi, dum canit: *Hoc signum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad judican-*

dum venerit. Sicut enim captâ civitate, victoris vexillum in arce ponitur; ita mundo, per Christum, devicto, ejusq; potestati, subacto, Crucis ejus vexillum refulget in cælo. Intraturi sunt omnes justi tunc in cælum, necesse est, ut in promptu sit clavis, quâ ad illud, porta illis aperiatur. En *clavem David; qui cùm aperit, nemo claudit; cùm claudit, nemo aperit. Apoc: 3.* Credibile namq; est, eandem numero Crucem, in qua Salvator affixus pependit, in cælo apparituram. Sicut enim Angelorum ministerio, omnes humanorum corporum cineres colligentur; ita quoq; omnes particulæ, Sanctæ Crucis, per orbem, dispersæ, Angelico obsequio congregabuntur, & in unam adunabuntur molem, quæ tunc in summa luce apparebit, atq; in ærario cælesti asservabitur, in perenne triumphi Christi monumentum. *O clavis Regia,* aperi mihi januam cælestem.

2. Quàm triste erit hoc spectaculum Infidelibus & Peccatoribus impœnitentibus! *Tunc plangent omnes tribus terræ,* desperabunt, ululabunt, *dicent montibus: cadite super nos, & collibus, operite nos, Mat: 24.* Tunc homines exterriti, idem dicent, quod olim Fratres Iosephi dixerunt. *En sanguis ejus exquiritur.* O Crux beatissima! ubi tunc erit Christus, in te, Crucifixus, cum sanguine manans pietatem & clementiam? Ubi illa brachia ad recipiendos peccatores extensa? Ubi caput ad deosculandos filios prodigos inclinatum? Ubi pectus & latus, militari lanceâ, apertum, per quod, peccatores inveniebant aditum & ingressum, usq; ad viscera misericordiæ Dei? O arbor salutifera! ubi est illa misericordia, quam distillabas? Ubi illæ unctiones amoris & dulcedinis, quas in remedium vulnerum nostrorum profundebas? Sed enim omnia tunc terrebunt, omnia erunt contraria peccatoribus; *Inimicis Crucis Christi, Phil: 3.* Crux quoq; inimica erit: nisi illi, qui tunc supervivent, serò, licét sero, se ad illam converterint.

3. Non omnibus Crux illa erit terribilis, sed solùm inimicis ejus. Sicut enim idem vultus judicis, malefactori apparet austerus, domesticis autem mitis & blandus; ita ejusdem Crucis aspectus, infidelibus, ac improbis valde formidabilis, justis autem & bonâ, præditis, conscientiâ, videbitur jucundus ac dulcis. Quàm

felices

felices tunc erunt amici Crucis! qui *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis!* ad Gal: 5. Illi enim maximè cruce visâ, delectabuntur, ùt ostendit *S. Gregorius* Hom: 7. *in Ezech.* in illud: *Et similitudo super caput animalium, firmamentum quasi aspectus Crystalli horribilis.* Sicut enim crystallus, estò aliàs sit, quoad aspectum, jucunda, simul tamen dicitur horribilis; ita eadem Crux Christi, bonis quidem dulcis, malis verò apparebit horribilis. *Mors erit malis, vita bonis.* Nunc tempus est eligendi, in quorum numero tunc reperiri velles.

SABBATO.

Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & majestate. Et mittet Angelos &c.

1. QUàm diversus erit hic secundus Filii Dei, in mundum adventus, ab illo primo, quando è cælo descendit in uterum Virginis, & hinc in præsepe. Ibi enim venit ùt *tenerrimus infantulus, fasciis & pannis involutus*; hîc autem, veniet ùt *Rex tremendæ majestatis.* Ibi tanquam *Agnus mansuetissimus*, vagitu, ad se, omnes allíciens; hîc tanquam *Leo terribilis*, horrifico rugitu, omnes percellens. Ibi tanquam *Sponsus procedens de thalamo suo*, Psal: 18. totus amabilis, totus desiderabilis; hîc tanquam formidandus *Iudex accinctus super femur suum justitiæ gladio potentissime.* Ps: 44. Ibi in carne infantili, membrisq; tenellis, gratiam & suavitatem spirantibus; hîc in fulgurantibus, & fulmina ejaculantibus nubibus cæli. Ibi inter *Matrem & Iosephum*, inter *bovem & asinum*; hîc inter innumeras *virtutum cælestium legiones & phalanges.* Ibi inter dulces concentus Angelorum *Gloria inexcelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* canentium *Luc: 2.* hîc inter clangorem tubæ terrificum, tumulos tremefacientem, ad inferos penetrantem, citantem mortuos ad Tribunal.

2. Sed quomodo tunc Agnus vertetur in Leonem, Pater in inimicum, Sponsus in judicem & ultorem? *Amor læsus, vehementer solet irasci.* Cùm enim amans redamari vehementer cupiat, quando videt omnia, quæ ad hunc finem præstitit, non prodesse, imò

odium peperisse, tunc solet maximum amorem convertere in odium maximum. Uti contigit uxori *Putiphari* adversùs *Ioseph. Gen: 39.* Nam optimum vinum degenerat in acerrimum acetum. Quis verò majori potuit amore prosequi hominem, quàm Deus? Quis ei potuit plura benevolentiæ declarare argumenta? Quis potentioribus illiciis ad amorem sûi allicere? Hæc tamen omnia nihil profuerunt, ut excitarent hominem ad amorem DEi: imò sicut vipera solet omnia convertere in venenum; ita peccator ex suavissima dulcedine Dei, novit elicere amarum absynthium. Quid ergo mirùm, quod etiam tota Dei misericordia, homini convertatur in iram! ita, ut, sicut antea summè dilexit animam sicut Sponsam; ita nunc summè illam oderit, ùt adulteram.

3. Si Magnus fluvius, objecto detineretur obstaculo, per annos 60: Et si postea exiret simul cum tanta congregatæ aquæ copia, procul dubio vehementi & rapido cursu properaret; ita cùm ira Dei detineatur modò per tot annos à misericordia, exibit tunc magno cum impetu, instar inundanti fluvii. Unde Isaias c. 28. *Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium & emissarum super spatiosam terram.* Et Daniel. c. 7. ait: *Fluvius igneus rapidusq; egrediebatur de ore Dei.* Modo exspectat Deus, & dissimulat; sed veniet tempus, ut ira ejus ruat impetu grandi. Ne putes peccator, Deum, quia statim non sumit ultionem de tuis peccatis, oblivisci illa; detinet modò iram, quam tu *thesaurizas*; impeditur modo fluvius justitiæ à Misericordia; erùpet subitò in die judicii particularis & universalis. Hinc Psalm: 49. *Existimàsti iniquè, quòd ero tûi similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* Ps: 142. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Psal: 129.

INDEX

Rerum hoc opere contentarum

Litera P. designat Paginam, N. designat numerum.

A

Accessus ad DEUM nunc est facilis homini P. 350. n. 1. 2. 3. & P. 480. n. 1. P 499. n. 1. P. 512. n. 2. P. 518. n. 3. P. 356. n. 1. 2. P. 360. n. 3. P. 512. n 2. P. 91. n. 1.

Accedendum ad Deum, ut ab eo illuminemur. P. 181. n. 3.

Actiones etiam imperfectas acceptat Deus, si fiant cum humilitate. P. 536 n. 2.

Actibus virtutum sensim assuescendum. P. 68. n. 3.

Actus meritorios pluris Deus facit, quàm thesauros. P. 553. n. 2.

Adventus Christi ad judicium, diversus erit à primo. P. 11. n. 1.

Adulator blandè seducit. P. 564. n. 1.

Adventus Christi in terram, quanta Dei misericordia. P. 428. n. 2.

Adversitas manuducit ad Deum. P. 534. n. 1.

Æqualitatem nos docuit Christus. P. 41. n. 2.

Æquè intensivè diligendus unus homo, atq; omnes. P. 506. n. 3.

Affectu tantùm possumus lucrari, quantùm ipsà re. P. 468. n. 2.

Affectus amoris & obedientiæ erga Christum excitandi. P. 184. n. 2. P. 228. n 1. 2. 3.

Affectus inordinatus perturbat intellectum P. 307. n. 2. 3.

Agere & pati est meritorum seges. P. 48. n. 2.

Ager mundi variè colitur à Deo. P. 111. n. 1.

Alios lucraturus prius ipse curet suam salutem P. 84. n. 2. 3. P. 448. n. 2.

Alienas censuras evitare impossibile. P. 493. n. 3. P. 515. n. 1.

Alieni defectus æquo animo tolerandi. P. 519. n. 2. 3.

Alienas culpas Christus in se punivit. P. 165. n. 1.

Alienos mores plerumq; observamus, & nostros negligimus. P. 159. n. 2. P. 491. n. 1. 2. P. 29. n. 1.

INDEX.

Amandus est DEus, sed simul reverendus. P. 239. n. 3.
Amor Divinus longè plura præstat, quàm humanus. P. 156. n. 3.
Amoris Divini vis facit generosos. P. 238. n. 2.
Amore potiùs, quàm timore debemus duci ad servitium Dei. P. 543. n. 1.
Amor Dei & proximi est scala Iacob. P. 505. n. 1.
Amor Deum impellit ad quærendos peccatores. P. 264. n. 1.
Amari à Deo ingens solatium P. 294. n. 1.
Amandi Deum, motivum adæquatum. P. 459. n. 1.
Amor sensualis Apostolorum erga Christum debuit depurari. P. 283. n. 2.
Amantes sui, sunt terra petrosa. P. 145. n. 2.
Amor proximi quo motivo debet niti. P. 506. n. 2. 3.
Angeli boni & mali accusant nos coram Deo. P. 412. n. 1.
Anima humana est numisma censûs reddendi Deo. P. 559. n. 1. P. 561. n. 1.
Anima quomodo moritur Deo P. 483. n. 2.
Anima debet esse pacata, ut Spiritum S. recipiat. P. 310. n. 1. P. 445. n. 1.
Anima obiter tractans negotia salutis est terra secus viam. P. 143. n. 2.
Animæ cura longè major debet esse, quàm Corporis P. 94. n. 1.
P. 494. n. 1. P. 515. n. 3.
Anima justi est navi similis P. 101. n. 2.
Anima est valde curanda, quia unica. P. 567. n. 1.
Animæ repellentis Deum magna stultitia P. 32. n. 2.
Anni præteriti quomodo in vanitate transiêrunt P. 53. n. 1.
Annum ordimur, sed nescimus, an finiemus P. 53. n. 2.
Appetitus noster in officio est continendus. P. 95. n. 3.
Appetitum nostrum solus Christus curare potest. P. 96. n. 2.
Apostoli quo fine missi à Christo. P. 246. n. 2.
Apostolorum typus, ætas Christi duodennis. P. 67. n. 1.
Apostolicus vir in mediis etiam urbibus, est solitarius. P. 36. n. 2.
Aperiendum citò pulsanti ad nos Deo. P. 448. n. 3.
Aperto Marte non aggreditur hominem dæmon. P. 400. n. 3.
Ascendendi optimus modus est per descensum P. 75. n. 2. P. 498. n. 1.
Ascensio Christi in Cælum fuit conveniens Christo. P. 296. n. 1. 2. 3. Fuit conveniens curiæ cælesti P. 298. n. 1. 2. 3. Fuit conveniens nobis P. 299. n. 1. 2. 3.
Attentione magna opus est unicuiq; circa se P. 398. n. 2. P. 401. n. 2. 3.

Auditor,

INDEX.

Auditor, verbum Divinum corde debet excipere. P. 148. n. 2. p. 366. n. 3.
Aures potissimum dæmon peccatori obstruit P. 113. n. 2.

B

Baptismi forma docet, Deum esse. P. 326. n. 1. 2. 3. *Docet unum esse.* P. 328. n. 1. 2. 3. *docet Deum esse trinum in Personis* P. 330. n. 1. 2. 3.
Beatitudo religiosorum quanta, Christo commanere. P. 281. n. 2.
Beatitudo æterna est cœna magna P. 342. n. 2. P. 523. n. 4.
Benignitas Christi in admittendis & sanandis peccatoribus P. 93. n. 2. P. 218. n. 1. P. 117. n. 2. P. 512. n. 2. P. 548. n. 1.
Benignitas Dei plus confert, donis, quàm proferat verbis. P. 538. n. 3.
Beneficia Deus tollit ab ingratis, & transfert ad gratos. P. 348. n. 1. P. 467. n. 3.
Beneficium Dei maximum, frequentare Eucharistiam P. 349. n. 3.
Beneficiis suis magis nos Deus vult frui, quàm ut illi reverentia exhibeatur. p. 363. n. 2.
Beneficiis magnis DEus plerumq; subjungit magnas tribulationes p. 164. n. 3.
Beneficia Dei grato animo sunt recolenda p. 325. n. 2. p. 450. n. 1. 2. p. 467. n. 1. 2. 3.
Beneficentia est documentum Divinitatis P. 254. n. 1. p. 480. n. 1. p. 366. n. 1.
Benefaciens magis DEus, magis est timendus P. 489. n. 2.
Bis parati esse debemus ad Christi adventum P. 38. n. 1. 2.
Bonum non agnoscitur, nisi amissum P. 574. n. 1.
Bonis ad quid mali permiscentur P. 120. n. 3.
Bona opera nostra unde accipiunt valorem P. 216. n. 3.
Bonorum Spiritualium jactura valde conturbat justum. P. 280. n. 1. p. 282. n. 3. p. 553. n. 2.
Bonorum temporalium affluentia causat morbos animæ P. 533. n. 3.
Boni bonos generant, improbi improbos P. 114. n. 2.
Bona creata non possunt nos satiare P. 293. n. 3. P. 394. n. 2. p. 522. n. 1.
Bona æterna priùs quærenda, quàm temporalia P. 370. n. 3. p. 478.

p. 473. n. 1. 2 p. 571. n. 1.
Bona terrena cu sunt adiectiva P. 478. n. 3.
Bona Dei quomodo ab homine dispiantur P. 414. n. 1. 2.
Bona fortunæ quàm futilia P. 475. n. 1. p. 482. n. 1. p. 34. n. 1. 2.
Bona temporalia magis ordinarie quæruntur, quàm æterna P. 512. n. 1: p. 421. n. 3
Brevitatem vitæ nostræ non intelligimus P. 270. n. 2. 3.

C

Cadere possumus per nosipsos, sed resurgere non P. 572. n. 2.
Caput quò intrat, illuc totum Corpus intrare solet P. 308. n. 1.
Caro Christi quare est verè cibus P. 332. n. 1. 2. 3.
Carnales concupiscentiæ quo remedio curandæ P. 347. n. 3.
Cavendum maximè à nostra carne. P. 166. n. 3.
Cælum est locus Christo proportionatus P. 296. n. 1.
Cæli quomodo enarrant gloriam Dei P. 317. n. 1. 2.
Cæcos mente quidnam faciat P. 151. n. 2.
Character Christi qualisnam in ovibus ejus P. 259. n. 3.
Certamen inter justitiam & misericordiam Dei de peccatore p. 544. n. 2.
Charitas vera novit sè omnibus accommodare P. 16. n. 3.
Charitatis opera impigrè sunt exercenda P. 97. n. 3.
Charitatis vinculo debemus necti P. 191. n. 1. 2. p. 264. n. 3. p. 455. n. 1. 2. 3.
Christi insignia, sunt Crux, alapæ, ignominiæ P. 28 n. 2.
Christus æquè potuit redimere mundum per honores & delicias, atq; per contemptum & dolores. p. 28. n. 2.
Christus nobis natus P. 52. n. 1. 2. 3. Christi nati circumstantiæ p. 49. n. 1. 2, p. 51. n. 1. 2. 3.
Christus quomodo prius tractat suos P. 86. n. 1. 2. 3
Christus de monte cæli descendens, factus est via, ut eam sequamur. p. 90. n. 2.
Christus fuit verus Samaritanus seu Custos P. 458, n. 3.
Christus quo fine recenset Passionem suam P. 154. n. 3.
Christus nos liberavit à tyrannide diaboli P. 186. n. 1.
Christi clamoris quæ causa. P. 149. n. 1. 2.
Christus veniens in mundum, humilem vestem induit P. 178. n. 1.

INDEX.

Christus habet omnia boni Pastoris insignia P. 254. n. 2.3.
Christus quomodo animam suam pro nobis posuit. P. 256. n. 1.2.3.
Christus duplicem gregem pascit P. 262. n. 1.
Christus totus nobis est datus P. 282. n. 1.
Christus præivit nobis in cœlum P. 309 n. 2.3.
Christus prædicando se, prælicat totam SS. Trinitatem. P. 325. n. 1.
Colendus est Deus qua Rex æternus. P 216 n 2.
Communitas nulla ita est Sancta, ut careat malis. P. 113. n. 3.
Communia opera, non communiter facienda P 314 n. 2. P. 244. n. 2.
Compassio erga Christum passum quomodo excitanda P 221. n. 1. 2.
Compunctio ex Passione Christi quomodo sequi debeat P. 223. n 1.2.3.
Concionatores sunt servi ad cœnam vocantes P. 343 n. 1.
Concionis anima est exemplum bonum P 69 n. 1. Concionator debet loqui ad cor. 148 n. 2.
Confessio peccatorum quàm necessaria P 481. n. 2. P. 483. n. 2.
Consilio Divino, non casu, omnia nobis eveniunt P. 460 n. 2
Consilio in quavis re opus p. 71. n. 3. Consilium accipere quàm dare utilius est p. 203. n. 2
Consideratio malorum imminentium movet ad pœnitentiam P 425 n. 3.
Consideratio est animæ manducatio P. 473. n. 1.
Conscientia bona firmum propugnaculum p. 209 n. 2. p. 485. n 3.
Conscientia & Fides est optimus liber P 307. n 2.
Conscientia nos accusat coram Deo P 413 n 3. P 427 n 1.
Constantia in sequendo Christum P. 102 n 3.
Conversatio cum secularibus quàm cauta esse debet P. 443. n. 1.
p. 572. n. 1
Continuo in via Dei progrediendum p. 377. n. 3. p. 464 n.2 p. 480 n 2.
Contrarietas inter justos & improbos est perpetua P. 118. n 2.
Cooperandum Deo volenti nos, & per nos, alios quoq; salvare. p. 83. n. 2.
Cordi tantum puncto terrena sunt tangenda P. 448. n. 1.
Cordis motus magni faciendi P 564. n. 2.
Corpore à longe stare, est Deo appropinquare P. 440 n 2.
Creaturæ nos accusant coram Deo P. 413. n. 2.
Creaturæ semper deficiunt. P. 532. n. 1.
Creaturæ incautis laqueus, prudentibus motivum amandi Deum p. 474 n 2.
p. 9 n. 1.

INDEX.

Creatura nihil habet sui, omnia à Deo. P. 141. n. 1.
Creaturis non fidendum. P. 532. n. 1.
Credere in Christum quidnam sit. P. 284. n. 1.
Crux Christi nos vivificat. P. 486. n. 1.
Cura nimia rerum temporalium cavenda. P. 168. n. 3.

D

Dæmon quod per se non potest, per malum socium persuadet P 116. n 3.
Dæmon priùs consensum ad parva persuadet, tum ad majora pertrahit. p. 168. n. 3.
Dæmon multis persuadet audaciam peccandi, & timorem benefaciendi: p. 171. n. 3.
Dæmon sub specie pietatis & necessitatis consilia sua proponit P. 169. n. 1. p. 114. n. 1.
Dæmon per dæmonem potest spiritualiter expelli P. 190. n. 2.
Dæmonis ingenium est, mala reddere pro bonis P. 217. n. 2.
Defectus rerum temporalium multis oculos aperit P. 569. n. 2.
Delationes justæ sunt oblationes & victimæ p. 545. n. 1. p 551. n. 3.
Desidia maximè cavenda in ætate senili P. 172. n. 1.
Desperatio per Christum est sublata P. 40. n. 1.
Devotio ad B Virginem statim à teneris plerumq; infunditur p. 128 n 5.
DEus minatur supplicia, ne puniat P. 12. n. 3.
DEus vicariorum suorum injurias acriter vindicat P. 526. n. 1.
DEus non potest agnosci absq; magistro Deo P. 15. n. 3.
DEus factis loquitur P. 17. n. 1.
DEus abundè compensat obsequia nostra P. 22. n. 2.
DEus libenter loquitur cum simplicibus P. 28. n. 1.
DEus humiliantes se exaltat P. 468. n. 1.
DEum amittere & non sentire, extremæ est miseriæ P. 70. n. 3.
DEo & Superiori medius locus convenit. P. 70. n. 1.
DEus rebus lætis tristes permiscet P. 72. n. 1.
DEus amissus dolore est quærendus P. 73. n. 3.
DEus habet semper in mundo viros exemplares P. 90. n 3.
DEus compellit ad se peccatores P. 109. n. 2.

INDEX.

DEus in luce seminat, dæmon in tenebris P. 103. n. 2.
DEus quomodo est captendus in sermone. P. 553. n. 3.
DEus non attendit tantopere, quamdiu, sed quomodo ei serviatur p 138 n 2. p 141 n. 3.
DEi decretum est infrustrabile P. 246. n. 1.
DEi amor & timor practicè servandus P. 250. n. 2.
DEus purè spirituali amore vult diligi P. 285. n 2.
DEum esse multi speculativè sciunt, practicè negant P. 326. n. 1.
DEus sæpe est alloquendus, ut ejus dulcedinem percipiamus P. 386 n. 2.
DEus est remunerator magnificus P. 469 n. 3.
DEo præsente omnia sunt læta P 485 n 3.
DEi manus est vivifica P. 568 n. 3.
Diffamatio quantùm cavenda P. 186. n. 3.
Differentia inter justos & improbos, quæ nunc, quæ olim P. 9. n. 3.
Differre vitæ emendationem, damnosum P. 518. n 1.
Dilatio reddit pœnitentiam difficiliorem P 567. n 2.
Dilectio Dei non suum, sed Dei honorem promovet P. 14. n. 2.
Dilectio sui est optima mensura dilectionis proximi P. 456. n 3.
Dispositio ad mortem necessaria est pro quovis tempore P. 311. n. 3.
Divina eloquia multis videntur proverbia P. 295. n. 2.
Divitiæ Dei quales sunt P. 409. n. 1. 2.
Divitiæ impediunt, ne homines trahantur à Deo P. 385. n. 1.
Divitiæ Christi consistunt in fragmentis P 208. n. 2.
Divitiis terrenis non est inhiandum P. 471. n 1. 2. 3.
Divinæ indolis est calumnias modestè refellere P. 214. n. 1.
Docentium culpâ evenit sæpe, quod eis rarò credatur P. 211. n. 3.
Doctrinæ salutari jungendum exemplum bonum P 89 n. 1. p. 69 n. 1.
Dominum rerum temporalium qualenam homo habeat P. 410. n. 1.
Domine non sum dignus, quo affectu dicendum. P. 98. n. 3.
Domus Dei habet sua solatia P. 204. n. 2.
Duplicitas sicut à vita Sanctorum, ita & à moribus abest P. 28. n. 1.

E

Ecclesia in quo est navi similis P. 101. n. 1.

Electi

INDEX.

Electi plerumq; temporalibus non abundant P. 77. n. 3.
Electos dupliciter Deus tangit, dextra & sinistra. P. 185. n. 2.
Eloquia Scripturarum & Regularum sunt digitus Dei P. 194. n. 3.
Elongatur peccator à Deo. P. 440. n. 1.
Emit apud nos Deus, quidquid illi damus. P. 203. n. 3.
Ev colendus Deus, quod ab illo accepimus. P. 466. n. 3.
Errata nostra melius alii advertunt, quàm nosipsi. P. 551. n. 1.
Erubescere nosse, egregia est scientia P. 441. n. 1.
Evangelica doctrina est ingens thesaurus. P. 18. n. 1.
Eucharistia est nubes Dei candida. P. 7. n. 3.
Eucharistia vel semel susceptа posset nos ad magnam perducere sanctitatem. p. 115. n. 2.
Eucharistiam dando nobis Deus, quantum exerceat liberalitatem p. 202 n. 1. p. 522. n. 3.
Eucharistiæ sumptio magnam prærequirit dispositionem P. 239. n. 1. p. 348. n. 2. p. 472. n. 1. p. 574. n. 3.
Eucharistiæ species sunt quid modicum. P. 265. n. 1.
Eucharistia est memoriale trium mirabilium. P. 334. n. 1. 2. 3.
Eucharistia est nobis cibus, clypeus, gladius. P. 336. n. 1. 2. 3.
Eucharistia cœna magna p. 338. n. 1. 2. p. 340 n. 1. 2. 3. p. 342. n. 3.
Eucharistia vel maximè ostendit omnipotentiam Dei. P. 339. n. 3.
Eucharistia est sol meridianus. P. 426. n. 3.
Eucharistiæ species sunt miracula Christi. P. 511. n. 3.
Eucharistia nuptiæ cœlestes. P. 78. n. 1.
Eucharistiæ quanta necessitas. P. 390. n. 3.
Eucharistia est cibus citò parabilis & copiosus. P. 472. n. 3.
Eucharisticum Christum Sacerdos consecrans gignit P. 507. n. 2.
Examen conscientiæ quàm sit utile P. 365. n. 1. 2. P. 381. n. 2.
Exemplum bonum etiam bruta ingenia movet P. 38. n. 2. p. 412. n. 3. p. 69. n. 1. p. 551. n. 2.
Exercitium actuum supernaturalium magni faciendum P. 476. n. 2.
Exercitus multos habet Deus. P. 527. n. 2.
Externus pietatis fucus, odibilis Deo. P. 184. n. 1.
Externi actus nostri, jungendi sunt internis P. 514. n. 1. P. 518. n. 3.
Extra viam Dei quinam sunt? P. 528. n. 1.

Extrema

Extrema in nostris operibus cavenda. P. 386. n. 3.

F

Facile est amare Deum. P. 505. n. 3.
Facilius DEus ea peccata tolerat quæ videt, quàm quæ audit. P. 552 n. 3.
Facilius aliqua mysteria credimus; & quare? P 211 n 2.
Faciliores ad pietatem, simplices, quàm sapientes. P. 520. n. 1.
Faciem Dei alicui abscondi gravissima pœna. P. 219. n. 2.
Falluntur sæpe nostræ curæ P. 478 n 3.
Falsitatem dæmon facilè homini persuadet. P. 210. n. 1.
Fallacia omnis multùm cavenda. P. 399. n. 3. p. 557. n. 1.
Falsi Prophetæ mundus, caro, dæmon. P. 399. n. 1. 2. 3.
Fama magni nominis, ignis fatuus P. 24. n. 3.
Fatigatur Deus, nos redimendo P 177 n. 3.
Fermento assimilatur Christus, Apostoli, Eucharistia, Doctrina Evangelica, Prælati. P. 128 n. 1. 2. 3 &c.
Fervor vitæ religiosæ, ordinariè decrescit. P. 305. n. 2.
Fides triplex, Incipiens, Proficiens, perfecta. P. 542. n. 3.
Fidelitas Deo servanda. P. 480. n. 3.
Fides in Christum, primum Dei donum. P 17. n. 3. p 576. n 3.
Fidei defectus, fons peccatorum. P. 576. n. 1.
Filii tenebrarum prudentiores filiis lucis P. 421. n. 3.
Filium Dei adoptivum quid potissimùm ostendit: P. 167. n. 2.
Fiducia sui fallax P. 495 n. 3.
Fiducia in Deo, quanta habenda P. 356. n. 3. p. 394. n. 1. p. 477. n. 1. 2. p. 514. n. 2. p. 541. n. 1.
Finis doctrinæ nostræ quis esse debet P. 508. n. 3.
Finis in quavis actione attendendus P. 269. n. 3. p. 520. n. 2.
Finem volens debet velle media P. 181. n. 1.
Flagellum Deus contra nos parat ex peccatis nostris P. 432. n. 1. 2. 3.
Fletus quænam justa causa P. 238 n. 1. p. 441. n. 1.
Fortuna quanam potest reddere contentum P. 206. n. 2.
Fortiùs eos Deus ferit, à quibus recedit P 220. n. 3.
Fratrem lædendo Deum lædimus P. 381. n. 3.

INDEX.

Frontem peccati vel virtutis dæmon ostendit, finem abscondit P. 269. n. 2.
Fructus produnt arborem, opera hominem P. 402. n. 1. 2. 3.
Fructus corporis & animæ, quales esse debent P. 411. n. 2.
Fructibus operum non foliis verborum delectatur Deus P. 402. n. 1. 2. 3. p. 405. p. 406. p. 407. p. 408. p. 453. n. 1. p. 502. n. 2.
Funiculi sunt cogitationes, intentiones, &c. P. 432. n. 1.
Fugientem à se hominem Deus apprehendit P. 353. n. 1.
Futura prospicere magnæ est prudentiæ P. 417. n. 1. 2. 3. p. 421. n. 2.

G

Gaudium ex fructibus manantibus è Passione Christi P. 230. n. 1. 2. 3.
Gaudium Apostolorum quale fuit P. 275. n. 1. 2. 3.
Gaudium nascitur ex oratione P. 293. n. 2. 3.
Gladio iræ quomodo & ad quid utendum P. 378. n. 2. p. 379. n. 3. p. 380. n. 2. p. 498. n. 3.
Gloria mundi quàm fragilis P. 475. n. 1. p. 293. n. 3. p. 522. n. 1.
Gloria Dei unicè quærenda P. 215. n. 3.
Gloria inanis cavenda P. 186. n. 3. p. 570. n. 3.
Glorioſum est Deo justificare peccatores P. 361. n. 2.
Grano sinapis assimilatur, Christus, Apostoli, Ecclesia. P. 121. n. 1. 2. 3. p. 123. n. 1. 2. 3.
Gratia Dei dum adest, ordinatè currunt omnia P. 5. n. 1.
Gratia Dei specialis requiritur ad emergendum è peccato. p. 193. p. 21. n. 1.
Gratia sanctificante præditus, est Deo panis sapidus P. 111. n. 2.
Gratiæ Divinæ coöperandum P. 463. n. 2.
Gratia Dei, ingens thesaurus P. 415 n. 3.
Gratia Dei justificans prærequirit dispositiones P. 481. n. 2.
Gratiæ Dei amissio vel diminutio, grande damnum P. 287. n. 3.
Gratitudo, rebus debet præstari, non verbis. P. 542. n. 2.
Gratiarum actio qualis debet esse pro Passione Christi P. 226. n. 1. 2. 3.
Gratus pro parvo, dignus sit majoribus P 540. n. 1.
Gratulatio fructuum ex Passione Christi provenientium P. 227. n. 1. 2.
Gratulandum Deo de peccatore invento P. 357. n. 1. 2. 3.
Graviùs offenditur Deus à fidelibus, quàm infidelibus P. 422. n. 1.

INDEX.

Gryphem & aquilam non acceptat Deus in holocausto P. 442. n. 2.
Gustandus priùs Deus, quàm videndus. P. 165. n. 1.

H

Habitaculum Spiritus S. quale, & quale Diaboli. P. 195. n. 1.
Habitibus pravis indurata anima est Petra P. 144. n. 1.
Habitus pravus est lectus Paralytici P. 519. n. 2.
Habitus pravus est mortuale feretrum animæ P. 486. n. 2.
Homines virtutis minoris, plerumq; à mundo plus æstimantur P. 26. n. 3.
Homini adimuntur res caræ, ut totum affectū ad Deum convertat p. 95. n. 2.
Homo est maximus sibi ipsi inimicus P. 115. n. 1.
Homo in potestatem Dei redactus est per Christum P. 186. n. 1.
Homo quilibet est Pastor P. 257. n. 1.
Homo in statu lapsùs non Rex sed Regulus P. 533. n. 2.
Homo ut æternùm beatus nascatur, quantùm perpeti debet P. 273. n. 3.
Hominem viliſsimum quantopere deperit Deus P. 354. n. 2.
Homo meliùs regitur benigno, quàm austero modo P. 367. n. 2.
Homo quare est imago Dei p. 561. n. 1. 2. 3. P. 562. n. 1. 2. 3.
Hominum arbitria priùs ad tumulum expediunt senes; Divina plerumq; juvenes. p. 566. n. 2.
Honor ablatus Christo restituetur in judicio P. 7 n. 2.
Honor ut inveniatur, virtuosè vivendum P. 451. n. 3.
Honorem justo deferri à superbis, magnum miraculum; sed majus, honorem à justo respui. p. 27. n. 2.
Honor terrenus est ignis fatuus P. 473. n. 3.
Honor terrenus est fallax & depressivus P. 501. n. 2.
Honorandus est Deus, quia nos valde honoravit P. 214. n. 2.
Honori suo Deus præponit charitatem fratris P. 382. n. 1. 2.
Horâ septima Christus agone suo mundum vivificavit. P. 540. n. 2.
Horâ suâ, sunt agenda omnia P. 307 n. 1.
Humilitas est fundamentum omnis virtutis P. 27. n. 3. p. 435. n. 1. p. 496 n. 2. 3.
Humilis cordis argumentum est, laudis proprius erubescere P. 82. n. 2.
Humilitatis cum pietate contentio P. 97. n 1.

INDEX

Humilis non videt sua merita, licet illa videant alii P. 98. n. 2.
Humilibus Deus dat gratiam P. 205. n 3. p. 374. n. 3. p. 499. n 2. p. 528. n. 1.
Humilitati Christi, summa debetur exaltatio P. 296. n. 2.
Humiliare se, aliud est, & aliud humiliari P 499. n. 3.
Humor devotionis ad quid necessarius P. 446. n 1.
Hydropicus Symbolum superbiæ & luxuriæ P. 493. n. 2.
Hypocritæ quinam tentant Deum P. 558. n. 3.
Hypocritas Deus vehementer odit P. 502 n. 3.
Hypocritis Deus ordinariè larvam deponit P. 435. n. 2.
Hypocritas corrigere est difficile P. 435. n. 3.
Hypocritarum ingenium est, alienis defectibus suas virtutes patentiores reddere p. 438. n. 1.

I

Iacturam honoris compensat Deus justis P. 25. n. 3.
Idola bonorum operum nostrorum non sunt colenda P. 437. n. 2.
Iejunio suo Christus nostrum sanctificavit P. 166. n. 2.
IESU *nomen continet omnia alia Christi nomina* P 57 n. 3.
IESU *nomine insignientur, in cælo, omnes fideles* P. 57. n. 1.
IESU *nomen est primum vivens & ultimum moriens Christiani* p. 58. n. 2. 3.
IESUS *est unicum refugium afflictis & tentatis* P. 108. n. 1
IESU *in nomine petendum* P. 291. n. 1. 2. 3.
Ignis est Symbolum Dei P. 320. n. 1. 2.
Ignis bene Spiritum S. adumbrat P. 322. n. 1. 2. 3. p. 324. n. 1. 2. 3.
Ignis Spiritus S quomodo conservandus P. 321. n. 3.
Imitatio virtutum Christi Passi P. 225. n. 1. 2.
Immolandum Deo cor proprium P. 380. n. 1.
Immerentes etiam Deus amat P. 235. n. 2.
Imperfecti cum labore operantur, perfecti sine labore P. 138. n. 1.
Infortunia cedunt justis in magna commoda P. 574. n. 2.
Ingenium justorum & mundanorum quale? p. 268 n. 3.
Ingratitudo præpedit beneficia DEi P 465. n. 1.
Iniquitas dum pallium pietatis induit, maximè nocet P. 25. n. 2.

INDEX.

Iniqui facilè conspirant contra justum P. 500. n. 2.
Innocentia patiens est victima Deo gratissima P. 48 n. 1.
Innocentia etiam in ter calumnias silet P. 303 n. 1
Inspirationes Divinæ sæpe reputantur pro somniis P. 236 n. 3. p. 295 n. 2.
In locum unius lapsi, facilè Deus alios subrogat P. 443. n. 3 p. 497. n. 1.
Intellectus qualis est in homine, tales omnes ejus actiones P. 543. n. 3.
Intellectum facilius est convincere, quàm voluntatem P. 509. n. 3.
Intentiones nostræ discutiendæ P. 235. n. 1. p. 421. n. 2.
Intentio est judex actionum P. 170. n. 1.
Intentio bona, totum valorem confert operibus P. 373. n. 2. p. 431. n. 2.
Invidiæ qualenam ingenium P. 189. n. 1. p. 509. n. 3.
S. Ioannis Evangelistæ laus P. 47. n. 1. 2. 3.
S. Ioannes Baptista factis loquebatur, non verbis P. 35. n. 1.
Injurias proximi citiùs vindicat Deus quàm suas P. 552. n. 1. 3.
Ira Dei non thesaurisanda P. 433. n. 2.
Ironicè appellari Christianum vel Religiosum, intolerabile P. 530. n. 2.
Iuga quinq; emit, qui non vult portare unum. P. 347. n. 2.
Judicium Dei simile agoni hominis P. 1. n 1.
Judicium Dei extremum est motio publica P. 2. n. 2.
Judicium Dei quàm erit formidabile cunctis P. 3. n. 1.
Judicium Dei corriget erronea hominum judicia P. 4. n. 2.
Judicii memoria refrenat licentiam vitæ P. 4. n. 3.
Judicia Dei diversa ab humanis P. 237. n. 3.
Judicium DEi præmeditari quàm utile P. 419. n. 2.
Judicium de Christo pessimum formabat mundus P. 289. n. 2.
Judicia temeraria de aliis, nobis damnosa P. 190. n. 3. p. 438. n. 3. p. 416. n. 2.
Judicis Christi aspectus impios terrebit, justos recreabit P. 8. n. 3.
Justos semper improbi persequuntur P. 12. n. 1.
Justi rebus temporalibus plerumq; non abundant P. 569. n. 2. p. 280. n. 1.
Justi prosperis in hac vita successibus turbantur P. 82. n. 2
Justi plerumq; majoribus oppugnantur tentationibus. P. 104. n 2. p. 164. n. 2. p. 103. n. 2.
Justorum securitas in adversis P. 106. n. 3.
Justi non affliguntur ultra vires P. 110. n. 1.

INDEX.

Iustus est bonum Dei semen P. 112. n. 3.
Iustus interdum non intelligit, dum premitur à Deo P. 270. n. 1.
Iusti magna voluptas ex spe vitæ æternæ P. 295. n. 3.
Iustitiæ nostræ quales coram Deo P. 375. n. 2.
Iustificatio peccatoris magnam involvit difficultatem P. 362. n. 3.

L

Laborandum non ex metu pœnæ, sed ex amore Dei P. 139. n. 2.
Labori majori, minor fructus interdum respondet & è contra P. 139. n. 3.
Laudes quænam sunt veræ P. 20. n. 1.
Laudi alienæ non fidendum P. 304 n. 2.
Legatus magnus de cælo Christus P. 276 n. 1.
Lætitia cordis sufficit ad faciendum omne bonum P. 539. n. 2.
Lepram peccatorum, quomodo Christus emundat P. 83. n. 3.
Lex gratiæ minuta prohibens, majora reddit præmia P. 377. n. 2.
Liber duplex scribitur nobis ab Angelo Custode & à dæmone P. 54. n. 3.
Liberaliter Deus habet servos suos P. 370. n. 2. 3.
Libertas nostra Deo restituenda P. 161. n. 3.
Libertas animi etiam inter vincula servanda P. 14. n. 1.
Lilio similis Christus P. 476. n. 3. *Lilio justus similis* P. 474. n. 3.
Lilii decor cur major gloriâ Salomonis P. 475. n. 1 2.
Limitum metator Christus P. 431. n. 3.
Linguæ mutatio facit hominem admirandum P. 189 n. 3. p. 488. n. 3.
Linguâ mutâ dæmon custodit hominem semel possessum P. 187 n 3. p. 194. n. 2.
Lingua aperit cordis arcana, & Spiritus S. voluntatem Dei P 318. n. 3.
Linguam quomodo Spiritus S. reformavit P. 119. n. 2.
Lingua cur assimilatur calamo P. 120. n. 3.
Lingua raro aperienda P. 449. n. 1.
Lingua sæpe baptisatur Sanguine Christi P. 449. n. 2.
Lingua periculosior quàm aures P. 450. n. 3.
Locus desertus ad colloquendum cum Deo aptissimus P. 36 n. 3. p. 445 n. 1.
Locus novissimus est securus P. 496. n. 1. 2. 3.
Locis à se electis magna Deus alligat privilegia P. 310. n. 3.
Locutio bona est signum ejecti ex anima dæmonis P. 188. n. 1.

INDEX.

Longanimitas Dei in peccatores P. 548. n. 1.
Loquela unumquemq; manifestat P. 31. n. 1. p. 319 n. 1.
Loqui de Passione sua, dulce fuit Christo P. 154. n. 2.
Lupos quandonam vicerunt oves P. 263. n. 2.
Lupus indicat, quis verus animæ Pastor, quis mercenarius P. 257 n 1.

M

Magna Dei dona, rarò propalanda P. 16 n. 1.
Magnanimitas Christi ante suam Passionem P. 153. n. 1.
Magna facit, qui minima non negligit P. 208 n. 1. p. 396. n. 2.
Malitia humana semper pugnat cum bonitate Dei P. 344. n. 1.
Malitia semper in deteriùs proficit P. 218. n. 3.
Malum quodnam est, à quo petimus liberari P. 167. n. 1.
Mandata Dei omnia magna P. 501. n. 1.
Mandatum de diligendo Deo quomodo primum P. 504. n. 2.
Manus debet extendi ad opus P. 92. n. 1.
Manendum in æternum sub potestate vel Dei vel diaboli P. 192. n. 1.
MARIA Virgo Deipara cur amisit Filium P. 73. n 2.
MARIA ubi adest, nihil deficit P. 79. n 2.
MARIA V. novit omnes indigentias nostras P. 80. n. 2. 3. p. 485. n. 3.
MARIÆ magnum elogium, dum à Christo appellatur Mulier P. 87 n. 1. 2. 3.
MARIÆ intercessio peccatores justificat P. 485. n. 3. p. 486. n. 2.
MARIÆ Matri primò apparet Christus redivivus P. 233. n. 1. 2.
MARIA est arbitra pacis publicæ P. 384. n. 2 3.
MARIA est exemplar Paupertatis Christi & misericordiæ P. 397. n 3.
Martyrum stemmata sunt mortis eorum instrumenta P. 468. n 1.
Mare Passionis transeuntem JESUM, quinam sequuntur P. 197. n 2. p. 198 n. 3.
Medium semper amat Filius Dei P. 32. n. 2 p. 242. n. 2.
Meditatio vitæ Christi quare multis non sapit P. 155. n 1. 2.
Merces non æqualis datur justis P. 137 n 1.
Mercenarium vocari, est notari gravi censurâ P. 257. n. 2.
Meridiana lux sunt Conciones P. 426. n. 3.
Merita Christi non sunt hucusq; imminuta P. 292. n. 3.

Messis in mundo singulis ferè momentis peragitur P. 117 n 3.
Minimis Cœlum potest acquiri, minimis perdi P. 124. n 1. 2. 3. p. 125. n. 1. 2.
Minima maximi æstimanda P. 127 n. 1. 2. p. 396. n. 2. p. 266. n. 3.
Miracula DEus non facit absq; necessitate P. 367. n. 3.
Misericordia quomodo superexaltat judicium P. 326. n. 3.
Misericordia Dei eos recipit, qui ab omnibus rejiciuntur P 351. n. 1. 2. 3. p. 356. n. 1 2 p. 360. n. 3.
Misericordia Dei est prima radix omnium donorum cœlestium P. 387 n 1.
Mons difficultatum ei conscendendus, qui vult benedici à Deo P. 177. n 3.
Modus crescendi in aula Dei, demittere se ad infima P. 21. n. 3. p. 75. n. 2 p. 498. n 1.
Modestia oculorum Christi quanta P. 200. n. 1.
Modestia oculorum, oculos etiam Dei in se convertit P. 440. n. 3.
Modestia quantopere docet magistrum docentem P. 502. n. 1.
Mores nostri sunt viæ P. 528. n 2.
Mores externi sunt index animi P 437. n. 1.
Mores inconditi sunt oves reducendæ ad ovile Christi P. 264. n. 2.
Morum correctio à spectatoribus & observatoribus pendet P. 492. n. 3.
Mors nobis aperit oculos P. 16. n 1. p. 529 n. 3.
Mors oppugnat & expugnat nos tanquam Imperator P. 427. n. 2. p. 428. n 2. 3.
Mors justorum est somnus dulcis P. 570. n. 2.
Mors egregius vitæ Magister P. 488. n. 1. p. 529. n. 3.
Mortis hora justo jucunda P. 152 n. 1 p. 543. n. 1.
Mortis monitorem semper intra nos habemus P. 487. n. 1.
Multa promittimus Deo, pauca præstamus P. 549. n. 3.
Mundus cur designatur per mare P. 197. n 1.
Mundana bona non possunt nos satiare P. 205. n. 1. p. 394. n. 2.
Mundus periculis multis obnoxius P. 102. n. 1. p. 457 n. 2. p. 535. n 3.
Mundana omnia deficiunt P. 80 n. 1 p 182. n. 1.
Mundus quomodo tractat suos sectatores P. 85. n 1. 2. 3.
Munera quænam grata Deo P. 383. n. 3 p 442. n 1.
Murus Deum dividens ab homine est peccatum P. 425. n. 3.
Mutus ad peccata confitenda, est etiam mutus ad illorum veniam impetrandam p. 530. n. 3.

INDEX.

N

Natus JESUS *quomodo salutandus.* P. 44. n. 1. 2 3.
Necessitatis tempore Deus non deserit suos P. 241. n. 1.
Necessitas Passionis Christi P. 241. n. 2.
Negotiis secularibus immersi, inepti ad capienda Divina P. 443. n. 2.
Nihil dulcius amantibus Deum quàm pati P. 267. n. 2.
Nihil à meipso habeo, omnia à Deo P. 287. n. 1.
Non omni spiritui credendum P. 170. n. 1.
Non uno actu acquiritur perfectio P. 199. n. 2. 3. P. 244. n. 1.
Non attendendum quid alii agant sed quid ipse agere debeas P. 236. n. 1.
Non sinistra vitæ præsentis, sed dextera futuræ attendenda P. 252. n. 3.
Non facilè homini de salute desperandum p. 261. n. 2. p. 376. n. 1. p. 495. n. 3.
Non solùm oculis, sed etiam auribus oves agnoscunt Pastorem Christum. p. 261. n. 3.
Non solum malùm attendendum, ne fiant; sed etiam bonùm, ut, & quomodo fiant p. 401. n. 1.
Non permittit Deus ullum malum, quin ex eo eliciat majus bonum p. 240. n 1.
Non æqualiter Deus se nobis communicat p. 444 n. 3. p. 103. n. 3.
Non solùm verbo & exemplo, sed etiam oratione, peccatores adducendi ad Deum p. 445 n. 3.
Non parte cordis diligendus Deus. p. 454. n. 2. p. 470. n. 3. p. 472. n. 2. p. 503. n. 3.
Non attendit Deus ad antiquitatem, sed ad merita personæ. P. 497. n. 2.
Non ille Deo carior, qui sapientior; sed qui in amore ejus ferventior. p. 503. n. 2
Non est determinandus modus, petentibus aliquid à Deo p. 537. n. 1.
Non solùm corpore sed etiam Spiritu accedendum ad Deum. p. 499. n. 1.
Non solùm manifesta peccata, sed etiam species mali cavenda p. 345. n. 3.
Nôsse cum quo versèris, multùm conducit ad bene vivendum p. 398. n. 1.
Nox peccati lucra meritorum perdit p. 371. n. 1. p. 251. n. 1.
Nubes lucida Spiritûs S. p. 183. n. 1.
Nullibi in hac vita securitas p. 105. n. 3.

INDEX.

Numerat Deus omnia, quæ causà ipsius aguntur. p. 387. n. 2. 3.
Nuntii Dei quinam ad nos mittuntur p. 525. n. 2. p. 445. n. 2.
Nunquam Deus in hac vita ita punit, quin aliquod solatium relinquat p. 547. n. 3.
Nuptiis quare Christus interfuit p. 79. n. 3.

O

Obedientia, ùt sonat implenda. p. 83. n. 1. p. 523. n. 2.
Obedientia Christi est idea obedientiæ nostræ p. 75. n. 3.
Obedienti promptè, DEus auxilium suppeditat. p. 37. n. 1. p. 463. n. 1.
Obediendum Christo etiam dura imperanti p. 260. n. 1. p. 369. n. 1.
Obicem ponimus Deo, ne nobis benefaciat p. 570. n. 1. p. 465. n. 1.
Obsidione dæmonum soluti, quantùm gaudebimus p. 173. n. 1.
Occasio salutis statim arripienda. p. 37. n. 1. p. 429. n. 3.
Occasio prodit, qualis cujusq; sit virtus. p. 386. n. 3. p. 257. n. 1.
Occasiones meriti prævidendæ, & observandæ p. 463. n. 3. p. 207. n. 1.
Occasio peccandi serio vitanda p. 143. n. 1. p. 248. n. 2.
Oculi nostri in quo beatiores, quàm Apostolorum. p. 451. n. 1.
Oculi Dei quomodo ad nos convertendi p. 461. n 1.
Oculorum DEi quod speciale objectum? p. 486 n. p. 558. n. 2. p. 575 n. 1.
Oculi mentis petendi à Deo? p. 161. n. 1.
Oculi Christum videntes beati p. 162. n. 2.
Oculis DEi etiam interiores actus patent. p. 514. n. 1. p. 515. n. 1. p. 516 n. 3.
Oculos nunquam Christus convertit, quin benefaceret. p. 201. n. 2. 3.
Occupatio Christi qualisnam fuit in utero Sanctissimæ V. Matris p. 41. n 1. 2. 3.
Occupatio SS. V. Matris qualis fuit circa Christum in utero gestatum. p. 43. n. 1. 2. 3.
Officium vile administrare bene, laudabilius est; quàm sublime, malè? p. 22. n. 3.
Omnes & quavis ætate ad se DEus vocat. p. 133. n. 1. 2.
Omnipotentiæ proprium est, pascere omnes Creaturas p. 395. n. 3.
Omnis peccans ignorans p. 424. n. 2.
Omnibus placere est difficile p. 515. n. 1.
Opera nostra bona, nulla fere absq; defectu p. 109. n. 3. p. 568. n. 1.

INDEX

Opera noſtra ſunt numiſma cenſûs reddendi DEo. p. 559. n 2.
Opera noſtra defectuoſa Deus complet p. 391. n. 1. 2. 3.
Opera noſtra parva, magni Deus facit. P. 388 n. 3.
Opera bona quomodo facienda coram hominibus p. 446 n. 2.
Opera charitatis ſunt maxima Chriſtiani miracula p. 18. n. 2.
Operarius eſt quivis homo p. 136. n 1.
Operarius doloſus extra oculos negligenter agit p. 138. n. 3
Operarii qualesnam vocandi in vineam animæ p. 136. n. 3.
Opus magis voluntarium, magis placet Deo. p. 367. n. 2.
Opus Dei eſt, ſepultos in opinione hominum, excitare ad famam p. 180. n 2.
Opportunitas dicendi, eſt exſpectanda p. 443. n. 2.
Orationis quanta vis & efficacia p. 292. n 1. 2. p. 462. n. 2.
Oratio plures virtutum actus continens p. 92. n. 3. p. 462. n. 3.
Orationis tempus non ſegniter tranſigendum p. 238 n. 1.
Orationem Chriſtus loco ſui reliquit Apoſtolis p. 289. n. 1. 2. 3.
Oratio quænam eſt mortua p. 436. n. 1.
Orare apud ſe perniciosum p. 437. n. 2.
Ordinariis modis priùs acquirenda virtus p. 510. n. 1.
Os quomodo aperiendum ad attrahendum Spiritum S. p. 311. n. 1.
Otio torpere, in Religione, & ſenectute, maximè vitioſum p. 135. n. 2.
Otium eſt, quidquid non ordinatur ad Deum p. 135. n 3.
Ovem perditam quomodo quærit Paſtor Deus p. 355. n. 1. 2.
Ovis & viva & mortua prodeſt; ita Chriſtus. p. 283. n. 1.

P

Pacem quærere, magna ars p. 426. n. 1.
Parum eſt audire verba Dei, niſi practicentur 556. n 1.
Pacatus agendi modus, Divinus. p. 110. n. 2. p. 529. n. 1.
Pauci ſunt ſalvandi p. 150. n. 3. p. 175. n. 2.
Parvâre priùs dæmon conatur vincere p. 172. n. 2.
Parva priùs peccata vincenda, quam majora p. 517 n. 1. p. 541. n. 3.
Patrum Spiritui inſiſtendum. p. 176. n. 2
Patientia Dei in tolerandis peccatoribus p. 218 n. 1. p 416. n 1. p. 117. n 2.
Parata nobis omnia ad ſalutem per Chriſtum p. 343 n. 2. 3.

INDEX.

Panis pauperi datus, messis æternæ semen. p. 391. n 1.
Passionis tempus, quare visum Christo modicum p. 266. n. 2.
Passio Christi, cruentum mare p. 511. n. 2.
Partus funestissimus quisnam? p. 273. n. 1.
Parva opera cum fervore facta, magni facit DEus p. 576. n. 2.
Paupertas Religiosa quomodo observanda p. 396. n. 2.
Pauperes quare vult esse Deus p 416. n. 3.
Pœnam sæpe DEus immittit ob latentes culpas p. 309. n 2.
Pœna ad paucos pervenit, metus ad omnes p. 489. n. 3.
Pœnitentium lacrymæ, quomodo sapiunt Christo p. 513. n. 3.
Pœnitentia debet æquivalere Baptismo p. 38. n. 3.
Pœnitentia est ager fertilis p. 41. n. 3.
Pœnitentia debet esse constans p. 196. n. 2. p. 199. n. 1. 2. 3.
Peccatori apud solum Deum, quærendum remedium p. 91. n. 2. p. 351 n. 1. 2. 3.
Per quæ quis peccat, per eadem punitur p 531. n 1.
Personaliter ad nos Christus veniens, magno honore nos afficit 96. n. 1.
Peccator fruitur pace ficta p. 104. n. 2.
Peccata magis cavenda, quàm graves morbi p. 515. n. 3.
Peccata DEus dissimulat propter pœnitentiam p. 106. n 2.
Peccato nullum pondus gravius p. 108. n. 3.
Peccatum, est grande debitum p 546. n. 3.
Peccatoribus bona opera compensantur in hac vita p 120. n. 2.
Peccator montem supra montem collocat, & dissipat p. 134. n. 3.
Peccatum unum impellit ad aliud p. 457. n. 1.
Peccata Spiritualium magis offendunt Deum, quàm secularium p. 152 n. 2.
Peccatum trahit hominem deorsum p. 171. n. 2.
Peccatum confiteri plus est, quàm mutum loqui p. 188. n. 2.
Peccator ex dotibus suis, tributum solvat dæmoni p. 183. n. 3.
Peccatores aversi à Deo, convertendi ad Deum p. 208. n. 3. p. 513. n. 3.
Peccata præterita bonis actibus compensanda p. 462. n. 1.
Peccatum DEus summo prosequitur odio p. 210. n. 3. p. 425. n. 3.
Peccare possumus per nos solos; resurgere non. p. 248. p. 495. n. 2.
Peccatum quæ vulnera infligit p 457. n. 3.
Peccatores Christus defendit p. 263. n. 3.
Peccatores Deus convertit in Angelos. p. 512. n. 2.

INDEX.

Peccator breve gaudium æterno præponit p. 236 n 3:
Peccatorum intuitu Deus homini subtrahit gratias illustrantes p. 428. n. 1. p. 457. n. 3.
Percutiendum pectus, quare p. 441. n. 3.
Perseverentiâ opus, ad quodvis bonum opus. p. 312. n. 2.
Plenus passionibus, ferax vitiorum p. 146. n. 1.
Plus DEus largitur patienter petentibus, quàm petant p. 535. n. 1.
Plura Deus dat, quàm dicit p. 240. n. 3.
Plus Deus gaudet de uno justo fervido, quàm de multis fictis, vel tepidis. p. 359. n. 12.
Plura DEus requirit à fidelibus, quàm infidelibus p. 374. n. 1.
Portæ sensuum quantopere custodiendæ p. 481. n 1. p 535. n. 3. p. 194 n. 1.
Post bona opera, ordinariè DEus hominem probat afflictione p. 267 n. 1.
Potentia Christi non erat ad inferenda mala, sed ad conferenda bona p. 193 n. 3.
Prædestinati pauci p. 523. n. 3. p. 150. n. 3. p 175. n. 2.
Prælatus polleat charitate & affabilitate p. 253. n. 1.
Prælatus pascat tripliciter p 253. n. 3.
Prædicatori bono, quivis locus bonus & opportunus p 368. n. 2.
Præsentia Dei frenat licentiam peccandi p. 540. n. 2. p. 249. n. 1. p. 493. n. 2. p. 516. n. 3. & p. 576. n. 3.
Præsumptionem Deus ordinariè confundit p. 253. n. 2.
Præparatio ad spiritum S. qualis necessaria p. 312. n. 3. p. 314. n. 2. 3.
Primus apud DEum honor, amare Deum. p. 252. n. 1.
Primi possunt esse novissimi, & è contra p. 140. n. 1.
Prius nos DEus quærit, quàm ad illum veniamus p. 160. n. 2. p. 461 n. 3. p. 354 n. 3
Prius curandum principale peccatum p 490. n. 12. p. 515. n. 3.
Prius videndum aliquid, quàm faciendum p. 346. n. 1.
Prius Apostolico viro, adhibenda oratio, & mortificatio, quàm Prædicatio. p 448 n. 2.
Privato etiam studio, lucrandi Deo homines p. 446 n 3.
Proficiendum quotidie in virtute p. 75. n. 1. 2. p. 277 n 3. p 105. n. 3.
Promissa Deo facta sæpe nos falsos Prophetas ostendunt p. 21. n. 2.
Promptiores sumus ad malum, quàm ad bonum p. 217. n. 1. p. 436. n. 3.

p. 478. n. 1.
Propositæ ad effectum non deductæ, sunt folia ficûs à Christo maledictæ. p. 10. n. 3.
Propter improbos Deus etiam innocentes interdum punit p 527 n. 3.
Pro peccatore obdurato & scandaloso non audent Sancti orare p. 565. n. 1.
Providentiæ Dei fidendum p. 204. n. 1.
Prout quisq; affectus, ita judicat p. 452. n. 2. 3.
Puerilis ætas multis periculis obnoxia p. 69. n. 2.

Q

Qualem se Deo exhibet homo, talem erga se experitur Deum P. 23. n. 1. p. 396. n. 1.
Quali via tendimus ad Deum, tali ad nos venit Deus P. 39. n. 3.
Qualis operarius quisq; fuerit, in fine vitæ apparebit P. 136. n. 2.
Qualibus colloquiis aliquis delectatur, talis ipse est p. 212. n. 1. 2.
Quamdiu suppetunt auxilia humana, negligimus Divina p. 566. n. 3.
Quamdiu homo spirat, speret p. 417 n. 3.
Quas dotes debet habere vir Apostolicus p. 209 n. 1.
Quanta fuit Apostolorum felicitas, intueri Christum p. 281. n. 2.
Quantis angustiis homo in morte premitur, & quanta lætitia justus post mortem fruitur p. 272. n. 1.
Quantum solatium ovis habet, sciens Pastorem supra se vigilare p. 259. n. 2.
Quærere sæpe quo vadis, multum conducit ad salutem p. 279. n. 2 3.
Quærentes Deum sincerè, inveniunt illum facilè p. 74. n. 1.
Quærenda priùs cælestia, quàm terrena p. 478. n. 1.
Quæ Deus facit nostri causâ, parvi ea facit, estò magna sint 388. n. 3.
Quæ ponimus in manu Dei, crescunt, quæ in manibus mundi pereunt. p. 392. n. 1. 2.
Quibus armis contra mundanos pugnandum p. 13. n. 1.
Quibus viis Christus ivit ad cælum p. 278. n. 3.
Qui loquuntur à semetipsis, valde cavendi p. 288. n. 3.
Quisnam dignus testimonium perhibere de Christo p. 305. n 1.
Quinquagesimo die post Resurrect. Christi, cur Spiritus S apparet p. 313. n. 1.
Quomodo Superioribus deferendum p. 237. n. 2.

INDEX.

Quò Christus in Eucharistia vadit interrogandus p. 278. n. 1.
Quò magis aliquis occultat se per humilitatem, eò magis à Deo proditur p. 573. n. 3.
Quò nunc à justitia Dei appellandum p. 546. n. 1.
Quò blandius fovet nunc Deus, eò acerbius postea ferit
Quò aliquis indignior, eò majus ei præstatur beneficium p. 466. n. 1.
Quò in tribulatione confugiendum? p. 482. n. 3. p. 569. n. 3.
Quò aliquis in Regestro mundi inferior, eò in Regestro Dei superior p. 498. n. 2.
Quo tempore Deum offendimus, eo nobis plerumq; benefacit p. 540. n. 1.

R

Radices malorum tollendæ sunt P. 110. n. 3. & p. 490. n. 1. 2. p. 515. n. 3.
Radices in virtute agit, qui habet considerationem Divinorum p. 145. n 3.
Rationes fictæ sunt folia ficus p. 10. n. 2.
Rationi dandus est locus p. 550. n. 3.
Rara in mundo quæstio. Quid faciendo, vitam æternã possidebo p. 453. n. 2.
Recidiva peccati periculosa p. 196. n. 3.
Recogitatio præteritorum peccatorum, acuit curam salutis p. 418. n. 1.
Redeundum homini ad Deum p. 276. n. 1.
Regnum Dei quomodo in nobis est p. 192. n. 3. p. 521. n. 1.
Reliquum saltem vitæ, servitio Dei seriò impendendum p. 467. n. 2.
Religiosa vita, primà tantum fronte videtur aspera p. 19. n. 1.
Religiosus beatus, esuriens justitiam p. 77. n. 1. 2.
Religiosæ vitæ felicitas non esse solicitum de victu & amictu p. 472. n. 2.
Religio est terra fertilis ex sylgine triticum gemirans p. 148. n. 3.
Religiosus tepidus assimilatur cæco. p. 156. n. 1.
Reliquiæ de mensa Christi quales p. 245. n 3.
Remittendi peccata potestas quantus thesaurus p. 247. n. 3.
Respectus humani contemnendi, dum agitur de honore Dei p. 68. n. 2. p. 493 n. 3. p. 159 n 3 p. 160. n. 1. p. 554 n. 1. p. 557. n. 3.
Resurgentis Christi comparatio p. 232. n. 1.
Resurgentis Christi imitatio p. 233. n. 3.
Resurrectio mortui, opus Divinæ manus p. 486. n. 3. p. 536. n. 3.
Reverentiam sui variè nobis Deus persuadet p. 218. n. 3. p. 363. n. 1.

Sacerdo-

INDEX.

S

Sacerdotis solus aspectus peccatores curare debet P. 464. *n.* 3.
Sacramentalia verba quàm efficacia p. 518. n. 2 p. 537. n. 2.
Sacramentorum institutio, quantum hominis bonum p. 397. n. 3.
Salus æterna practicè curanda p. 419. n. 3.
Samson inter illecebras amisit robur p. 20. n. 3.
Sanctorum denominationes exprimunt illorum intentiones p. 30. n. 2.
Sanctitas vera non insultat alienis lapsibus p. 439. n. 2.
Sanctitas in terris nulla omnino firma p. 6. n. 3. p. 417. n. 2.
Scandali occasio fugienda p. 413. n 1. p. 464 n. 3. p. 491. n. 3.
Scientiâ judicii venturi utendum nunc salubriter p. 11. n. 2.
Scientiæ Sanctorum quodnam primum principium p. 503. n. 3.
Scientia mysteriorum Dei thesaurus incomparabilis p. 150. n. 1 p. 501. n. 1.
Scriptura S. est Clypeus contra tentationes p. 169. n. 2. 3.
Sedendo Christus docet & quare p. 368 n 1.
Seculares ne vincant virtute spirituales, cavendum p. 458. n. 1.
Semel repudiatus Deus iterum nos invitat p. 524 n. 1.
Semper Deus nobis benefacit p. 259 n. 1.
Semen est Passio Christi, Doctrina Evangelica, virtutes p. 142. n. 3.
Sensualitas est illegitimus Dominus & Tyrannus p. 470. n. 2.
Senectus neglecta, vitiorum ferax p. 134. n. 1.
Serviendum Deo multis titulis p. 132. n. 3.
Servire Deo absq; solatiis, majoris est meriti p 250 n 3.
Servire quomodo à nobis Deus cogitur p. 432. n. 3.
Servientibus Deo nihil deest p. 389. n. 1. 2.
Servi Dei alii ex natura, alii ex pacto p. 544. n. 3.
Signa sicut Salvatoris, ita salvandi, sunt bonæ operæ p. 17. n. 1 p. 100. n. 3.
Sicut nos agimus cum proximo, ita Deus nobiscum. p. 553. n 3.
Simulata pietas duplex iniquitas p. 435. n 1.
Sociorum intuitu, multa nobis beneficia Deus præstat p. 465. n. 2. p. 240. n. 2. p. 249 n. 3.
Societas bonorum sicut prodest ad virtutem, ita malorum ad vitium p 23. n. 2. p. 175. n. 3.
Societatis homo qualis esse debet p. 116. n. 1.

Solem

Solem meridianum Evangelicæ veritatis non videre, cæcitatis est p. 426. n 2.
Solatia Divina cum terrenis incompossibilia. p. 570. n. 1.
Solatia vera unde quærenda? p. 15. n. 3.
Somnus Christi plenus mysteriis p. 105. n. 1.
Somnus animæ non minus noxius, quàm Corporis p. 113. n. 3.
Spes præmii accendit ad laborem p. 180. n. 1.
Spiritus an bonus an malus, unde dignoscendum? p. 163. n. 1.
Spiritus Sanctus dum arguit, solatur p. 285. n. 2.
Spiritu privato nihil loquendum p. 288 n. 2.
Spiritus S. & Spiritus Orationis, germani sunt. p. 289. n. 2.
Spiritus S. non consolatur mundanos, sed justos duntaxat. p. 302. n. 1. 2.
Spiritus Sanctus est etiam Advocatus p. 303. n. 3.
Spiritus S. quomodo se ostendit Deum. p. 304. n. 3.
Spiritus S. qualem per Apostolos edidit sonum p. 315. n. 1.
Spiritus Sanctus superbos humiliat, humiles attollit p. 316. n. 2.
Spiritus S. miros in anima præstat effectus p. 316. n. 3.
Status diversus diversam exigit vivendi rationem. p. 436. n. 3.
Statui Sancto præcisè non fidendum p. 140 n. 2.
Stat Christus post Resurrectionem p. 244. n. 3.
Sancti Stephani fortitudo aliæq; virtutes p. 46. n. 1. 2. 3.
Supererogatoria opera multùm conducunt ad salutem p. 377. n. 2.
Superbus, est individuum vagum p. 434 n. 1.
Suspiciendum crebrò in Cælum & quomodo p. 447. n. 2. 3.

T

Tabernacula tria quænam in corde erigenda. P. 182. n. 3.
Tactus manus Divinæ sanat & erigit à terra p. 185. n. 1. 2.
Talento doctrinæ non abutendum p. 453. n. 3.
Tantùm DEus æstimat salutem unius hominis, quantùm omnium p. 160 n 1.
Tardè punit Deus, sed fortiter p. 425. n. 2.
Tempore impiorum Principum cur Christus venit. p. 35. n. 3.
Temporalia bona quo fine improbis traduntur administranda p. 120 n. 1.
Temporalia bona impediunt, ne celeriter progrediamur ad cælum p 146 n. 2. 3.
Temporalia bona citò pereunt p. 153. n 3.

Tempora aliqua specialiter Deus sibi servavit p. 430. n. 1.
Templum Dei mortuum profanare, grande peccatum; sed grandius, vivum. p. 431. n. 3.
Templo magna debetur reverentia p. 430. n. 1.
Tempestas turbationis eò venit, ubi impius p. 104. n. 1.
Tempus meriti nunc est nostrum; die judicii repetetur à nobis. p. 2. n. 3. p. 425. n. 1.
Tentatio tempestivè reprimenda p. 8. n. 1. p. 81. n. 1. p. 508. n. 1. p. 560. n. 3.
Tentatio inclinat hominem ad terram p. 8. n. 2.
Tentatio victa copiosam parit mercedem p. 29. n. 3.
Tentato fugiendus mundus. p. 108. n. 2.
Tentare potest dæmon, consensum extorquere non potest p. 195. n. 3.
Tepidi emendationem vitæ differunt p. 82. n. 3.
Terra quare peccatori respicienda p. 441. n. 2.
Terrena despicienda, ut assequamur cœlestia p. 176. n. 1. p. 535. n. 2. p. 284. n. 3.
Testimonium dat Christo vita recta p. 306. n. 3.
Timoris grandis materia, conscium esse peccatorum, & nescire illorum remissionem. p. 521. n. 3.
Timore Deus multos ad se compellit p. 547. n. 2.
Timere vocem Dei, proprium homini P. 184. n. 3.
Torquet hominem, quòd nesciat, utrum amore, an odio dignus sit p. 294 n. 1.
Trahebat ad se Christus homines, quibusnam catenis? p. 364. n. 2. 3.
Transfigurationis Christi veræ causæ p. 178. n. 2. 3.
Tribulatio reddit hominem illustriorem p. 14. n. 3. p. 574. n. 2. p. 556. n. 2.
Tribulationibus admiscet Deus consolationes p. 13. n. 2.
Trinitas SS tota lætatur de peccatore converso p. 360. n. 1.
Triplex mensa apponitur à Deo p. 206. n. 3.
Tristitiæ remedium loqui aut cogitare de Deo p. 242 n. 3.
Tres status justorum p. 232. n. 2.

V

INDEX.

Vacuus ad DEum veniens, vacuus redit. P. 442. *n.* 1.
Vanitati mundanæ qui serviunt, nihil lucrantur p. 372. *n.* 2. 3.
Vanitatis mundanæ vela contrahenda p. 107. *n.* 1.
Ubi desunt humana subsidia, adsunt Divina p. 204 *n.* 1.
Ubi quærendus JESUS P. 71. *n.* 2.
Veniale peccatum in se spectatum est quid magnum p. 126. *n.* 3.
Verbum Dei semini simile p. 142. *n.* 2.
Verbum Dei quomodo è corde tollitur p. 143. *n.* 2.
Verbum Dei continuò executioni mandandum p. 144. *n.* 3. p. 556. *n.* 1.
Verbum Dei profundè considerandum p 151. *n.* 3.
Verba Christi expellunt dæmonem p. 187. *n.* 2.
Verbum DEi affectus nostros tranquillat p. 368 *n.* 3.
Verbo delinquere est facilè p. 554. *n.* 2.
Verba rudia plus interdum proficiunt, quàm culta p. 22. *n.* 1.
Vestigia Christi patientis prius tenenda, quàm intrandū in cælum p. 162. *n.* 3.
Via regia eundum Spei, Timoris p. 459. *n.* 2.
Via recta, institutum Religiosum p. 157. *n.* 2.
Via ad honorem, virtus p. 26. *n.* 1.
Viæ quibus ad Regnum Cælorum pervenitur p. 479. *n.* 2. p. 511 *n.* 2.
Villa Dei est, mundus, Corpus, Anima, proximus p. 411. *n.* 1. 2 3.
Vindicat DEus injurias alienas p. 439. *n.* 3.
Vineam seu Ecclesiam suam DEus habuit quavis mundi ætate p. 131. *n.* 1.
Virtutis magna vis p. 26. *n.* 1.
Virtutem solam miratur Christus p 99. *n.* 1. p. 25. *n.* 1.
Virorum grandium, grandes plerumq; casus p. 248. *n.* 1.
Viribus totis quis diligat DEum p. 455. *n* 3.
Virtutis viâ veniendum ad intimam cum Deo amicitiam p. 174. *n.* 1.
Virtutis amans, si per fragilitatem cadat, facilè resurgit p. 571. *n.* 3.
Vita hominis justi prosperis & adversis permiscetur p. 274. *n.* 1. 2. 3.
Vita præsens, tempus visitationis Divinæ p. 429. *n.* 3.
Vita justorum instar Sacramenti p. 19. *n.* 2.
Vitæ Sanctorum sunt specula p 286. *n.* 1.
Vivere in communitate sine querela, magnum virtutis documentū p 551. *n.* 1.
Umbra etiam malæ arboris noxia p. 415. *n.* 3.
Vni peccato extirpando insudandum p. 286. *n.* 3.

INDEX.

Unum peccatum admissum impellit ad aliud p. 210. n. 1.
Una manu quis ducat ad Deum, & altera repellit p. 444. n. 1.
Vocat Deus ultrò ad se homines p. 341. n. 1. p. 131. n. 2.
Vocari ad Religionem est fieri Pastorem p. 258. n. 3.
Vocanti Deo citò obsequendum p. 158. n. 1.
Vocis appellatio, Ioannis exprimit humilitatem p. 30. n. 3.
Vox populi, vox Dei p. 427. n. 1.
Vult nos DEus salvare, si & ipsi velimus p. 524. n. 3.
Vulnera Christi sæpius intuenda p. 243. n. 2.

Z

Zelus quomodo comedit Christum P. 433. n. 2.
Zizania permittuntur crescere, ut degenerent in triticum. P. 117. n. 1.

FoIoNoIoS

[illegible]

Erra-

Errata sic Corrige.

In Præfatione P. 3. v. 1. ab ea. Lege ab eo.

Eadem Paginâ in facie altera : momorati, Lege Memorat.

Pag.	29.	v.	7.	ablatum	Lege oblatum.
Pag.	54.	v.	22.	bonitatem,	Lege brevitatem.
Pag.	67.	n.	4.	Injuſtitia	Lege Iuſtitia.
Pag.	101.	v.	27.	Attullerat	Lege Attulerat.
Pag.	120	v.	13.	parvus	Lege Pravus.
Pag.	160.	v.	10.	adduci	Lege Abduci.
Pag.	178.	v.	10.	cum	Lege tum.
P.	220.	v.	15.	eosq;	Lege easq;.
P.	259.	v.	19.	frugitur	Lege fruitur.
P.	292.	v.	26.	aufert	Lege adfert.
P.	293.	v.	34.	orationem	Lege rationem.
P.	297.	v.	15.	exultatione	Lege exaltatione.
P.	341.	v.	19.	virorum	Lege vivorum.
P.	368.	v.	17.	alias	Lege alas
P.	377.	v.	21.	egit	Lege agit.
P.	391.	v.	23.	promoveri	Legi promereri.
P.	395.	v.	19.	à Deo	Lege adeo.
P.	396.	v.	ult.	coram	Lege caram.
P.	413.	v.	ult.	illorum	Lege illarum.
P.	418.	v.	22.	Solitudo.	Lege Solicitudo.
P.	424.	v.	23.	amiſſo	Lege Admiſſo.
P.	439.	v.	1.	potentiores	Lege patentiores.
P.	443.	v.	30.	ilis	Lege illis.
P.	526.	v.	19.	riros	Lege rivos.
P.	527.	v.	29.	animadvertit	L. animadvertat.
P.	537.	v.	30.	affectiva	Lege effectiva.
P.	547.	v.	26.	canis	Lege caris.
P.	548.	v.	23.	ili	Lege illi.
P.	548.	v.	25.	&	Lege ut.
P.	563.	v.	19.	inteligeret	Lege intelligeret.

Reliqua benevolus Lector prudenter colliget, & facilè corriget.

A. M. D. G.